44

M. T. CICERONIS

OPERA OMNIA

TOM. I.



M.T. CICERO

M. TVLLII

CICERONIS

OPERA

EX RECENSIONE

CHRIST. GODOFR. SCHV̈TZII

ADDITIS COMMENTARIIS

TOMVS PRIMVS

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS VIDVAE POMBA ET FILIORVM
ANNO MDCCCXXIII

PRAEFATIO

IO. AVGVSTI ERNESTI

In principio huius Operis, quum ratio reddenda esset instituti mei, et, quid quomodoque efficere studuerim, demonstrandum; ab ea re non alienum fore existimavi, si universe de Critica Ciceroniana dicerem, et velut formam perfecti Critici Ciceroniani proponerem: non quo me talem esse haberique vellem, sed ut, quam in hac Ciceronianorum librorum recensione normam secutus essem, intelligeretur, faciliusque, munus Critici quomodo in Ciceronis libris administravissem, iudicari posset. Speravi etiam, studiosis literarum latinarum, non modo ad illam ipsam facultatem de talibus rebus iudicandi, sed etiam ad bene accurateque scribendum, hanc talem disputationem esse profuturam. Erit autem haec tota huius praefationis ratio bipertita. Primum ipsum perfectum Criticum Ciceronianum informabo; et cum eius velut exemplari comparabo eos, qui ante

me in recensendis Ciceronis libris versati sunt; deinde, ut in singulis operum Ciceronis partibus de editionibus earum dicetur, sic in hoc velut aditu operum universorum, de editionibus eorum accommodate ad criticam rationem, dicam; id quod nunc etiam plenius et accuratius, quam antea, fieri poterit.

Sectio I.

Critica ratio etsi universe eadem est, iisdemque legibus regitur, tamen in singulis veterum operibus variatur auctorum aetate, ingeniis, genere proprio cuique scribendi, ac rerum denique ipsarum, de quibus dicunt, personarumque diversitate. Nam his rebus omnibus ut afficitur oratio cuiusque, et eo ipso fit cuiusque, ut Ciceronis, Caesaris, Livii; sic eae etiam omnes in consilium debent adhiberi, quum, quid in libris cuiusque vere ipsius sit, quid a mala manu vel addendo, vel corrumpendo illatum sit, quaeritur, idque quomodo corrigi debeat sic, ut suum ei restituatur.

Iam primum satis constat, Ciceronis aetate, tum aliorum, tum ipsius in primis ingenio, studio, arte, ad eam perfectionem adductam fuisse et latinitatem universam, et orationis cuiusque formam, ut maior non modo exstiterit nulla unquam, sed ne cogitari quidem posse videatur, eiusque adeo perfectionis exemplum unum certissimum et pulcherrimum in

Ciceronianis libris prostare. Ex quo intelligitur, primam et maxime necessariam boni ac veri Critici huius, quem informamus, partem esse in accurata latinitatis, quae tum ita elaborata fuit, scientia. Ea autem duabus rebus constat: quarum prima est in scientia singulorum verborum et phrasium tum omnium, tum in primis exquisitiorum, et aliquid propriae commendationis habentium, vel ea re, quam exprimant, vel a proprio quodam usu: altera autem in analogia linguae latinae, in singulis verbis in primisque in eorum variandorum struendorumque modo, ut ne quid, quemadmodum ipse Cicero praecipit, in generibus, casibus, numeris atque etiam temporibus et modis discrepet. Nam in primo genere saepissime accidit per inscitiam librariorum et vitio creatorum correctorum, ut verba exquisitiora, et non vulgati ad omnes usus, commutarentur in notiora et pervulgata, vel re subiiciente, vel similitudine aliqua scripturae, vel denique glossis adscriptis: quae debet Criticus vel librorum aliorum indiciis, vel etiam ingenii sollertia indagare, et reddere domino; id quod etiam saepe a multis factum reperitur. Ei simile est illud, quod in formulis loquendi, quae vel tractu temporis vitiatae essent, vel a sermone librariorum et correctorum discreparent, aut haberent aliquid ambiguitatis, si cum hoc compararentur, saepe vel fluctuarunt, et inconstantes fuerunt. Veluti quum Latini, ex imitatione Graecorum, *habeo* pro *scio* dixerint, *non habeo* pro *nescio*, ut et *deest mihi*, eaque verba ad modum

graecum coniungerentur cum *quod*, ut οὐκ ἔχω ὅ τι ἂν εἴπω, librarii ex notiori formula *nescio quid dicam*, aut sui sermonis more, fecere saepe *non habeo quid dicam*, fallente etiam compendio scribendi *qd.* Hic ergo viri, alias latine satis docti, decipi se passi sunt, et eandem inconstantiam sequuti: itaque reperi eos interdum illud *quid* correxisse *quod*, si a quo libro suo admoniti essent, aliis locis intactum reliquisse. Simile quid accidit in structura particulae *cum*, quae, ubi rationem causamque exprimit, coniunctivo iungitur, ubi tempus, indicativo; nisi alia causa coniunctivum postulet. Nam huius analogiae vel nescii, vel negligentes, saepe et librarii, et viri docti aberrarunt, etiam sic, ut quum in libris scriptis esset *qm.*, vel *qn.* cum indicativo *quoniam*, *quando*, ex eo facerent *quum:* cuius generis multa exempla in libris Ciceronis notavi, praesertim Victorianis exemplis, aut inde expressis. Sed hoc etiam, atque adeo magis ad alterum genus pertinet, de quo statim dicam. Sed longe saepius in genere altero peccatum est: de eoque diligentius dicendum videtur.

Primum igitur hoc habet Graeca, atque ab hac Latina lingua prae omnibus aliis praecipuum, ut omnem varietatem temporum distincte definiat. Ea ἀκρίβεια, in latina quidem, aetate illa, quam auream dicere solent, accurate servata est, eiusque conservatio in scribendo non minus necessaria habita est, quam generum, casuum, ac numerorum, ut, qui ab ea discederet, non minus peccasse putaretur,

quam si in numeris et generibus aberrasset. Nam Cicero Orat. III, 10, aberrationem a tempore legitimo aequat plane aberrationi in numeris, et generibus, et casibus. Nec id modo ad singulorum verborum tempora pertinet, sed etiam ad temporum nexum et consecutionem; nec, qui dixerit, *erunt qui dicent* aut *multos audivi qui putabant* minus peccat, quam qui *poëtam magnam*, aut *mentem bonum*. Similis ratio est modorum, eaque multiplex; quorum usus non diligenter cognitus magnum numerum vitiorum in libros induxit, in primis ille, qui est in coniunctione membrorum per pronomina relativa maxime, aut particularum, quibus membra copulantur, denique tota forma orationis, vel directe res exprimentis, vel suspensae alicunde, obliquam dicunt: in quibus etiam proclivior lapsus, sicut in tota hac struendae orationis per tempora et modos ratione; quod linguae recentiores, velut vernacula nostra Germanorum, in eo illam subtilitatem nec servant, nec omnino capiunt. In quo dolendum est, in libris grammaticis, in parte quidem ea, quae ad structuram verborum pertinet, esse vel omnino non, vel non accurate praeceptum.

Est etiam Latinis tum universis communis quidam, tum Ciceroni proprius componendorum primum membrorum, isque varius, pro generis dicendi varietate, modus; deinde etiam verborum in ipsis membris singulis, ut suum quodque membrum, ex ipsius rei natura, aut a propria quadam vel perspicuitatis, vel gravitatis, vel gratiae causa, teneat

locum. Hanc rationem oportet bene habere cognitam vel usu, et inde nato eius sensu quodam, vel etiam causis eius perspectis: de quibus est a nobis etiam dictum in rhetoricis praeceptis: ut, si quid perturbatum, loco motum, atque etiam si ex eo ipso corruptelae singulorum verborum natae sint, id animadverti et restitui ordo verus, et sanari vitia possint. Atque ea res prodest etiam ad parentheses recte notandas, quae praesertim in rhetoricis et philosophicis libris non animadversae, corruptelis locum fecere: ut nihil dicam de eo, quod omnibus libris est commune, magnam esse diligentiam adhibendam in tota orationis serie eiusque copulatione perspicienda, ut, si quae pars loco mota sit per aliquam causam, ut per similitudinem clausularum, id animadverti, et vera series restitui possit, nec minus, ut lacunae, quae ex eadem causa interdum ortae sint, deprehendantur, earumque explendarum cura suscipi inirique ratio possit: cuius generis exempla a nobis plura notata reperient lectores notarum nostrarum.

Illud quoque admodum necessarium est ad Criticam in Ciceronis libris recte exercendam, ut sensum venustatis, concinnitatis, numeri et soni orationis Ciceronianae, tum eius de iis virtutibus praeceptis cognoscendis, tum auribus, iis notandis et sentiendis usu multo tritis, habeas, per quem animadvertas, si quid a Ciceronis consuetudine et perfectione abhorreat, et correctione indigeat. Primum igitur Cicero est valde diligens in tropi genere per

singula verba, quibus sententias exprimit, conservando. Oportet igitur videre, an omnia verba in instituto tropo consentiant necne: ut si quid discrepet, de consensu restituendo cogitari possit. Quo nos modo plura restituimus in tractando Cicerone, quae deinde etiam interdum in libris vel scriptis, vel olim editis reperimus. In quo genere insigne est, ut hoc utar, exemplum in II de Orat. ubi ex vulgato *cantu colorari* fecimus *tactu colorari.* Tum praeter caeteros omnes diligens est Cicero in verborum, quae sibi respondeant in singulis membris, similitudine et membrorum aequalitate conservanda: in quo est magna orationis suavitas et concinnitas. Sed in utroque genere interdum librarii peccavere, vel mutanda verborum singulorum forma, vel omittendo aliquo verbo, quod vitiose redundare putarent. Omnino est quaedam quasi iusta orationis, etiam in singulis membris, mensura, quam aures veluti tenere debent, ut ad eam exigere membra, praesertim in periodorum clausulis, possint. Nam potest sententia recte esse expressa, nec tamen habere illam iustam mensurae magnitudinem, quam Cicero dicit *aures suas explere.* Vnde necesse est, videre, ne diminutis parte aliqua iustae magnitudinis sententiis, fraus Ciceroni facta sit; et si quid huiusmodi sentiamus, vel sentire videamur, videamus, an ei restituere, quod ademtum videatur, legitime possimus. Est etiam in pluribus proprius quidam Ciceroni collocandorum verborum modus, ipse quoque, vel ad facilitatem et quasi laevitatem

orationis, vel ad suavitatem et numeri gravitatem comparatus: cui si adsuefactae aures sunt, facile offenduntur in diligente lectione, et curam afferunt quaerendi, si restitui Ciceroni ordo suus possit. In numeris autem orationis satis constat, ipso Cicerone auctore, non omnibus Latinorum, sicut nec Graecorum, auribus idem placuisse; sed ipse in Oratoris libris quid sibi placuerit, satis demonstravit. Itaque non dubitari potest, quin ad ipsius praecepta exigi oratio eius debeat, ut, si quid ab illis ab ipso probatis veluti modis discrepet per negligentiam librariorum, orationem ad eorum veluti cantum revocemus.

Haec omnia igitur bene cognita esse debent Critico Ciceroniano, et in textu Ciceronis tractando recensendoque et castigando diligenter adhiberi, ut primum si quid in eo sit, quod iis repugnet, medicina circumspici, eaque recte adhiberi possit. Sed huius medicinae genera duo sunt, quorum alterum a libris est, alterum ab ingenio Critici ipsius. Ac de libris quidem universe, tum scriptis, tum iis qui e scriptis per typographorum formulas facti sunt, nulla est dubitatio. Sed in eo diligentia est adhibenda varia. Atque illa quidem, quae est in scriptis pluribus et bonis adhibendis, ea quidem necessario habet hunc modum, quem res facit: estque in eo facilitas quaedam, si cui plures iique boni contigere: nec minus in editis, ex eo, quo diximus, genere. Sed tamen hoc primum expectari ac postulari potest, ut et scriptorum ab aliis traditas, et suorum lectiones diligenter conferat, si quid in iis sit, quod Ci-

ceronis videatur, vel ex earum vestigiis vera lectio reperiri possit: tum, ut editionum seriem, et veluti genealogiam cognoscat, curetque, ut ea universa uti possit. Ad quam facultatem prodest notitia illa Critica editionum, qualem recentiores Critici tradere instituerunt, nosque in Fabricianae Bibliothecae latinae castigatione tradere e multa et diuturna observatione elaboravimus: sed oportet etiam, si tales copiae ex utroque genere contigerunt, videre, ut iis recte ac satis diligenter utatur Criticus, ut nec sibi bona eorum elabi sinat negligentia usurpandi, nec iis in fraudem inducatur perverso favore in aliquod exemplum, vel propter raritatem, vel quia suum est, vel alia simili causa. Omnino autem debet usum et scriptorum et editionum veterum, per observationes Criticorum, tum suo ipsius usu, cognitum habere: nec minus vulgata Criticae artis praecepta de delectu lectionum recte faciendo: de quo multa dicere non est nobis necesse. Sed ea nihil proderunt, nisi qui ingenium sollers usu et exercitatione multa acuerit ad lectiones veras, per librorum vestigia, et rei ipsius contextusque indicia, odorandas.

Sed non omnia per libros sanari possunt: etiam ingenii quaedam in eo et doctrinae pars est, coniecturam vulgo non bene vocant: Enimvero hic non semper coniectura res agitur: nam ea in dubiis rebus modo locum habet, estque plerumque incerta: sed saepe etiam iudicio certo, quod in emendando sequi Criticus debet, ut saepe et a multis factum est, invitis quamquam saepe non satis huius artis peritis.

Nam quae secundum eas rationes, quas supra explicavimus, manifeste sunt vitiosa, ea quidem etiam sine libris corrigere necessarium est, nec committere, ut vitia relinquantur in Ciceronis oratione, quae in nostris eloquentiae latinae tironibus nemo satis latine doctus ferat: cuiusmodi plura nos emendavimus ut in aliis libris antiquis, sic in Cicerone. Atque pro eo etiam res loquitur. Nam quod in aliis scriptoribus latinis saepe nobis usu venit, ut, quae de tali iudicio correxissemus, ea deinde in libris vel scriptis, vel olim editis, reperiremus, id sexcenties in Ciceronianis contigit. Quare, quod in aliquo genere tam saepe firmatum est libris, non idem etiam sine libris recte fiat in eodem? Statui latinitatem veram postulare *non habeo*, *quod scribam*, non *quid scribam*, id triginta v. c. exemplis firmatum a libris habui, in quibus *quod* esset, ubi alii *quid* haberent. Non ergo necessario corrigam ac iure in exemplo primo et trigesimo, etiamsi nullo in alio libro reperim? De qua re egregie et plane ex mente nostra reperi nuper praecipientem Faërnum, quum eius editionem Philippicam nactus essem, in epistola ad Victorium, quae ei est praeposita. Sed hanc universam sollertiam vix aliquis rectius aut certius consequetur, quam qui multum sit in interpretando exercitatus: nec vero sic modo, ut sibi quaesierit, quid Cicero dixerit ac senserit; in quo quaerendo prima est, recte praecipiente Quintiliano, cura, ut, emendata lectio sit nec ne, videamus. Sed in primis ut aliis: nec tam, aut tantum in cathedra Academica, ubi

solus loquitur doctor, et tantum, quod sibi in mentem venit, pronunciat, sed etiam, ac multo magis in scholis iis, ubi communiter quodammodo cum discipulis quaerit ac disserit. Nam quod Casaubonus in intelligenda scriptorum antiquorum oratione saepe sibi accidisse dicit, ut, quum solus sibi legeret, sibi videretur plane intelligere; quum perspicuis et planis verbis explicandi necessitas oblata esset, fraudem se sibi fecisse intelligeret: idem profecto doctissimis etiam et in critica ratione bene exercitatis viris accidere potest, ut, dum ipsi sibi legunt verba scriptoris, non animadvertant vitium; quum ea alios legere audiant, ut explicandi periculum faciant, sensum ex vera latinitate quaerant, temporibus, modis, similibusque ad legitimam formam exigendis, ut troporum consensum videant, membrorum aequalitatem, concinnitatem requirant, collocationis elegantiam, et numerorum suavitatem animadvertant, tum ut vitia orationis videant, et de iis sanandis cogitent, atque ita cum discipulis ipsi ad illam sollertiam acuantur. Mihi quidem hoc centies usu venit, in primis in illis exercitationibus interpretandi auctores latinos, in primisque Ciceronis, quas solitus antea sum instituere cum iuvenibus supra vulgarem modum proficere in literis graecis et latinis cupientibus, ut non modo, dum ipsi haererent, et a me de observationibus istis grammaticis et rhetoricis admonerentur, veram lectionem reperirent, aut quae in ipsorum exemplis non erat, aut quam ipse mihi statuissem: denique etiam interdum melio-

rem ea, quae mihi in mentem venerat: cuius generis exemplum qui requirant, notam legant ad Orat. II, 14, in verbis *quasi tactu colorari*, aut praefationem ad Vol. I, quo loco de libris de Oratore diximus.

Quod si iam quis, qui criticam artem privatim, aut in scholis, eo, quo diximus modo, in Ciceronis libris usurparit atque exercuerit, sitque adeo multa, assidua et curiosa lectione in eorum lectione versatus; si ergo idem velit eos iam recensendo textum accurate constituere, in eo requiram haec duo: primum, ut antequam ad scribendas notas accedat, totum Ciceronem, saltem libros eius omnes ex eodem genere, ut rhetoricos, ut orationes, uno tenore perlegat, omnia examinet ad rerum naturam, et dicendi regulas, tum notas breves adponat, quid corrigendum sit, quid dubitandum, quid quaerendum restet. Hoc autem facto notas ipsas recensionis eodem modo, hoc est, eadem temporis continuatione scribat, ut recentis memoriae auxilio uti possit; nec alio loco relinquat, quod alio sustulit, aut alio loco dubitet, de quo alibi non dubitavit. In his autem generibus, inprimis posteriori, saepe a multis doctissimis viris peccatum esse reperi: cuius rei memorabile exemplum est, ut hoc utar, in libri de Inventione secundi cap. 22.

Iam si quis ad haec nostra de Critica Ciceroniana praecepta exegerit claros Criticos, qui in Cicerone recensendo elaboraverunt, non ille quidem in uno repererit omnia; sicut nec nos reperimus: estque

omnino perdifficile, illa unum habere omnia, sed tamen per plures distributas eas virtutes deprehendet. Erant autem inprimis quinque, quae in Critico Ciceroniano perfecto spectando diceremus: in his prima exquisita latinitatis scientia in singulis verbis formisque dicendi; secunda eadem in analogia linguae universae, ut in temporibus, modis, similibusque; tertia erat in sensu venustatis, concinnitatis, numeri atque soni orationis Ciceronianae; quarta usus rectus et accuratus librorum antiquorum, tum scriptorum et editorum, cum ingenio odorandae verae lectionis per vestigia eius in libris antiquis.

Ac in primo quidem genere laus quibus debeatur, reperiuntur plures in iis Criticis, qui Ciceronem tractavere, in primis Victorius, Manutius, Lambinus, Gronovius, Graevius, sed maxime et saepissime Victorium reperi in eo genere Ciceroni profuisse et ad intelligendum, et ad emendandum: ut qui profecto interdum sola illa scientia indagarit, et restituit lectionem veram, ut *cretionibus* in Orat. I, 22; nisi vero ille in libro antiquo scripto, ut nos in Erlangensi, reperit et sine eius mentione recepit; quod aliis locis in tali genere suspicati sumus, fortasse falso, quum eas lectiones, praesertim eam, quam commemoravimus, e latinitatis interioris scientia, reperire potuerit.

Alterum genus haud paullo rarius reperitur, nullumque omnino reperi, qui in eo se mihi satis diligentem probaret. Ac mihi videtur haec ratio vel non satis cognita, vel neglecta fuisse, quod nullis

Grammaticorum praeceptis tradita esset, et solo usu quodam cognosceretur, ut ea sensu magis ingenii sollertis, quam ratione praeceptorum constaret. Mihi certe ipsi res ea primum sensu cognita est: deinde admonitus coepi rationem universam indagare, ut et alii, sed, quos quidem sciam, pauci fecere, donec per Gesneri nostramque disciplinam ea vulgatior facta est. Et illa superior quidem eius rei vel ignorantia vel negligentia cum ipsis ex eo genere vitiis in libris scriptis, a linguis vernaculis, ut germanica, venit, cuius usus ab illa graecae et latinae linguae subtilitate longe abhorret. Nam quum libri scripti Ciceronis plerique, atque adeo meliores, ut ipse Victorius fatetur, e Germania fuerint, a Germanisque scripti, plura ex eo genere vitia per librarios irrepserunt. Vnum omnium plurimum hoc in genere sensisse ac vidisse reperi Lambinum: qui et saepe ex hac ratione corrigi textum voluit: sed tamen non constanter, ut nec alii; estque vel nunc, vel erit aliquando, ubi plures per disciplinam bonorum magistrorum huic parti analogiae latinae adsueti homines admirabuntur, vitia eius generis multa ex eo genere tamdiu a doctissimis viris nec animadversa, nec correcta esse. Nam ecce praeclarus ille Victorius, ille Ciceronis sospitator, huius rei inscitia etiam vitia interdum grammatica adspersit, ut ad Div. VIII, 14; quum pro *certetur* in MS. reperisset *cernetur*, verbi elegantia maiori motus id recepit: non male qua verbum *cernendi*, sed vitiose in verbi forma, quum esse saltem deberet *cernatur*. Non

multo aliter accidit in genere venustatis et concinnitatis, coniunctarumque virtutum. Nam etsi eius facilior sensus est, facilius etiam, si quid vitii ea bona macularit, iudicium, quod et praeceptis Ciceronis ipsius regi potest; tamen neminem fere in eo genere emendandi constanter versatum reperi: unum illum rursus Lambinum, virum sollertis ingenii et philosophia bene subacti, magis caeteris. Atque ille etiam Victorio aliquot locis, aliquo etiam, ad Philipp. V, 6, valde aspere inscitiam elegantiae latinae exprobrat; quum ipsi vicissim, a Grutero in primis, audacia in corrigendo obiiciatur: et quum maxime evidens res est, quidam dicunt: *reciperem, si libri iuvarent.* Nec tamen negaverim, virum illum excellentem interdum illius sensus et iudicii sui fiducia plus quam deberet, sibi sumsisse. Sed non pigeat de eo dicere, quod de *Bentleio Sam Clarkius* ad Homerum; meliorem esse hanc elegantem audaciam, quam aliorum timidam vel modestam in eo genere, vel inscitiam. Ei adiunxerim P. Manutium, sed ita, ut eum non aequet.

In quarta autem ratione, quae in librorum scriptorum usu inest, maior numerus est eorum, qui bene de Cicerone meruerunt. Et fuit hoc genus emendandi, uti debebat, primum, quo Critici in Cicerone uterentur: sed tamen plerique non satis neque caute, neque diligenter: quum alii interdum libris iis, quos ipsi haberent, nimis faverent; alii cum bonis eorum etiam sordes, in primis antiquitatis et iusolentiae, inferrent; quod in Victorio ma-

xime reprehensum est, itemque in Grutero et Gebhardo. Sunt etiam in vitio quidam hoc, ut, in re satis manifesta, propter paucitatem librorum scriptorum, non audeant recipere lectionem meliorem; quod tantum in ambigua re valere debet. Sed in nullo genere magis vidi peccasse viros doctissimos, quam in usu editionum primarum vel negligendo, vel parum diligenter adhibendo. Id vitium ortum est primum ab admiratione editionum Aldinarum: quae ut in aliis exemplis, sic in Ciceroniano tanta fuit olim apud plerosque, ut ea basis fieret in textu Ciceronis recensendo, superioresque editiones fere negligerentur. Itaque apud Victorium et alios saepe reperi, quum lectionem aliquam pro nova, e libro suo scripto, aut etiam ingenio afferrent, quae dudum in Romano aut alio exemplo prolata erat: quod omnibus ad Graevium usque commune est. Eius generis exempla multa in notis nostris reperient, qui legerint. In primis non potui satis mirari, quod illi editores veteres, nominatim Victorius, tam negligens editionum primarum, ut Romanarum, fuerit, quarum exempla ei reperire non difficile esse potuit. Eum interdum suspectum habui fraudis, quum ille e suo libro veteri vel codice se recepisse diceret, quod est in editione Romana, et unum exemplum eum fere ab hac suspicione liberavit. In epist. ad Divers. IX, 22, in disputatione de verbis obscoenis, Cicero ait, Senatorem aliquem aliquando in senatu dixisse, *culpam hanc an illam maiorem putas?* quo nihil potuerit

dici obscenius. Hic nemo potuit obscenitatem reperire: sed et nemo correxit. Gruterus ad extremum dicit, Politianum in exemplo suo notasse *pulpam* pro *culpam*. At enim *pulpam* est in editione Romana: qua si usus esset Victorius, locus utique ab eo esset inde correctus. Atque etiam illa frequens est in hoc genere negligentia, quod ita exemplis, si qua habuerunt antiquiora, usi sunt plerumque, ut appareat eos non totum textum eorum contulisse, sed tantum per occasiones inspexisse, ut, quum haererent in aliquo loco: et ne hic quidem semper. Aliquoties reperi, qui nollet recipere lectionem bonam, quod ea in uno tantum libro scripto esset, quum eam in omnibus antiquis editis reperire posset. Graevium quidem saepe vidi, quum id, quod erat in exemplis antiquis, quae se dicit in manibus habuisse, non vidit, nec eo ad veram lectionem vel reperiendam, vel firmandam est usus. Nempe difficilis est et permolesta illa patientia laboris et constantiae in libris pluribus accurate ad χρίσιν hanc conferendis, ut nos bene sensimus; sed quod agendum est, constanter agendum est, et paulatim, in primis etiam fructu laboris saepe videndo, ad illius molestiae sensum obdurescit animus. Atque etiam est quaedam ratio illius laboris minuendi, eaque maxime tenetur tum, si res, ut supra praecepimus, uno tenore agitur in singulis libris, atque ita, ut ante oculos sit tota librorum consulendorum quasi cohors, quae etiam minuitur, si, quae sint exempla novae recensionis ex iis tantum repetita, cognoverimus.

Sed haec, quae de Critica Ciceroniana diximus, eiusdemque vario usu inter viros doctos, qui opera Ciceronis edidere e sua castigatione, multis exemplis firmata reperient lectores, tum in notis nostris, tum etiam in praefationibus singularum partium.

Ceterum tota hac de perfecto Critico Ciceroniano disputatione non hoc voluimus, ut supra diximus, efficere, ut nos pro tali haberemur: non hoc nobis sumimus; nec tali consilio solent tales disputationes fieri: sed ut intelligatur, quam nos normam in nostra hac recensione Ciceronianorum librorum secuti simus, quam nisi quis certam ac definitam accurate sibi in quocumque genere propositam habeat, ad eamque omnia pro facultate, exercitatione, et usu diuturno comparata, dirigat, non ille, quod satis probetur, efficere potest. Sed quonjam de me dicere coepi, age de huius nostrae editionis institutó et consilio pauca dicamus.

Quum hoc ageretur ante aliquot annos, ut Ciceronianorum operum nova exempla fierent, rogatus, ut saepe a multis, sum, ut tandem aliquando textum ipse recenserem, eique notas meas adderem. Mihi quidem hoc olim non venit in mentem: observationum librum aliquando scribere in animo habui: sed id consilium, ut fit, exitum non habuit. Nunc quidem mihi passus sum rem persuaderi, quum praesertim usu tam diuturno, et saepe diligenter tractandis Ciceronis libris, non modo legendo, sed etiam, et vel maxime, interpretando, item conferendis antiquis exemplis didicissem, quam multa nondum

essent recte constituta. Summa autem instituti, quod in tali labore sequerer, fuit haec, primum, ut textum ipsum accurate recenserem, et secundum eas leges, quas supra Critico Ciceroniano scripsi, constituerem. Et sperabam, me in hac parte aliquid efficere posse, cum innumeras correctiones, tum ex libris, tum de iudicio et coniectura nostra, in exemplo meo scriptas haberem: denique etiam in magna exemplorum olim editorum copia versarer, quam etiam ex aliorum copiis ad hunc usum augere videbam posse. Basin novae recensionis feci exemplum Gruterianum. Ei, ad leges illas criticas castigato, subieci notas duplicis generis: quarum alterum pertineret ad rationem criticam: alterum ad interpretationem. In illo igitur et correctionum earum, quas in exemplo Gruteriano feci, rationem reddidi, ut correctionis veritas intelligeretur, et coniecturas proposui tum aliorum, tum in primis meas, ubi certa correctio non dabatur: in hoc loca aliquid obscuritatis ac difficultatis habentia, quam brevissime potui explicavi. In quo hunc tenui modum, ut quaecumque e clave nostra Ciceroniana disci et intelligi possent, ea non attingerem, cetera, in quibus aliquis, etiam non valde doctus, haerere posset, expedirem: in quo etiam rationem habuimus interdum elegantiae Ciceronianae, ut ad sensum adduceremus studiosos eloquentiae. Quibus in priori illo genere subsidiis librorum tum scriptorum, tum formulis typographicis factorum usus sim in singulis partibus, praefationes iis praepositae docebunt. Et scripti quidem nobis contigerunt

non nimis pauci, atque in his quidam egregii, qui multum nobis profuere: editonum autem copia ea, qua profecto nemo ante me instructus fuit. Nam et ipse in iis comparandis fui a multis annis diligens, et quorumdam copiam alii fecere. In iis autem usurpandis eam diligentiam adhibui, quam supra demonstravi adhiberi debere, quamque in omnibus aliis desideravi: speroque me eruditis hominibus, si non omni ex parte, in hac certe satisfecisse. Praeter exempla autem haec, quibus notae meae additae sunt, ad scholarum usum etiam alia facta sunt, quae solum textum haberent, additis sub textum lectionibus exempli Gruteriani, quibus inspiciendis, quid in illo textu a nobis correctum sit, videre quisque potest, qui castigationem nostram totam brevi tempore perspicere velit. Atque etiam Clavem multis locis vel auxi, vel emendavi. Nam dum omnes deinceps libros summa diligentia relegebam, ubicumque aliquid occurrebat, quod esset ex eo genere, cuius in illa Clave ratio haberi deberet, id an in ea esset nec ne, requisivi, atque si in superiori editione praetermissum esset, addidi. Et non pauca iam adscripta erant in exemplo meo tum ex meis, tum ex aliorum virorum doctorum observationibus, in quas ego, legendis eorum scriptis, incideram.

Restat, ut sicut in singulis partibus seriem et rationem exemplorum editorum tradidi, sic hoc loco editiones operum universorum recenseam. Id iam olim fecimus separatim, et nuper in editione nova Bibliothecae latinae Fabricianae brevius: sed ea hic

repetere accommodate ad huius operis rationem non alienum putavi.

Sectio II.

Operum universorum Ciceronis per partes edendorum consilium primi coepere Germani duo, Sweinhemius et Panartius Romae; quum ante in monasterio Sublacensi, in quo initium edendorum formulis typographicis librorum fecere, libros de Oratore et Epistolas ad Diversos edidissent. Nam, ut ex epistola Io. Andreae, Episcopi Aleriensis, ad Sixtum IV de libris in eorum officina editis, patet, omnes Ciceronis libros, praeter eos, qui sunt de Inventione, edidere; etsi non eo consilio, ut unum corpus facerent: nam non eandem formam habent, in primisque volumen, quod de officiis libros, et iis adiungi solitos libellos habet, longe minori ceteris forma est, orationum autem volumen omnibus aliis maius est. Videtur et Nic. Iensonus Venetiis universorum per partes edendorum consilium habuisse: sed id exitum non habuit. Primus igitur proprie omnium Corpus fecit et quatuor voluminibus maximae formae Mediol. 1498 - 1499 edidit Alexander Minucianus, qui Mediolani literas latinas docebat, idemque officinam typographicam habebat, unde multi veterum latinorum scriptorum libri prodiere: de eo, eiusque libris videndus Saxius in Hist. typ.

Mediol. p. ccccxvi et dciv. Sed ille saepe modo repetebat ab aliis edita, ut Tacitum Beroaldinum, de quo in praefatione ad editionem nostram Taciti diximus. In Ciceronis operibus quid vel praestiterit, vel praestare voluerit, in capite primi voluminis dixit. Ac primum se libros Ciceronis, ait, non ad ordinem temporis edidisse, sed quem necessitas praescriberet, dum vetustiora exemplaria e diversis et longinquis locis arcesseret. Id videtur tantum ad primum volumen pertinere, in quo liber, qui Orator inscribitur, Bruto praepositus est, addita admonitione hac, quod Bruti exemplum, dum Orator exprimeretur, nondum habuisset: nam ceteri libri omnes eo, quo ab aliis, ordine in singulis voluminibus collocati sunt. *Vetustiora exemplaria* utrum scripta intelligat, an formulis typographicis descripta, pro consuetudine illorum temporum, quae et haec ita, Codices item appellabat, videtur intelligi posse ex epistola eius ad Trivultium, in qua sic de sua opera loquitur, ut magis editis quam scriptis exemplis singularum partium usus esse videatur, nempe quae priora essent iis, quae tum vulgo in manibus versarentur; vidique conferendo, eum in singulis libris quandam superiorem editionem sequutum esse, de qua in ceteris praefationibus interdum aliquid monebo, patebitque etiam res ex notis meis. Habuit huius exemplum e bibliotheca Lugdunensi Graevius, sed eo admodum negligenter est usus. Nos et ipsi eius exemplum habemus, sed quod volumine epistolico caret.

Huic proximum exemplum est Ascensianum Parisiis 1511 fol. totidem voluminibus. In eo esse repetitionem Mediolanensis, quibusdam ante indiciis cognoveram, nisi quod a correctore Ger. Vercellano quaedam mutata dicuntur e Budaei exemplo et de ipsius iudicio, itemque Guil. Maini, praeceptoris liberorum Budaei, et in margine variae lectiones, undecunque ductae, nominatim Becichemi Scodrensis coniecturae in Rhetoricis libris. Sed comparando exemplo eius posthaec meo diligenter, reperi, eam in paucissimis ab Mediolanensi differre: ut qui eam habeat, Mediolanensem se habere possit existimare.

Sequuta est Aldina, coepta a. 1519, absoluta 1523 novem voluminibus. Aldus in praefatione ad epistolas ad Atticum, a. 1513 dixit, omnia Ciceronis opera reliqua (nam et epp. ad Div. ante a. 1502 ediderat) se tribus voluminibus editurum eaque sic emendata, ut pauca in iis desiderari possent: eiusque rei initium fecerat a. 1514 editis rhetoricis libris uno volumine, quaternis. Sed mors eius, anno 1515 insequuta, consilium irritum fecit. Repetiit consilium Andreas Asulanus, isque negotium mandavit Andreae Naugerio, a quo nova editio rhetoricorum librorum et philosophicorum, itemque orationum curata est: nam epistolae e superioribus exemplis repetitae sunt, vitiis modo typographicis sublatis. Naugerius autem profitetur ille, se veteres et emendatiores libros contulisse, et omni conatu enixum esse, ut quam castigatissime omnia prodirent. Sed haec professio est communis omnibus veteribus

librorum talium editoribus. Iam non hoc negari potest, quibusdam libris ac locis meliorem textum factum esse; sed non tamen id valde multum est: nec vero illud etiam negandum, multis locis esse inductas lectiones non bonas aut antiquas, ut nihil de vitiis operarum dicam. Ceterum fama officinae Aldinae fecit, ut mox huic editioni principatus tribueretur, et omnibus, qui vel universa opera, vel partem aliquam edere castigareque instituerent, pro basi esset: unde maxima ut opinor negligentia superiorum exemplarium nata videtur: quum vulgo putarent, quidquid in illis esset boni, id in haec exempla esse congestum. Quae et causa fuit, quare in commemorandis Ciceronis locis huius editionis paginas sequerentur, ut in primis etiam fecit Nizolius. Ceterum, quae illa editio in singulis partibus peculiaria habet, suis locis dicetur. Argumentum auctoritatis, quam nacta esse diximus huius recensionis exempla, vel illud est, quod quum Parisiis Ascensiana officina a. 1522 novam operum universorum editionem institueret, non illa priorem suam repetiit, sed Aldinam, servatis tamen prioris in margine lectionibus, sequendam sibi putavit.

Proxima quae est huic, Basileensis prima Andr. Cratandri, a. 1528 fol. tribus voluminibus curata, et ipsa basin fecit Aldinam, cuius et ordinem in orationibus recepit, quum in rhetoricis libris veterem Badii servasset, qui Topica et Partitiones libris de Oratore praeposuit. Sed ea multis rebus Aldinam vincit. Nam primum habet multa nova et prae-

cipua prae superioribus bona. Praefuit ei curandae Mich. Bentinus, vir eximia literarum scientia, in ipsa hac Ciceroniana castigatione mortuus. Posteaquam vero Cratandri institutum pervulgatum per Germaniam est, plura et egregia ei subsidia missa sunt. Conr. ille Peutingerus misit aliquot orationum pro Flacco, et in Vatinium ab Hieronymo Rorario acceptas reliquias, venerandaeque vetustatis exemplaria. Hartmannus, ICtus et Principis Palatini ab actis secretis, Codicum Heidelbergensium usum impetravit, per quos pluribus locis veram lectionem restitutam ait Bentinus. Alios codices subministravit Io. Sichardus, alios Cratander ipse, ea de causa peregrinatus, non parvis impendiis compararat. Accessere etiam sex epistolae ad Brutum, nondum ante editae. Nec illi Codices levis pretii erant. Nam hi fuerunt fere Codices Germanorum, quos Victorius ceteris meliores appellat; usus ille hac editione, ex qua multas lectiones vel textus, vel marginis, recepit, quas vulgo ab eo primo editas putant. Nec vero Bentinus fecit, quod alii fecerant, ut, quod ipsi placeret, in textum reciperet, quae diversa in libris reperisset, reticeret: sed diversitatem lectionum in margine posuit, ex qua, ut in Graecis in primis locis epistolarum, apparet, ab eo editiones primas, ut Romanas, inspectas esse. Praemissa etiam sunt excerpta e priscis et recentioribus scriptoribus, ad interpretationem locorum difficiliorum pertinentia, et additi primum indices copiosi. Itaque haec editio operum Ciceronianorum inter principes, non

modo aetate, sed etiam bonitate numeranda, superioribusque longe praeferenda est.

Huius editionis exemplis brevi tempore divenditis, aliam Basileae instituit curare ibidem Hervagius, quae tomis quatuor formae maximae a. 1534 absoluta est, chartis et literarum formis pulcrior illa et splendidior. Nec vero ceteris rebus non habet, quo commendetur. Non est dubium, quin, qui ei praefuit, textum, qualis est in Cratandrina, basin novae recensionis fecerit; neque tamen eum simpliciter repetiit, sed iudicio suo usus est, comparatis primum, ut in epistola ad notissimum illum Caroli V Cancellarium, Heldum, dicit, exemplis antiquissimis (singulorum nimirum librorum) Romanis, Florentinis, et Venetis; quorum, nominatim Romanorum, etiam vestigia quaedam animadverti, sicut in Cratandrina, nec modo inter varias lectiones, sed etiam in textu, ut Attic. I, 18 extr. etiam scriptis, in his etiam codice *Gabrielis Florentii Talenti*, Mediolanensis Senatoris, ex quo oratio pro *Publio Sextio* tertia prope parte auctior facta est, expletis superiorum exemplorum in ea lacunis. Imitatus est etiam Cratandri exemplum in lectionibus diversis notandis, sed ita, ut eas e marginibus amoveret, et peculiari libello comprehensas ad calcem operis universi reiiceret, pulcritudini magis consulens, quam usibus lectorum. Observavi pluribus locis lectiones huius editionis consentire cum Victorianis, iisque his, quae primum a Victorio receptae in textu esse vulgo putentur, sed tamen etiam vitia, ut

pro *Fonteio* c. 4, *hominibus* pro *nominibus*, et alia.

Sed eodem tempore hoc saxum volverat Petrus Victorius, eodemque anno prodire eius ex recensione Ciceronis opera coepere Venetiis apud Luc. Ant. Iuntam, absoluta a. 1537, quatuor voll. pulcherrimis omni ex parte huius generis. Ea editio tantum habuit apud viros doctos commendationis, ut ipse *Sospitator Ciceronis* coeperit appellari. Ac profecto ille superiorum de Ciceronis libris merita, quamquam non contemnenda, ut vidimus, multum superavit, praesertim diligentia veteres libros scriptos conferendi, et inde textum vulgatum emendandi, sed tamen, ut nos quidem cognovimus, magis et saepius multo in epistolis, quam in ceteris libris, quas ille, ut tum plerique, in primis curiose tractarat. Itaque et in alios libros, philosophicos et rhetoricos, in hos quidem, ut ipse ait, inopia librorum meliorum, paucas notas scripsit, in orationes vero nullas. Atque etiam in exemplis editis usurpandis eum minus diligentem fuisse, supra et alio loco dixi. Reperi etiam, eum interdum coniecturas suas, etsi parum evidentes, in textum intulisse, ut in epp. ad Div. IX, 16, ubi verbum *famam*, sola coniectura ductus, pro *offensionem* edidit, quum id verbum in Codice Medicaeo non repperisset: exciderat culpa librarii: cuius rei deinde eum poenituit. Atque ille locus etiam confirmavit suspicionem, aliquoties mihi oblatam, quum diceret, aliquid aut in nullo codice scripto esse, aut in omnibus, id ad eos modo perti-

nere, etsi perpaucos, quos ipse in manibus habuisset. Nam ad illum locum dicit, in prima notarum editione, verbum *offensionem* in nullo libro scripto esse: in nova castigatione, quum opinionem illam suam, et correctionem retractat, solum Medicaeum commemorat, a quo inductus fuerit, ut novam lectionem coniectura quaereret, quod ab eo id verbum abesset. Camerarius hoc etiam reprehendit, iure, quod in nonnullis iusto plus tribuerit libris suis, et plura contra usitatam et vulgatam in editis lectionem exquisierit, affectato antiquitatis studio, et verborum insolentiorem scripturam, ut *apisci*, *boca*, *flamma*, *conlocare*, *exprobare*, *ostes*, *repueriscere* etc. receperit.

Ceterum errorem hic meum, in quem ab aliis inductus sum, corrigere convenit. Repereram editionem Victorianam secundam commemorari, quae Florentiae a. 1571 facta esset, literis vulgaribus, *cursivas* vulgo vocant. Id ego temere credidi, quum nullum eius exemplum mihi occurrerit, nec eius quovis pretio emendi facultas mihi data fuerit. Firmarat errorem Graevii ad Epistolas ad Atticum praefatio, in qua se textum earum dicit maxime composuisse ad postremam Victorii editionem, quae Flor. 1571 facta esset, quamquam a Malliabeceo accepisset: non diserte tradens, id ad solas has epistolas pertinere. Denique in manus meas venit superiori anno exemplum epistolarum ad Atticum e secunda Victorii recensione, illo anno Florentiae editarum, eo, quo traditum reperi, genere literarum: ex quo intellexi,

non illam Venetam editionem operum universorum Ciceronis repetitam esse, sed hanc tantum partem; de cuius exempli ratione diligentius a nobis in praefatione ad illas epistolas dicetur.

Quum valde probaretur Victoriana recensio, statim reperti sunt, qui eam repeterent, quidam quidem sic, ut fere nihil, nisi repeterent: alii cum iudicio et delectu. Ex illo genere est maior Roberti Stephani editio Parisiensis a. 1539, f., quae in ipso titulo se Victorianae filiam profitetur, ut Lugdunensis Gryphiorum ann. 1540, 8, facta, aliquoties deinde illa repetita: in quibus repetitionibus tamen, ut in ea, quae 1555 facta est, aliquid e Manutiana recensione accessisse titulus profitetur. Nam Io. Mich. Brutus, qui apud Gryphios Ciceronis opera curavit, a. 1578 sqq. professus est ille quidem in praefatione, se in ea diligenter versatum esse: sed ea tractanda cognovimus, eum libris scriptis usum non esse, coniecturas tantum exercuisse, in quibus ipsis interdum sunt non novae, maxime tamen animadversiones superiorum editorum collegisse, et ex iis, quid sibi placeret, indicasse; principatu dato Lambino: quae videtur esse causa, quare Gruterus et Gebhardus, Lambino nimis infesti, eum interdum durius tractarint. Sed in iis, qui Victorianam tantum repetiere, etiam Sturmianae numerandae sunt; quarum prima eodem, quo superiores illae repetitiones, anno Argentorati prodiit.

Ex altero genere Victorianae repetitionis est Basileensis tertia apud Hervagium facta, eodem anno,

cui Ioachimus Camerarius praefuit, quo nemo tum erat ab ingenio, doctrina, et curiosa Ciceronis lectione ad eam rem instructior et paratior. Nam Victoriani exempli (*Venetum* in notis solet appellare) fidem et auctoritatem in plerisque ille quidem sequutus est, ceterum priores lectiones, et ipsas e libris scriptis ductas, saepe praetulit Victorianis, sequutus rationem et iudicium suum, fugiensque illam, quam diximus Victorii κακοζηλίαν. In quo universo iudicio ille sequutus est etiam rationem dignam commemoratione, et iis, qui veteres libros tractare accurate velint, non ignorandam, sed ab eo primo inter Criticos, quod ego quidem cognoverim, proposita, quum quasdam lectiones librorum diversas esse eiusmodi dicit, ut suspicio esse vel possit vel debeat, non alteram ex altera, commutatione aliqua vel librariorum, vel correctorum, factam, sed utramque esse a Cicerone, per duplicem libri alicuius editionem, et novam eius castigationem: quam observationem vidimus suam fecisse Car. Stephanum in admonitione, libello var. lectionum praemissa Tom. II, pag. 682. Ceterum huius Camerarianae recensionis exempla facta sunt a. 1540, quatuor formae maximae voluminibus. Accessere Victorianae notae, quaedam ipsius Camerarii, in rhetoricos et philosophicos libros, epistolas ad Familiares, et orationes, libellus denique Var. Lectionum. Sed haec de Victoriana editione, eiusque quasi sobole dicta sunt.

Post eum proximus novae recensionis auctor fuit Paulus Manutius. Nam, quo tempore Victorius in

Ciceronianorum operum castigatione laborabat, idem agere coeperat ipse, adolescens tum duodetriginta annorum, ut ipse tradit; non interpres ille magis, quam imitator Ciceronis felicissimus, egeratque per plures deinceps annos studio curaque singulari. Etenim primum ille, in apparatu librorum, ad eam rem bene agendam congerendo, nullis sumtibus pepercerat, nulli labori. Profectus erat et Romam, regionesque peragrarat Italiae eas, in quibus essent Bibliothecae libris antiquis celebres, ut libros Ciceronis antiquos indagaret, ut narrat in praef. Epp. Cic. ad Fam. ad Maphaeum Leonem, nactusque erat tum illarum libros perantiquos a Bernardino Maffaeo, Vinc. Riccio, Vbaldino Bandinello (v. Schol. ad I, c. 10 extr.), a Io. Scala, Paullo Boto, Petro Bembo, Sigonio etc. (v. ad XII, 13), itemque Epistolarum ad Atticum, tum alios, tum in primis antiquum et bonum, ut ipse iudicat, Barth. Cavalcantis, librorum philosophicorum antiquissimum et optimum a Bernh. Maffaeo, ab aliis alios; rhetoricorum denique duos Borromaei, totidem Fulvii Vrsini et Latinii: nec in orationibus ei tales libri defuerunt. Comparaverat etiam superiora exempla edita, et in primis Victorii, cuius eum non raro lectiones sequutum esse reperi. Et his copiis instructus, quum omnes libros castigasset, edidit a se formatum ex Aldino primo textum, Venetiis 1540, voll. novem: a quo exemplo deinde cum alia, tum Aldinae officinae exempla fluxere, plura etiam quam a Victoriano. Sed hoc Venetum huius et proxime sequentium annorum

exemplum est priuigenium: quod, miratus saepe sum, neque ab editoribus Ciceronis recentioribus, neque ab his qui historiam editionum Ciceronis tradidere, commemorari. Sed omnino in edd. Aldinis parum vulgo sunt accurati: et fere solas editiones Aldi Nepotis, quae sunt plures, commemorant: et quum Manutii in lectionibus commemorandis mentionem faciunt, illam Aldinam maiorem in animo habent, quae extrema illius seculi parte facta est: de qua infra dicetur, sicut et de minoribus Aldinis. Vt ad illam genuinam Paulli editionem redeamus; ei Scholia addidit modo in Epistolarum ad Diversos volumine, quas scilicet iam ante separatim ediderat. In iis, quia Victorium vellicarat, habuit inde aliquid cum eo controversiae, quum is Castigationes posteriores in illas epistolas edidisset; qua re motus, ea post loca omisit; quae qui volent legere, vel exemplum epistolarum aliquod superius, vel editionem illorum Scholiorum in editione Rob. Stephani possunt adire, de qua nunc dicemus.

Rex tum Franciae erat Franciscus, bonarum literarum omnium amantissimus. Is et bibliothecam suam instruxerat omnibus copiis librorum hebraicorum, graecorum et latinorum, et formas novas elegantesque literarum omnis generis sculpi iusserat, in his earum, quas *currentes* vulgo vocant, inventas initio illius seculi a quodam Francisco Bononiensi, ut iis optimus quisque liber latinus describeretur. Eius rei initium fieri placuit in Ciceronis libris per Rob. Stephanum, typographum Regium. Is igitur annis 1543

et 1544 eos universos octo voluminibus minoris formae nitidissime edidit Parisiis. Volumina prima tria habent orationes, proxima duo epistolas, sextum et septimum libros philosophicos, ultimum rhetoricos. De ratione huius editionis nihil aliud tradit Robertus, nisi universe, multa esse quae in superioribus editionibus vitiosa essent, emendata, diligenti vetustorum exemplorum collatione: quod genus professionis, quam ambiguum sit, constat hodie inter eruditos. Nos quidem reperimus comparando, basin textus huius esse Manutianum, cuius lectiones multo saepius sequitur, quam Victoriani, omninoque rarissime deserit: quod quum facit, quia, qua auctoritate, aut ratione motus aliud ediderit, non constat, nullam dat idoneam causam imitandi.

Illis ipsis annis 1553 seqq. eadem in urbe, similibus, at minoribus literis, minorique forma, sed pariter nitide, undecim voluminibus edita sunt Ciceronis opera ex officina Simonis Colinaei. Eius exemplum ipse habeo. Professio praefationis est: *omnia collatis vetustis libris manuscriptis, idque adhibito iudicio, locis quam plurimis summo labore summaque diligentia emendata esse.* Sed collatio plurimorum locorum cum aliis exemplis docuit me esse meram repetitionem Stephanianae proxime superioris, quippe etiam interpunctiones vitiosas et perturbationes verborum servat. Reperi traditum, eundem opera Ciceronis, vel universa, vel plura edidisse ante a. 1532. Sed vereor, ne error in nu-

mero sit. In fine singularum partium Lectiones variae additae sunt.

Huic proxima est splendidissima, per Carolum Stephanum Parisiis a. 1554 f., quatuor voluminibus facta editio. Ei quis praefuerit, non magis traditur, quam in superioribus illis duabus. Sequutus est, ut conferendo cognovi, in universum quidem, textum Manutianum vel Stephanianum. Nam fere lectiones habet, quas primus invexit Manutius sequutusque est Stephanus. Professio editoris est in capite lectionum variarum, quae sunt ad calcem tomi cuiusque, e. c. T. I, p. 315: *maluisse se codd. veterum* (scriptorum an editorum?) *lectionem adnotare, quam per singula loca emendare; relicto lectoribus iudicio: sed ubi tria aut plura exemplaria concurrerint, et, re ipsa etiam loquente, locum corrigere necessarium fuisset, id ea se lege fecisse, ut hic quoque veterem lectionem adnotaret:* quae professio satis illa quidem honesta est, sed ambiguitatem in illo concursu plurium librorum habet: quod, ea exemplaria quae fuerint, aut qualia, non constat, et saepe plerique codices in vitiosa lectione consentiunt: denique non quam multi, sed quam boni libri consentiant, quaeritur. Sed pessime administratum esse hoc negotium res ipsa me docuit. Nam permultis locis vel expulsa est, dudum ante, bonorum librorum auctoritate, revocata lectio, vel inducta nova, quam in nulla inde ab Ascensiana prima reperi, eaque plerumque haud dubie deterior vulgata. Vt periti iudicare possint

ipsi, lectiones aliquot capitum unius orationis apponam. In Divin. igitur in Caecil. c. 1, pro *descendere* habet *descenderim*, — *praeponendum esse mihi*, pro *m. e. praeponendum*, — *provincia discessissem*, pro *p. decessissem*, — *supplices isse*, pro *s. esse*. C. 2, *in eum me locum adduci* (quod et Mediol. et Asc. habent, nec improbat Graevius), pro *i. e. m. l. adductum*, quod postulant verba *falleret* et *traduceret*, — *quod res quae*, pro *quod haec quae*, — *quia mihi unus*, pro *si mihi unus*, — *instituto meo video me* pro *instituto meo videor*. — C. 3, *hoc unum ius tot incommodis remedium esse arbitrarer*, pro *hoc unum his t. i.* etc. Atque tales mutationes in hanc unam orationem quatuor et sexaginta locis invectas reperi.

Vix operae pretium est commemorare editiones, quas invitatus a librariis Lugdunensibus curavit Io. Bulierius, primum 1562, 12; item 1568 minutissimis literis, vol. 8. Professio est usitata illa, nunc primum, optimis exemplis collatis, emendatum Ciceronem esse. Textus nullum certum exemplum, saepissime non bonas lectiones, maxime Aldinae, sequitur, cuius etiam praefationes habet. Variae lectiones in marginibus, sed valde raro sunt: scholia autem in iisdem, vel analysin habent orationum aut epistolarum ad Diversos, aut explicant breviter verba Ciceronis: quae fere de Erasmi et Melanthonis notis sumta sunt, in primis ad libros de officiis. Rhetorici libri carent talibus scholiis, itemque philosophici, praeter eos, qui de officiis sunt; rarissima

denique ad epistolas ad Att. et Q. Fr. Ergo haec editio nullius omnino usus est.

Sed haud paulo maior lux oborta est Ciceroni a Dionysio Lambino, qui, magni illius Erici Memmii hortatu, ad operam Ciceronis libris nova recognitione navandam se contulit, eiusdem etiam opibus in ea re adiutus. Erat autem Lambinus vir excellentis ingenii, eiusdemque et ad sensum veri et pulcri, omni genere doctrinae exculti, eamque rem tanto studio, tanta sedulitate agebat, ut intra biennii ac dimidii spatium, totum opus absolveret. Iam non ille quidem dixit, quod exemplum fecerit basin operis sui; nec est nimis facile id coniectura assequi, in tanta a superioribus exemplis aberrationum frequentia: tamen nisi vehementer fallimur, Manutianum textum vel ipsum, vel uti a R. Stephano repetitus erat, sibi corrigendum sumserat. Nam et exempla eius recensionis in Francia versabantur in manibus, et eius lectiones a superioribus exemplis discrepantes saepius eius textus habet, quas etiam interdum *vulgatas* vocat, ut ad Div. I, 5; nam ibi quum in textu sit, *omnium magno silentio est accusatus*, in notula ad eum locum dicit, alios habere *nimium m. s.*, idque firmari libris scriptis, sed se a vulgata recedere noluisse. Enim vero haec est lectio Manutiana et Stephaniana, quum praecedentes exprimant *nimium*. Codicibus scriptis usus est pluribus, quam superiorum cuiquam contigerant, et Memmio suppeditante, et aliis. Sed accusatur nimiae in immutanda lectione vulgata licentiae, ut

qui non modo e libris scriptis et editis, quod maxime placuisset, sed etiam e suis saepe aliorumque coniecturis textum mutaverit: qua accusatione in primis adversus eum usus est Gruterus. Iam illud quidem reprehendendum non esset, si modo semper, e quibus et qualibus sumsisset libris, indicasset, nec lectores codicum veterum commemoratione universa contentos esse voluisset: hoc autem si modo et ratione semper factum esset, nec ipsum nimis reprehendi posset. Sed quid in hanc partem de Lambino iudicandum sit, supra dictum est: et, ut concedendum sit, quod non defugiam, eum pluribus locis plus dedisse, quam deberet, suo aliorumque ingenio, atque adeo non semper veram Ciceronis manum expressisse (quis enim hoc vel religiosissimus editor, vel est consequutus, vel se consequuturum speret?) certe hoc videtur perfecisse, ut, quod intelligi posset, ac bene latinum esset, ubique ederet: eiusque adeo doctam et venustam audaciam multis locis praetuli Victorii, Gruteri, Gebhardi et I. Gronovii religioni: qui tamen et ipsi coniecturis suis, aut aliorum, etiam durioribus, interdum sunt obsequuti.

Sed in hoc de Lambini lectionibus iudicio etiam cavendum est, ne inscitia exemplorum peccetur, quae Lambini nomen habent, ut Grutero et Graevio accidisse vidi. Igitur tenendum est, ea modo exempla esse, qua textum, vere Lambiniana, quae sint anni 1566, f. eadem illa etiam sequentibus omnibus pulcriora. Nam Lambino a. 1572 mortuo, quum

nova exempla Ciceronis fierent, anno post, eius sub nomine, propter illos de eius audacia in corrigendo clamores, res ita instituta est, nescio per quem, ut omnes Lambini lectiones e textu in marginem eiicerentur. Vt uno exemplo defungar, quod iam in memoria recenti est: ad Att. XIII, 23, pro vetere lectione *sunt enim io n defecti*, reddiderat *detexti*: id in altera est pro coniectura in margine, in textu *defecti*; quod et in ceteris omnibus est servatum, in maioris formae illis, ut 1578, cuius exemplum cum prima habeo, tum minoris, textuique Lambiniano substitutus est alius superioris exempli; quod tamen non ita constanter factum, ut, cuius ille exempli sit, dici possit: nam nec praefationis aliquid additum est, in qua de instituto universo expositum sit: sicut et illud ipsum de lectionibus Lambinianis non satis diligenter factum reperimus. Itaque inane et fallax est, quod in quibusdam exemplis reperi additum titulo: *ad extremam Lambini editionem*: nam una tantum Lambini est, prima illa: ceterae hunc usum possunt habere, ut ex eius marginibus plerumque cognosci Lambiniana lectio possit. Huius igitur rei ignoratione deceptus e. c. Gruterus, aliquot locis Lambino inconstantiam exprobrat, ut ad Or. in Sen. p. Red. c. 5, in lectione *gratissimae civitatis*, pro qua in Victoriana datum erat *gravissimae*, quum dicit: *id ipsum Lambinus admissum priore editione, altera eiecit, reducto* gravissimae. Graevius autem ne cognitam quidem habuisse videtur primam, qui interdum e margine

edit. Lambinianae commemorat, quod est in textu primae. Sed tamen aliquid in secundis his exemplis est Lambiniani boni; nam notae multae sunt auctiores, et in marginibus etiam reperiuntur lectiones novae e libris scriptis. Vt exemplum saltem unum commemoremus, in epist. ad Att. XII, 46, ad verba *tantum mediocrius* nota secundi exempli est longior primi et in margine e V. C. notatum *modestius*.

Ceterum in illa recensionis cura a Lambino nimis sunt neglecta veterum editionum exempla. Itaque saepe accidit ei, quod et aliis, ut e libro scripto se primum emendare lectionem vitiosam putaret, quum lectio illa, ipsi nova, dudum in antiquis exemplis fuisset prodita. Lambinianum textum exprimere voluere Genevenses, auctore Gothofredo, item Gryphiana et Aldina denique etiam officina, notulis Lambini repetitis; utrum primum illum, qui vere Lambini sit, nec ne, non libuit de omnibus quaerere: in Genevensi quidem textus est ex editione secunda etiam cum notulis in margiuibus: quibus et aliae tum var. lect. tum brevia nec contemnenda scholia accessere.

Lambinianam editionem excepit Aldina maior, Venetiis ab a. 1578 ad usque 1583, decem voluminibus facta, cum *commentariis*, ut habet titulus, *exquisitissimis et elaboratissimis Paulli et Aldi Manucci*. Ea vero non est eiusmodi, ut novae recensionis nomen habere possit. Nam textus fere Manutianum Paulli exprimit, sed ita est vitiis operarum inquinatus, ut nihil supra: nec quisquam intel-

ligens eius auctoritate uti cupiat. Pretium habet omne a *Commentariis P. Manutii in Orationes, Epistolas et Officiorum libros*, qui ita elaborati hic primum prodiere, repetiti inde a Graevio. Aldi Nepotis notae fere sunt aliis sublectae, nec dignae Manutiano nomine, nec, praeterquam ad libros de Officiis, multae. Itaque miratus sum, quum a Reinesio legi var. lect. p. 326, Aldum appellari exactissimum Ciceronis interpretem, qui et maxime in lectionibus iudicandis debeat audiri. Sed accidit hoc facile etiam doctissimis viris, ut iis plurimum tribuant, quos sibi consentientes in aliqua re videant. Ceterum, quoniam passim lectiones librorum scriptorum memorat Aldus, in talibus locis consuli poterit. In quos libros nihil est Manutianarum notarum, in iis sunt aliorum ante editae notae.

Exstat etiam Ciceronianorum operum editio typis Wechelianis Hanoviae a. 1606, et Francof. 1609 expressa 8, auctore, non traditum est, quo. Textus dicitur esse ad Manutianam et Brutinam conformatus. Volumini cuique subiectae sunt notae ad crisin in primis pertinentes, satis copiosae, e variorum libris et notis delectae, commemoratis ubique auctoribus. In quo auctor est Brutum imitatus, quo tamen est copiosior.

Sed novi exempli editio paulo post curata est a Iano Grutero. Is usus est primum excerptis librorum scriptorum, quae itineribus per Franciam, Belgium et Germaniam factis, collegerat diligenter Io. Gulielmius, novam ille editionem Ciceronianorum librorum molitus, sed ante rem perfectam mortuus;

deinde e codicibus Palatinis ipse; adiuverant etiam in eodem genere Ianus Gebhardus et David Clericus, in epistolis in primis ad Diversos ille, ad Atticum hic. In Guilielmianis excerptis erant et, quae Carolus Langius et Suffridus Petri collegerant; de quibus legenda huius epistola in Gabbemae Collect. Epist. p. 243. Erat Gruterus in re critica eo, quo Victorius, sensu, ita libris scriptis addictus, ut manifesta saepe menda etiam accuratissimis et evidentissimis virorum doctorum emendationibus praeferret, eaque etiam explicare tentaret ac defenderet. Itaque basin suae editionis esse voluit textum Victorianum: quem tamen ille non modo e libris scriptis saepe mutavit, sed etiam interdum e coniecturis eorum quidem, quorum apud eum esset peculiaris quaedam auctoritas, ut Simeonis Bosii in epistolis ad Atticum. Editiones antiquiores et ipsas subinde commemorat, sed satis negligenter, non modo hanc in partem, quod primas illas Romanas et alias non requisivit nec consuluit, sed quod etiam pro primis laudat, quae non sunt, ut subinde in notis monuimus et in singulorum voluminum praefationibus. Et quoniam ipse omnino in conferendis libris antiquis aliorum opera usus est, veremur, ne non certa sint omnia, multa etiam praetermissa. Notas ipse suas addidit, nisi in epistolarum, ut ante dictum, item in Tusculanarum libris, ubi Gebhardi sunt.

Huius editionis exempla primum facta sunt Hamburgi ann. 1618, quatuor tomis maioribus, sed chartis ita fuscis, atque inelegantibus literis, ut Ci-

ceronem pudere debuerit, se ab superiori cultus lautitia repente ad tam sordidum habitum redactum esse. Ceterum propter auctoritatem Victorianae lectionis, ipsiusque Gruteriani nominis, haec editio principatum tenere coepit, ut ea omnium maxime genuinum Ciceronis textum exhibere putaretur. Itaque, qui post Ciceronis libros edere instituere, hunc sibi textum sequendum putarunt, ut Elzevirii, ut Blavii, et alii, qui et vitia illius editionis servarunt. Londinenses vero et totum opus Gruterianum pulcrius repetiere a. 1681 f. Itemque post, quum novam editionem molirentur Lugdunenses in Batavis, eiusque curam Iac. Gronovio permisissent, huius repetendae auctor fuit illis, non nisi paucis locis sua emendatione in textum illata, et suis notulis additis cum Asconii et alius Scholiastae veteris reliquiis; eaque postea pro emendatissima fuit, cuius textum et nos reddidimus, quum universa Ciceronis scripta ad usum scholarum repetenda formis Lipsiensibus ederentur. Atque etiam ceterae, quae hoc seculo factae sunt editiones, illum Gruterianum textum e Gronoviana recensione fere sequuntur.

In quibus prima fuit, quae ab I. Verburgio Amstelodami curata est anno 1724 variis formis: secunda Ios. Oliveti Parisiis facta 1739, repetita illa Genevae 1743, 4; de quorum instituto paucis dicendum videtur. Et Verburgius quidem in sua editione dedit notas integras Victorii, Camerarii et Vrsini, selectas ceterorum, qui post Victorium in Ciceronis libris emendandis illustrandisque labora-

runt, ut Manutii, Lambini, Guilielmii, Gruteri, Graevii, Gronovii etc. etiam var. lectionibus quibusdam sub textu notatis, et suis interdum notulis additis. Ceterum nec delectum illum suum, nec suas notas eruditis satis probavit. Olivetus autem hac ratione usus est in textu formando, ut nulli editioni se addiceret, etsi sola edita exempla sequi constituisset, sed editiones Victorii, Manutii, Lambini, et Gruteri compararet, hac lege, ut, in quibus eae omnes consentirent, in iis semper eas imitaretur; in quibus autem dissentirent, in iis sequeretur, quae sibi maxime ex earum lectionibus probaretur, ceterarum lectionibus notatis; ut in una sua editione saltem lectiones omnes illarum reperirentur. Sed de variis illis lectionibus consilium irritum factum est casu, per quem libelli illarum lectionum periere ante, quam exscriberentur typis, quum tempus novorum conficiendorum non suppeditaret. Notis porro instruxit textum, delectis e commentariis in Ciceronem, adiecto nomine eius, qui quidque primus dixisset, additis paucis etiam suis. Denique addidit indices legum, historicum, et latinitatis e nostra maxima Clave ductos. Sed de hac editione plenius diximus in Actis Erud. Lips. a. 1745, quae hic repetere non est necesse.

Ante paucos annos etiam nova et perpulcra editio facta est Parisiis a. 1768, 12, vol. 14 per I. Nicolaum Alemannum (Lalemand). Textum quem basin fecerit sui, non dixit, notas non addidit, ne moles ultra modum cresceret. Ad calcem tamen unius

cuiusque voluminis additae sunt breves adnotatiunculae, quarum consilium fuit, lectionum a vulgatis recedentium, quas ipse recepisset, auctoritatem adstruere, loca suspecta notare, depravata aut manca indicare, quandoque etiam coniecturas eruditorum virorum afferre, et sensum difficiliorum locorum breviter tradere. In Orationibus se dicit codicibus regiis usum esse non paucis, ut nulla sit, cuius non duo saltem exempla habuerit. De ceteris libris nihil tale profitetur, sed tamen in omnibus, praeter rhetoricos, aliis, codices regii commemorantur: ut huius quoque editionis aliquis usus esse in critica ratione esse possit. Orationibus addidit *Indicem legum* et universo operi *Indicem latinum* e nostra Clave excerptum.

Haec habuimus, quae de editionibus Operum universorum Ciceronis diceremus: speramusque ea studiosis rei criticae, neque inutilia, neque iniucunda fore.

M. TVLLII CICERONIS

VITA

A PLVTARCHO CONSCRIPTA

EX RECENSIONE

IAC. REISKE

Κικέρωνος δὲ τὴν μὲν μητέρα λέγουσιν Ἑλβίαν καὶ γεγονέναι καλῶς καὶ βεβιωκέναι· περὶ δὲ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἦν πυθέσθαι μέτριον. Οἱ μὲν γὰρ ἐν κναφείῳ τινὶ καὶ γενέσθαι καὶ τραφῆναι τὸν ἄνδρα λέγουσιν· οἱ δ᾽εἰς Τύλλιον Ἄππιον ἀνάγουσι τὴν ἀρχὴν τοῦ γένους, βασιλεύσαντα λαμπρῶς ἐν Οὐολούσκοις. Ὁ μέντοι πρῶτος ἐκ τοῦ γένους Κικέρων ἐπονομασθεὶς ἄξιος λόγου δοκεῖ γενέσθαι· διὸ τὴν ἐπίκλησιν οὐκ ἀπέῤῥιψαν οἱ μετ᾽ αὐτὸν, ἀλλ᾽ ἠσπάσαντο, καίπερ ὑπὸ πολλῶν χλευαζομένην. Κίκερ γὰρ οἱ Λατῖνοι τὸν ἐρέβινθον καλοῦσι· κἀκεῖνος ἐν τῷ πέρατι τῆς ῥινὸς διαστολὴν ἀμβλεῖαν εἶχεν, ὥσπερ ἐρεβίνθου διαφυὴν, ἀφ᾽ ἧς ἐκτήσατο τὴν ἐπωνυμίαν. αὐτός γε μὴν Κικέρων, ὑπὲρ οὗ τάδε γέγραπται, τῶν φίλων αὐτὸν οἰομένων δεῖν, ὅτε πρῶτον ἀρχὴν μετῄει καὶ πολιτείας ἥπτετο φυγεῖν τοὔνομα καὶ μεταθέσθαι, λέγε-

Ciceronis matrem tradunt Helviam claro genere et honesta vita fuisse: de patre nihil mediocre refertur. Alii in officina fullonia et natum volunt et educatum: alii ad Appium Tullium, clarum Volscorum regem, originem familiae eius referunt. Verum is, qui huius gentis Cicero primus est cognominatus, virum egregium arbitror fuisse. Quare non repudiaverunt eius posteri hoc cognomentum: sed licet etiam vulgo in ora hominum pro ludibrio abiret, sunt id tamen amplexi. A cicere enim trahitur. Habuit nempe ille in extremo nasi in modum ciceris caecam incisuram, unde cognomen quaesivit. Ipse quidem, quo de hic scribimus, Cicero, admonentibus amicis, quum primum honores peteret et rempublicam attingeret, ut abiiceret hoc nomen

ται νεανιευσάμενος εἰπεῖν, ὡς ἀγωνιεῖται τὸν Κικέρωνα τῶν Σκαύρων καὶ τῶν Κάτλων εὐδοξότερον ἀποδεῖξαι. ταμιεύων δ' ἐν Σικελίᾳ, καὶ τοῖς θεοῖς ἀνάθημα ποιούμενος ἀργυροῦν, τὰ μὲν πρῶτα δύο τῶν ὀνομάτων ἐπέγραψε, τόν τε Μάρκον καὶ τὸν Τύλλιον· ἀντὶ δὲ τοῦ τρίτου σκώπτων, ἐρέβινθον ἐκέλευσε παρὰ τὰ γράμματα τὸν τεχνίτην ἐντορεῦσαι. ταῦτα μὲν οὖν περὶ τοῦ ὀνόματος ἱστόρηται.

2. Τεχθῆναι δὲ Κικέρωνα λέγουσιν, ἀνωδύνως καὶ ἀπόνως λοχευθείσης αὐτοῦ τῆς μητρὸς, ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων Καλανδῶν· ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος. τῇ δὲ τίτθῃ φάσμα δοκεῖ γενέσθαι, καὶ προειπεῖν, ὡς ὄφελος μέγα πᾶσι Ῥωμαίοις ἐκτρεφούσῃ. ταῦτα δ', ἄλλως ὀνείρατα καὶ φλύαρον εἶναι δοκοῦντα, ταχέως αὐτὸς ἀπέδειξε μαντείαν ἀληθινὴν, ἐν ἡλικίᾳ τοῦ μανθάνειν γενόμενος, δι' εὐφυΐαν ἐκλάμψας, καὶ λαβὼν ὄνομα καὶ δό-

immutaretve, fertur glorians dixisse, enisurum se illustrius Ciceronis nomen Scauris et Catulis reddere. Quaestor in Sicilia donum argenteum diis consecravit, in quo initia inscripsit duorum nominum, Marci et Tullii, tertii loco ludens, cicer iussit artifici proxime illas literas incidere. De nomine haec prodita sunt.

2. Editum ferunt Ciceronem, facili partu et nullo matris dolore, tertio Nonas Ianuarias, quo die magistratus nunc vota faciunt et sacrificant pro incolumitate principis. Nutrici eius spectrum aiunt se obtulisse, ac praedixisse ingens eam bonum omnibus Romanis nutrire. Haec, quum somnia esse et vana alioquin viderentur, ipse brevi ostendit certum fuisse oraculum. Nam ubi literarum fuit per aetatem capax, tanta in eo eluxit indoles, tantumque nomen inter pueros et

ξαν ἐν τοῖς παισὶν, ὥστε τοὺς πατέρας αὐτῶν ἐπιφοιτᾷν τοῖς διδασκαλείοις, ὄψει τε βουλομένους ἰδεῖν τὸν Κικέρωνα, καὶ τὴν ὑμνουμένην αὐτοῦ περὶ τὰς μαθήσεις ὀξύτητα καὶ σύνεσιν ἱστορῆσαι· τοὺς δ' ἀγροικοτέρους ὀργίζεσθαι τοῖς υἱέσιν, ὁρῶντας ἐν ταῖς ὁδοῖς τὸν Κικέρωνα μέσον αὐτῶν ἐπὶ τιμῇ λαμβάνοντας. γενόμενος δ', ὥσπερ ὁ Πλάτων ἀξιοῖ τὴν φιλομαθῆ καὶ φιλόσοφον φύσιν, οἷος ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα, καὶ μηδὲν λόγου, μηδὲ παιδείας, ἀτιμάζειν εἶδος, ἐῤῥύη πως προθυμότερον. ἐπὶ ποιητικήν. καί τι ποιημάτιον ἔτι παιδὸς αὐτοῦ διασώζεται, Πόντιος Γλαῦκος, ἐν τετραμέτρῳ πεποιημένον. προϊὼν δὲ τῷ χρόνῳ, καὶ ποικιλώτερον ἁπτόμενος τῆς περὶ ταῦτα μούσης, ἔδοξεν οὐ μόνον ῥήτωρ, ἀλλὰ καὶ ποιητὴς ἄριστος εἶναι Ῥωμαίων. ἡ μὲν οὖν ἐπὶ τῇ ῥητορικῇ δόξα μέχρι νῦν διαμένει, καίπερ οὐ μικρᾶς γεγενημένης περὶ τοὺς λόγους καινοτομίας. τὴν δὲ ποιητικὴν αὐτοῦ, πολ-

laudem comparavit, quae parentes eorum excitaret, ut ad ludum pergerent ad Ciceronem oculis contemplandum, celebratumque eius in discendo acumen et sollertiam considerandam: agrestiores succenserent filiis, quum cernerent in media eos caterva Ciceronem honoris causa per vias stipantes. Hic quum esset qualem esse Plato vult studiosam et philosophiae naturam amantem, ad omnes natus artes complectendas, nec ad ullum doctrinae aut eruditionis praetereundum genus, ad poësim sane fuit proclivior. Exstat poëma quoddam parvum, quod puer etiamnum edidit, Pontius Glaucus, versibus tetrametris compositum. Progressu temporis, quum magis ac magis hoc studium excoleret, non modo orator habitus est, sed et poëta inter Romanos praestantissimus. Ceterum laus oratoria,

λῶν εὐφυῶν ἐπιγενομένων, παντάπασιν ἀκλεῆ καὶ ἄτιμον ἔρρειν συμβέβηκεν.

3. Απαλλαγεὶς δὲ τῶν ἐν παισὶ διατριβῶν, Φίλωνος ἤκουσε, τοῦ ἐξ Ακαδημίας, ὃν μαλιστα Ῥωμαῖοι τῶν Κλειτομάχου συνήθων καὶ διὰ τὸν λόγον ἐθαύμασαν, καὶ διὰ τὸν τρόπον ἠγάπησαν, ἅμα δὲ τοῖς περὶ Μούκιον, ἀνδράσι συνὼν πολιτικοῖς καὶ πρωτεύουσι τῆς βουλῆς, εἰς ἐμπειρίαν τῶν νόμων ὠφελεῖτο· καί τινα χρόνον καὶ στρατείας μετέσχεν ὑπὸ Σύλλᾳ περὶ τὸν Μαρσικὸν πόλεμον. εἶθ' ὁρῶν εἰς στάσιν, ἐκ δὲ τῆς στάσεως εἰς ἄκρατον ἐκπίπτοντα τὰ πράγματα μοναρχίαν, ἐπὶ τὸν σχολαστὴν καὶ θεωρητικὸν ἐλθὼν βίον, Ἕλλησι συνῆν φιλολόγοις, καὶ προσεῖχε τοῖς μαθήμασιν, ἄχρις οὗ Σύλλας ἐκράτησε, καὶ κατάστασίν τινα λαμβάνειν ἔδοξεν ἡ πόλις. ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ Χρυσόγονος, ἀπε-

licet multa in dicendo novata fuerint, vel hac manet aetate: poëtica vero, quia multi ei insignes successerunt, neglecta iacet et obsoleta.

3. Schola relicta puerili, Philoni dedit operam Academico: quem Romani supra ceteros Clitomachi alumnos et ob dicendi facultatem admirati sunt, et dilexerunt ob morum suavitatem. Simul etiam Mutium Scaevolam assectatus est, consultum virum et principem senatus, ex quo iurisprudentiam hausit. Meruit et aliquantisper sub Sylla bello Marsico. Inde remp. in seditionem quum conspiceret, ex seditione in effrenem ruere dominatum, ad castra se retulit Musarum et bonarum artium studia, vixitque cum eruditis Graecis, atque literas coluit, donec rerum est Sylla potitus, ac certum aliquem statum vidit reipublicae. Hac tempestate libertus Syllae Chrysogonus bo

λεύθερος Σύλλα, προσαγγείλαντός τινος οὐσίαν ὡς ἐκ προγραφῆς ἀναιρεθέντος, αὐτὸς ἐωνήσατο δισχιλίων δραχμῶν. ἐπεὶ δὲ Ῥώσκιος, ὁ υἱός καὶ κληρονόμος τοῦ τεθνηκότος, ἠγανάκτει, καὶ τὴν οὐσίαν ἀπεδείκνυε πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων οὖσαν ἀξίαν, ὅ τε Σύλλας ἐλεγχόμενος ἐχαλέπαινε, καὶ δίκην πατροκτονίας ἐπῆγε τῷ Ῥωσκίῳ, τοῦ Χρυσογόνου κατασκευάσαντος, ἐβοήθει δ' οὐδεὶς, ἀλλ' ἀπετρέποντο, τοῦ Σύλλα τὴν χαλεπότητα δεδοικότες· οὕτω δὴ δι' ἐρημίαν τοῦ μειρακίου τῷ Κικέρωνι προσφυγόντος, οἱ φίλοι συμπαρώρμων, ὡς οὐκ ἂν αὐτῷ λαμπροτέραν αὖθις ἀρχὴν πρὸς δόξαν ἑτέραν, οὐδὲ καλλίω γενησομένην. ἀναδεξάμενος οὖν τὴν συνηγορίαν, καὶ κατορθώσας, ἐθαυμάσθη· δεδιὼς δὲ τὸν Σύλλαν, ἀπεδήμησεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, διασπείρας λόγον, ὡς τοῦ σώματος αὐτῷ θεραπείας δεομένου. καὶ γὰρ ἦν ὄντως ἰσχνὸς καὶ ἄσαρκος, ἀῤῥωστίᾳ στομάχου μικρὰ καὶ γλίσχρα

cuiusdam, quem detulerat, ut inter proscriptos interfectum, viginti millibus aeris emit. Id acerbum interfecti filio et haeredi quum esset Roscio, probaretque haereditatem sexagies valere; offensus Sylla quod argueretur, crimen ei, interprete Chrysogono, intulit parricidii. Hic quum nullum appareret auxilium, sed omnes Syllae saevitiam exhorrescerent, destitutus ab omnibus adolescens contulit se ad Ciceronem: quem accenderunt amici, subiecerunt que gradum ipsum ad gloriam habiturum posthac speciosiorem et pulcriorem nullum. Suscepta defensione, obtinuit causam, unde laudem consequutus magnam est. Ceterum metu Syllae in Graeciam profectus est, vulgans ob corporis curam abire. Et profecto erat corpore gracili atque macilento, et propter stomachi infirmitatem

μόγις ὀψὲ τῆς ὥρας προσφερόμενος. ἡ δὲ φωνὴ, πολλὴ μὲν καὶ ἀγαθὴ, σκληρὰ δὲ καὶ ἄπλαστος· ὑπὸ δὲ τοῦ λόγου, σφοδρότητα καὶ πάθος ἔχοντος, ἀεὶ διὰ τῶν ἄνω τόνων ἐλαυνομένη, φόβον παρεῖχεν ὑπὲρ τοῦ σώματος.

4. *Ἀφικόμενος δ' εἰς Ἀθήνας Ἀντιόχου τοῦ Ἀσκαλωνίτου διήκουσε, τῇ μὲν εὐροίᾳ τῶν λόγων αὐτοῦ καὶ χάριτι κηλούμενος, ἃ δ' ἐν τοῖς δόγμασιν ἐνεωτέριζεν, οὐκ ἐπαινῶν. ἤδη γὰρ ἐξίστατο τῆς νέας λεγομένης Ακαδημίας ὁ Ἀντίοχος, καὶ τὴν Καρνεάδου στάσιν ἐγκατέλειπεν, εἴτε καμπτόμενος ὑπὸ τῆς ἐναργείας καὶ τῶν αἰσθήσεων, εἴτε, ὥς φασιν ἔνιοι, φιλοτιμίᾳ τινὶ καὶ διαφορᾷ πρὸς τοὺς Χλειτομάχου καὶ Φίλωνος συνήθεις, τὸν Στωϊκὸν ἐκ μεταβολῆς θεραπεύων λόγον ἐν τοῖς πλείστοις. ὁ δὲ Κικέρων ἐκεῖνα ἠγάπα, κἀκείνοις προσεῖχε μᾶλλον, διανοούμενος, εἰ παντάπασιν ἐκπέσοι τοῦ τὰ κοινὰ πράσσειν, δεῦρο μετενεγκάμενος τὸν βίον ἐκ*

modicum et exiguum cibi vix admodum sero capiebat. Vox eius canora quidem erat et bona, sed dura et incondita: quae ex orationis ardore et commotione semper altis incedens tonis minabatur vitae periculum.

4. Vt applicuit Athenas, Antiochum Ascalonitam audivit, volubilitate captus et venustate eius orationis: opinionum vero eius non probavit novationem. Iam enim a nova, quam vocant, Academia desciverat Carneadeae sectae Antiochus desertor, vel evidentia permotus et sensibus, vel (ut alii dictitant) ambitione aliqua et dissensione cum Clitomachi et Philonis discipulis, stoica praecepta ubique fere mutata sententia amplexus: Cicero autem maluit illis inhaerere, atque illa sequi. Rationem vero inierat hanc, si nullus ei in republica capessenda foret locus, huc ut se ex foro

τῆς ἀγορᾶς καὶ τῆς πολιτείας, ἐν ἡσυχίᾳ μετὰ φιλοσοφίας καταζῆν. ἐπεὶ δ' αὐτῷ Σύλλας τε προσηγγέλθη τεθνηκὼς, καὶ τὸ σῶμα τοῖς γυμνασίοις ἀναῤῥωννύμενον εἰς ἕξιν ἐβάδιζε νεανικὴν, ἥτε φωνὴ λαμβάνουσα πλάσιν, ἡδεῖα μὲν πρὸς ἀκοὴν ἐτέθραπτο καὶ πολλὴ, μετρίως δὲ πρὸς τὴν ἕξιν ἥρμοστο τοῦ σώματος, πολλὰ μὲν τῶν ἀπὸ Ῥώμης φίλων γραφόντων καὶ δεομένων, πολλὰ δ' Αντιόχου παρακελευομένου, τοῖς κοινοῖς ἐπιβαλεῖν πράγμασιν, αὖθις, ὥσπερ ὄργανον, ἐξήρτυε τὸν ῥητορικὸν λόγον, καὶ ἀνεκίνει τὴν πολιτικὴν δύναμιν, αὐτόν τε ταῖς μελέταις διαπονῶν, καὶ τοὺς ἐπαινουμένους μετιὼν ῥήτορας. Ὅθεν εἰς Ἀσίαν καὶ Ῥόδον ἔπλευσε, καὶ τῶν Ασιανῶν ῥητόρων Ξενοκλεῖ τῷ Αδραμυττηνῷ, καὶ Διονυσίῳ τῷ Μάγνητι, καὶ Μενίππῳ τῷ Καρὶ συνεσχόλασεν· ἐν δὲ Ῥόδῳ, ῥήτορι μὲν Απολλωνίῳ τῷ Μόλωνι, φιλοσόφῳ

et publicis negotiis transferret, ac vitam in philosophia traduceret tranquillam. Postquam vero accepit mortem Syllae, et corpus exercitatione firmatum validum comparavit habitum: vox autem conformata iucunda auribus et plena accidit, fuitque mediocriter ad corporis habitum composita: hinc amicis quotidie ex Roma scribentibus solicitantibusque eum, hinc Antiocho, ut ad rempublicam accederet, cohortante, facultatem dicendi de integro, tanquam organum, instruxit ad potentiam parandam civilem, declamationibus se subigens, atque ad insignes se applicans oratores. Itaque in Asiam et Rhodum navigavit. In Asia Xenoclem Adramytenum, et Magnetem Dionysium, et Menippum Carem audivit: Rhodi Apollonium oratorem, Molonis filium, et philoso-

δὲ Ποσειδωνίῳ. Λέγεται δὲ τὸν Ἀπολλώνιον, οὐ συνιέντα τὴν Ῥωμαϊκὴν διάλεκτον, δεηθῆναι τοῦ Κικέρωνος Ἑλληνιστὶ μελετῆσαι· τὸν δ' ὑπακοῦσαι προθύμως, οἰόμενον, οὕτως ἔσεσθαι βελτίονα τὴν ἐπανόρθωσιν· ἐπεὶ δ' ἐμελέτησε, τοὺς μὲν ἄλλους ἐκπεπλῆχθαι καὶ διαμιλλᾶσθαι πρὸς ἀλλήλους τοῖς ἐπαίνοις, τὸν δ' Ἀπολλώνιον οὔτ' ἀκροώμενον αὐτοῦ διαχυθῆναι, καὶ παυσαμένου σύννουν καθέζεσθαι πολὺν χρόνον· ἀχθομένου δὲ τοῦ Κικέρωνος, εἰπεῖν· « Σὲ μὲν, ὦ Κικέρων, ἐπαινῶ καὶ θαυμάζω, τῆς δ' Ἑλλάδος οἰκτείρω τὴν τύχην, ὁρῶν, ἃ μόνα τῶν καλῶν ἡμῖν ὑπελείπετο, καὶ ταῦτα Ῥωμαίοις διὰ σοῦ προσγενόμενα, παιδείαν τε καὶ λόγον ».

5. Ὁ γοῦν Κικέρων ἐλπίδων μεστὸς ἐπὶ τὴν πολιτείαν φερόμενος, ὑπὸ χρησμοῦ τινος ἀπημβλύνθη τὴν ὁρμήν. Ἐρομένῳ γὰρ αὐτῷ τὸν ἐν Δελφοῖς θεὸν, ὅπως ἂν ἐνδοξότατος

phum Posidonium. Hunc Apollonium fama est, quod imperitus esset romanae linguae, a Cicerone ut declamaret graece contendisse: Ciceronem ei morem gessisse libenter, ita fore ratum, melius ut corrigeret se ille: postquam declamavit, ceteris stupore defixis et certatim collaudantibus eum, Apollonium non hilarem fuisse, dum audiret dicentem: et quum perorasset, diu sedisse cogitabundum: tandem, ubi id momordit Ciceronem, dixisse: Te quidem laudo, Cicero, et admiror; Graeciae vero miseret me conditionis, quum cernam, quae reliqua nobis sola erant ornamenta, ea quoque te ad Romanos transtulisse, literas et eloquentiam.

5. Ergo quum ingenti Cicero spe erectus ad rempublicam gerendam pergeret, retudit impetum eius oraculum quoddam. Nam consulenti Apollinem

γένοιτο, προσέταξεν ἡ Πυθία, τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, ἀλλὰ μὴ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν, ἡγεμόνα ποιεῖσθαι τοῦ βίου. Καὶ τόν τε πρῶτον ἐν Ῥώμῃ χρόνον εὐλαβῶς διῆγε, καὶ ταῖς ἀρχαῖς ὀκνηρῶς προσῄει, καὶ παρημελεῖτο· ταῦτα δὴ τὰ Ῥωμαίων τοῖς βαναυσοτάτοις πρόχειρα καὶ συνήθη ῥήματα, Γραικὸς καὶ σχολαστικὸς, ἀκούων. Επεὶ δὲ, φύσει φιλότιμος ὢν, καὶ παροξυνόμενος ὑπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν φιλων, ἐπέδωκεν εἰς τὸ συνηγορεῖν ἑαυτὸν, οὐκ ἠρέμα τῷ πρωτείῳ προσῆγεν, ἀλλ' εὐθὺς ἐξέλαμψε τῇ δόξῃ, καὶ διέφερε πολὺ τῶν ἀγωνιζομένων ἐπ' ἀγορᾶς. Λέγεται δὲ καὶ αὐτὸς οὐδὲν ἧττον νοσήσας τοῦ Δημοσθένους πρὸς τὴν ὑπόκρισιν, τοῦτο μὲν Ῥωσκίῳ, τῷ κωμῳδῷ, τοῦτο δ' Αἰσώπῳ, τῷ τραγῳδῷ, προσέχειν ἐπιμελῶς. Τὸν δ' Αἴσωπον τοῦτον ἱστοροῦσιν ὑπο-

Delphicum, qua potissimum ratione summam gloriam assequeretur, sortes datae fuerunt, ut suum ipsius ingenium, non vulgi existimationem, ducem sequeretur vitae. Ac primum quidem tempus Romae magna cum cautione transegit, timideque ad honores petendos accessit, neque honore erat in ullo, appellabantque eum, quae nomina vilissimus quisque Romanorum prompta et assueta in ore habet, Graecum et otiosum. Sed qui flagraret natura cupiditate gloriae, atque a patre et necessariis incenderetur, ut contulit se ad causas dicendas, non sensim aspiravit ad primas, sed confestim gloria effulsit, longeque ceteris, qui causas agebant in foro, excelluit. Dicitur hic non secus ac Demosthenes in actione laboravisse, eaque de causa sedulo nunc Roscio comoedo, nunc Aesopo tragoedo operam dedisse. Hunc Aesopum tradunt, dum in theatro agit Atreum de puniendo deliberantem Thye-

κρινόμενον ἐν θεάτρῳ τὸν περὶ τῆς τιμωρίας τοῦ Θυέστου βουλευόμενον Ατρέα, τῶν ὑπηρετῶν τινος ἄφνω παραδραμόντος, ἔξω τῶν ἑαυτοῦ λογισμῶν διὰ τὸ πάθος ὄντα, τῷ σκήπτρῳ πατάξαι καὶ ἀνελεῖν. Οὐ μικρὰ δὲ πρὸς τὸ πείθειν ὑπῆρχεν ἐκ τοῦ ὑποκρίνεσθαι ῥοπὴ τῷ Κικέρωνι. Καὶ τοὺς γε τῷ βοᾷν μεγάλα χρωμένους ῥήτορας ἐπισκώπτων, ἔλεγε, δι' ἀσθένειαν ἐπὶ τὴν κραυγὴν, ὥσπερ χωλοὺς ἐφ' ἵππων, πηδᾷν. Ἡ δὲ περὶ τὰ σκώμματα καὶ τὴν παιδιὰν ταύτην εὐτραπελία δικανικὸν μὲν ἐδόκει καὶ γλαφυρόν· χρώμενος δ' αὐτῇ κατακόρως, πολλοὺς ἐλύπει, καὶ κακοηθείας ἐλάμβανε δόξαν.

6. *Αποδειχθεὶς δὲ ταμίας ἐν σιτοδείᾳ, καὶ λαχὼν Σικελίαν, ἠνώχλησε τοῖς ἀνθρώποις ἐν ἀρχῇ, σῖτον εἰς Ῥώμην ἀποστέλλειν ἀναγκαζόμενος. Ὕστερον δὲ τῆς ἐπιμελείας καὶ δικαιοσύνης καὶ πρᾳότητος αὐτοῦ πεῖραν λαμβάνοντες, ὡς οὐδένα τῶν πώποθ' ἡγεμόνων ἐτίμησαν. Επεὶ δὲ πολλοὶ τῶν*

ste, ita fuisse motum, ut impos mentis ministrum quendam, qui repente praetercurrebat, feriret sceptro et occideret. Neque sane parum contulit ad persuadendum Ciceroni actio adiumenti; atque oratores, qui magnos edebant clamores, irridens, ex impotentia dicebat in clamorem, sicut claudos in equum, insilire. Vrbanitas in facetiis eius et in salibus hisce forensis visa est et lepida: sed quum esset in ea effusior, multos offendit, et habitus est malignus.

6. Quaestor designatus in difficultate annonae, ac sortitus Siciliam, primum multis mortalibus, quos mittere frumentum compulit ad urbem, parum fuit gratus. Inde, ut industriae eius, ut innocentiae, ut lenitatis cepere gustum, ut nullum unquam alium

ἀπὸ Ῥώμης νέων ἔνδοξοι καὶ γεγονότες καλῶς, αἰτίαν ἔχοντες ἀταξίας καὶ μαλακίας περὶ τὸν πόλεμον, ἀνεπέμφθησαν ἐπὶ τὸν στρατηγὸν τῆς Σικελίας, συνεῖπεν αὐτοῖς ὁ Κικέρων ἐπιφανῶς, καὶ περιεποίησεν. Ἐπὶ τούτοις οὖν μέγα φρονῶν, εἰς Ῥώμην βαδίζων γελοῖόν τι παθεῖν φησι. Συντυχὼν γὰρ ἀνδρὶ τῶν ἐπιφανῶν, φίλῳ δοκοῦντι, περὶ Καμπανίαν, ἔρεσθαι, τίνα δὴ τῶν πεπραγμένων ὑπ᾽ αὐτοῦ λόγον ἔχουσι Ῥωμαῖοι, καὶ τί φρονοῦσιν, ὡς ὀνόματος καὶ δόξης τῶν πεπραγμένων αὐτῷ τὴν πόλιν ἅπασαν ἐμπεπληκώς· τὸν δ᾽ εἰπεῖν· « Ποῦ γὰρ ἦς, ὦ Κικέρων, τὸν χρόνον τοῦτον; » Τότε μὲν οὖν ἐξαθυμῆσαι παντάπασιν, εἰ, καθάπερ εἰς πέλαγος ἀχανὲς, τὴν πόλιν ἐμπεσὼν ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος, οὐδὲν εἰς δόξαν ἐπίδηλον πεποίηκεν· ὕστερον δὲ λογισμὸν ἑαυτῷ διδοὺς,

honoraverunt praetorem. Porro multi Romae clari adolescentes et nobili orti familia, vocati in crimen fuere, quod molliter se et contra disciplinam militarem gessissent in stipendiis faciendis. His ad praetorem Siciliae remissis egregie patrocinatus est, et liberavit eos. Quibus rebus elato Romam regredienti quiddam sibi accidisse ridiculum ipse ait: nam quum in Campania incidisset in quendam ex primoribus, quicum sibi existimabat intercedere gratiam, qui sermo esset quaesisse se inter cives de rebus suis gestis, et quid sentirent, arbitratum nomine et gloria se actionum suarum totam implesse civitatem: respondisse illum: Tu vero, Cicero, ubi hoc spatio fuisti? Ibi animo se plane concidisse, si mentio sui in urbem, tanquam in vastum incidens pelagus, nihilo se ad gloriam reddidisset conspectiorem. Post collectis rationibus suis, videns, rem immensam esse, ad quam contenderet, gloriam,

πολὺ τῆς φιλοτιμίας ὑφεῖλεν, ὡς πρὸς ἀόριστον πρᾶγμα τὴν δόξαν ἁμιλλώμενος, καὶ πέρας οὐκ ἐφικτὸν ἔχουσαν. Οὐ μὴν ἀλλὰ τό γε χαίρειν ἐπαινούμενον διαφερόντως, καὶ πρὸς δόξαν ἐμπαθέστερον ἔχειν, ἄχρι παντὸς αὐτῷ παρέμεινε, καὶ πολλοὺς πολλάκις τῶν ὀρθῶν ἐπετάραξε λογισμῶν.

7. Ἁπτόμενος δὲ τῆς πολιτείας προθυμότερον, αἰσχρὸν ἡγεῖτο, τοὺς μὲν βαναύσους, ὀργάνοις χρωμένους καὶ σκεύεσιν ἀψύχοις, μηδενὸς ἀγνοεῖν ὄνομα, μηδὲ χώραν, ἢ δύναμιν αὐτῶν, τὸν δὲ πολιτικὸν, ᾧ δι' ἀνθρώπων αἱ κοιναὶ πράξεις περαίνονται, ῥαθύμως καὶ ἀμελῶς ἔχειν περὶ τὴν τῶν πολιτῶν γνῶσιν. Ὅθεν οὐ μόνον τῶν ὀνομάτων εἴθιζε μνημονεύειν αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ τὸν τόπον, ἐν ᾧ τῶν γνωρίμων ἕκαστος οἰκεῖ, καὶ χωρίον, ὃ κέκτηται, καὶ φίλους, οἷστισι χρῆται, καὶ γείτονας ἐγίνωσκε· καὶ πᾶσαν ὁδὸν Ἰταλίας διαπορευομένῳ Κικέρωνι πρόχειρον ἦν εἰπεῖν καὶ ἐπιδεῖξαι τοὺς τῶν

cuius nullum cerneret exitum, multum de ambitione remisit. Verum enimvero avebat supra modum celebrari, tenebatque eum perpetuo cupiditas immensa gloriae, quae multa eius praeclara consilia frequenter interpellavit.

7. Quum iam animum ad rempublicam totum convertisset, turpe duxit, si opifices, instrumenta qui tractarent et armamenta surda, nullius nomen fugeret, nec locus, nec vis, in republica autem versans, qui hominum opera publica munera obiret, socors esset in cognoscendis civibus et supinus. Quare non modo in comprehendendis elaboravit nominibus, sed locum etiam, ubi insignis quisque habitaret, praedia ubi haberet, quibus uteretur amicis, et quos haberet vicinos, tenuit, atque in via Italiam peragrans expedite nuncu-

φίλων ἀγροὺς καὶ τὰς ἐπαύλεις. Οὐσίαν δὲ μικρὰν μὲν, ἱκανὴν δὲ καὶ ταῖς δαπάναις ἐπαρκῆ κεκτημένος, ἐθαυμάζετο μήτε μισθοὺς, μήτε δῶρα προσιέμενος ἀπὸ τῆς συνηγορίας· μάλιστα δ', ὅτε τὴν κατὰ Βέῤῥου δίκην ἀνέλαβε. Τοῦτον γὰρ, στρατηγὸν γεγονότα τῆς Σικελίας, καὶ πολλὰ πεπονηρευμένον, τῶν Σικελιωτῶν διωκόντων, εἷλεν, οὐκ εἰπὼν, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ τρόπον τινὰ τοῦ μὴ εἰπεῖν. Τῶν γὰρ στρατηγῶν τῷ Βέῤῥῃ χαριζομένων, καὶ τὴν δίκην ὑπερθέσεσι πολλαῖς εἰς τὴν ὑστάτην ἐκβαλλόντων, ὡς ἦν πρόδηλον, ὅτι τοῖς λόγοις ὁ τῆς ἡμέρας οὐκ ἐξαρκέσει χρόνος, οὐδὲ λήψεται πέρας ἡ κρίσις, ἀναστὰς ὁ Κικέρων ἔφη, μὴ δεῖσθαι λόγων, ἀλλ' ἐπαγαγὼν τοὺς μάρτυρας καὶ ἐπικρίνας, ἐκέλευσε φέρειν τὴν ψῆφον τοὺς δικαστάς. ὅμως δὲ πολλὰ χαρίεντα διαμνημονεύεται καὶ περὶ ἐκείνην αὐτοῦ τὴν δίκην. Βέῤῥην γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι

pabat Cicero, et demonstrabat amicorum possessiones et villas. Rem habuit familiarem, modicam quidem, sed sufficientem, et qua tueri se facile poterat. Quo magis in admiratione habebatur, quod patrocinii causa neque mercedem, neque munera caperet, praecipue, quum Verrem suscepisset accusandum. Siciliam hic praetor obtinuerat, quem multa ob foeda facinora, Siculis persequentibus, damnavit, non dicendo, sed eo quodammodo, quod non diceret. Siquidem quum praetores in gratiam Verris saepius comperendinando causam in ultimam diem traxissent, appareretque, diem causae perorandae non satis futuram, neque exitum habiturum iudicium: exsurgens Cicero, negavit opus esse oratione, productisque et interrogatis testibus sententiam iussit ferre iudicibus. Quo tamen in iudicio multa eius commemorantur facete dicta. Verrem Ro-

τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσιν. Ὡς οὖν ἀπελευθερικὸς ἄνθρωπος, ἔνοχος τῷ ἰουδαΐζειν, ὄνομα Καικίλιος, ἐβούλετο, παρωσάμενος τοὺς Σικελιώτας, κατηγορεῖν τοῦ Βέῤῥου· «Τί Ἰουδαίῳ πρὸς χοῖρον;» ἔφη ὁ Κικέρων. Ην δὲ τῷ Βέῤῥῃ ἀντίπαις υἱὸς, οὐκ ἐλευθερίως δοκῶν προΐστασθαι τῆς ὥρας. Λοιδορηθεὶς οὖν ὁ Κικέρων εἰς μαλακίαν ὑπὸ τοῦ Βέῤῥου· «Τοῖς υἱοῖς, εἶπεν, ἐντὸς θυρῶν δεῖ λοιδορεῖσθαι.» Τοῦ δὲ ῥήτορος Ὁρτησίου τὴν μὲν εὐθεῖαν τῷ Βέῤῥῃ συνειπεῖν μὴ τολμήσαντος, ἐν δὲ τῷ τιμήματι πεισθέντος παραγενέσθαι, καὶ λαβόντος ἐλεφαντίνην Σφίγγα μισθὸν, εἰπέ τι πλαγίως ὁ Κικέρων πρὸς αὐτόν· τοῦ δὲ φήσαντος, αἰνιγμάτων λύσεως ἀπείρως ἔχειν· «Καὶ μὴν ἐπὶ τῆς οἰκίας τὴν Σφίγγα ἔχεις».

8. Οὕτω δὲ τοῦ Βέῤῥου καταδικασθέντος, ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδων τιμησάμενος τὴν δίκην ὁ Κικέρων, διαβολὴν

mani castratum porcum vocant. Quum autem conditionis homo libertinae, studio adspersus superstitionum iudaicarum, Caecilius nomine, tenderet, summotis Siculis, nomen deferre Verris: Quid, inquit Cicero, Iudaeo cum porco? Erat filius Verri adultus, quem parum pudice fama tenebat formam habere. Igitur Verre Ciceroni mollitiem obiiciente: Liberis, inquit, intra ianuam conviciandum est. Orator Hortensius rectam et plenam non sustinuit Verris suscipere defensionem, verum in litis aestimatione adductus est, ut ei adesset. Qui quum Sphingem eburneam mercede accepisset, dixit quiddam in eum Cicero oblique. Scire neganti se solvere aenigmata: Atqui Sphingem, inquit, domi habes.

8. Ita damnato Verre, et lite aestimata tricies HS. male audivit Cicero, quasi pecunia corruptus in aesti-

ἔσχεν, ὡς ἐπ' ἀργυρίῳ τὸ τίμημα καθυφειμένος. Οὐ μὴν ἀλλ' οἱ Σικελιῶται χάριν εἰδότες, ἀγορανομοῦντος αὐτοῦ, πολλὰ μὲν ἄγοντες ἀπὸ τῆς νήσου, πολλὰ δὲ φέροντες ἧκον· ὧν οὐδὲν ἐποιήσατο κέρδος, ἀλλ' ὅσον ἐπευωνίσαι τὴν ἀγορὰν, ἀπεχρήσατο τῇ φιλοτιμίᾳ τῶν ἀνθρώπων. Εκέκτητο δὲ χωρίον καλὸν ἐν Αρποις, καὶ περὶ Νέαν πόλιν ἦν ἀγρὸς, καὶ περὶ Πομπηΐους ἕτερος, οὐ μεγάλοι· φερνή τε Τερεντίας, τῆς γυναικὸς, προσεγένετο μυριάδων δώδεκα, καὶ κληρονομία τις εἰς ἐννέα δηναρίων συναχθεῖσα μυριάδας. Ἀπὸ τούτων ἐλευθερίως ἅμα καὶ σωφρόνως διῆγε μετὰ τῶν συμβιούντων Ἑλλήνων καὶ Ῥωμαίων φιλολόγων. σπάνιον, εἴ ποτε πρὸ δυσμῶν ἡλίου κατακλινόμενος, οὐχ οὕτω δι' ἀσχολίαν, ὡς διὰ τὸ σῶμα τῷ στομάχῳ μοχθηρῶς διακείμενον. Ην δὲ καὶ τὴν ἄλλην περὶ τὸ σῶμα θεραπείαν ἀκριβὴς καὶ περιττὸς, ὥστε καὶ τρίψεσι καὶ περιπάτοις ἀριθμῷ τεταγμένοις

manda lite esset praevaricatus. Siculi tamen, quo gratos se ostenderent, in aedilitate eius multa ex ea insula advecta obtulerunt ei, quorum in suos usus nihil vertit, tantum ad levandam annonam illorum hominum usus liberalitate est. Villam amoenam Arpini, praedium etiam prope Neapolim, et alterum Pompeiis, non lata, habuit. Huc accessit uxoris dos, Terentiae, quadringentorum octoginta millium nummum. Praeterea haereditas ei venit, quae ad trecenta sexaginta millia nummum est redacta. His facultatibus liberaliter se et frugaliter toleravit cum familiaribus graecis et civibus literarum cultoribus. Haud temere ante occasum solis accumbebat, non tam districtus occupationibus, quam valetudinis causa ob stomachi imbecillitatem. Fuit alioquin in corporis cura curiosus et nimius, ut

χρῆσθαι. Τοῦτον τὸ τρόπον διαπαιδαγωγῶν τὴν ἕξιν, ἄνοσον καὶ διαρκῆ πρὸς πολλοὺς καὶ μεγάλους ἀγῶνας καὶ πόνους συνεῖχεν. Οἰκίαν δὲ τὴν μὲν πατρῴαν τῷ ἀδελφῷ παρεχώρησεν, αὐτὸς δ' ᾤκει περὶ τὸ Παλάτιον, ὑπὲρ τοῦ μὴ μακρὰν βαδίζοντας ἐνοχλεῖσθαι τοὺς θεραπεύοντας αὐτόν. Εθεράπευον δὲ καθ' ἡμέραν ἐπὶ θύρας φοιτῶντες οὐκ ἐλάττονες, ἢ Κράσσον ἐπὶ πλούτῳ; καὶ Πομπήϊον διὰ τὴν ἐν τοῖς στρατεύμασι δύναμιν, θαυμαζομένους μάλιστα Ρωμαίων καὶ μεγίστους ὄντας. Πομπήϊος δὲ καὶ Κικέρωνα ἐθεράπευε, καὶ μεγάλα πρὸς δύναμιν αὐτῷ καὶ δόξαν ἡ Κικέρωνος συνέπραξε πολιτεία.

9. Στρατηγίαν δὲ μετιόντων ἅμα σὺν αὐτῷ πολλῶν καὶ μεγάλων, πρῶτος ἁπάντων ἀνηγορεύθη· καὶ τὰς κρίσεις ἔδοξε καθαρῶς καὶ καλῶς βραβεῦσαι. Λέγεται δὲ καὶ Λικίνιος Μά-

et ad certum numerum frictionibus et ambulationibus uteretur. Ad hunc modum serviens habitui, validum eum et firmum ad multas et graves contentiones laboresque conservavit. Domum paternam concessit fratri: ipse, ne esset clientibus suis molestum longius ire, iuxta Palatium habitavit. Colebant eum, qui domum eius quotidie ventitarent, non pauciores, quam ob divitias Crassum, et Pompeium ob militarem potentiam: quorum erant eo tempore auctoritas et opes maximae. Et ipse quoque Ciceronem observabat Pompeius, multumque Ciceronis actiones Pompeii potentiam et gloriam auxere.

9. Praeturae candidatus, quum multos haberet et insignes competitores, omnium est renunciatus primus, in qua iudicia integre et innocenter dispensavit. Fama est, Licinium Macrum, virum Romae et suis

κερ, ἀνὴρ καὶ καθ' αὑτὸν ἰσχύων ἐν τῇ πόλει μέγα, καὶ Κράσσῳ χρώμενος βοηθῷ, κρινόμενος κλοπῆς ὑπ' αὐτοῦ, τῇ δυνάμει καὶ σπουδῇ πεποιθὼς, ἔτι τὴν ψῆφον τῶν κριτῶν διαφερόντων ἀπαλλαγεὶς οἴκαδε, κείρασθαί τε τὴν κεφαλὴν κατὰ τάχος, καὶ καθαρὸν ἱμάτιον, ὡς νενικηκὼς, λαβὼν, αὖθις εἰς ἀγορὰν προϊέναι· τοῦ δὲ Κράσσου περὶ τὴν αὔλειον ἀπαντήσαντος αὐτῷ, καὶ φράσαντος, ὅτι πάσαις ἑάλωκε ταῖς ψήφοις, ἀναστρέψας καὶ κατακλιθεὶς ἀποθανεῖν. Τὸ δὲ πρᾶγμα τῷ Κικέρωνι δόξαν ἤνεγκεν, ὡς ἐπιμελῶς βραβεύσαντι τὸ δικαστήριον. Επεὶ δὲ Οὐατίνιος, ἀνὴρ ἔχων τι τραχὺ καὶ πρὸς τοὺς ἄρχοντας ὀλίγωρον ἐν ταῖς συνηγορίαις, χοιράδων δὲ τὸν τράχηλον περίπλεως, ᾐτεῖτό τι καταστὰς παρὰ τοῦ Κικέρωνος, καὶ μὴ διδόντος, ἀλλὰ βουλευομένου πολὺν χρόνον, εἶπεν, ὡς οὐκ ἂν αὐτὸς διστάσειε περὶ τούτου στρατηγῶν· ἐπιστραφεὶς ὁ Κικέρων, « Αλλ' ἐγὼ, εἶπεν, οὐκ

praevalidum opibus, et Crassi auxilio subnixum, ad tribunal Ciceronis repetundarum fuisse postulatum. Hunc ista fretum potentia et studio, dum iudices adhuc sententias ferunt, domum reversum illico comam totondisse, ac sumta toga candida, quasi foret absolutus, redire ad forum parantem: quum Crassus ad vestibulum ei occurrisset, et cunctis damnatum renuntiasset sententiis, recepisse se intro, mox decubuisse, ac vitam deposuisse. Fuit Ciceroni ea res honori, quod accurate sortitus esset iudices. Vatinius homo fuit asperior, et minus reverens in causis dicendis magistratuum, collo strumoso. Hic ad tribunal petiit quippiam a Cicerone: quo non concedente, sed diu deliberante: Equidem, inquit, si praetor sim, de eo non haesitarem. Tum conversus: Atqui ego, inquit Cicero, non habeo tan-

ἔχω τηλικοῦτον τράχηλον.» Ετι δ' ἡμέρας δύο ἢ τρεῖς ἔχοντι τῆς ἀρχῆς αὐτῷ προσήγαγέ τις Μανίλιον, εὐθύνων κλοπῆς. Ὁ δὲ Μανίλιος οὗτος εὔνοιαν εἶχε καὶ σπουδὴν ὑπὸ τοῦ δήμου, δοκῶν ἐλαύνεσθαι διὰ Πομπήϊον· ἐκείνου γὰρ ἦν φίλος. Αἰτουμένου δ' ἡμέρας αὐτοῦ, μίαν ὁ Κικέρων μόνην τὴν ἐπιοῦσαν ἔδωκε· καὶ ὁ δῆμος ἠγανάκτησεν, εἰθισμένων τῶν στρατηγῶν δέκα τοὐλάχιστον ἡμέρας διδόναι τοῖς κινδυνεύουσι. Τῶν δὲ δημάρχων αὐτὸν διαγαγόντων ἐπὶ τὸ βῆμα, καλούντων, καὶ κατηγορούντων, ἀκουσθῆναι δεηθεὶς, εἶπεν, ὅτι τοῖς κινδυνεύουσιν ἀεὶ, καθ' ὅσον οἱ νόμοι παρείκουσι, κεχρημένος ἐπιεικῶς καὶ φιλανθρώπως, δεινὸν ἡγεῖτο τῷ Μανιλίῳ ταῦτα μὴ παρασχεῖν· ἧς οὖν ἔτι μόνης κύριος ἦν ἡμέρας στρατηγῶν, ταύτην ἐπίτηδες ὁρίσαι· τὸ γὰρ εἰς ἄλλον ἄρχοντα τὴν κρίσιν ἐκβαλεῖν, οὐκ εἶναι βουλομένου βοηθεῖν. Ταῦτα λεχθέντα θαυμαστὴν ἐποίησε τοῦ δήμου μεταβολήν·

tum collum. Quum dies ei non plus duo, aut tres, superessent magistratus, Manilium quidam de peculatu detulit. Erat Manilius hic, quod fatigari eum Pompeii causa, quo utebatur familiariter, crederet, gratus et acceptus plebi. Ei postulanti diem unam solam concessit Cicero insequentem: quae res offendit populum, quod reis consuevissent praetores non minus decem dies tribuere. Tribunis plebis eum hac de causa in rostra vocantibus lacerantibusque, postulata audientia, ait, quum perpetuo in reos fuisset, quatenus per leges liceret, aequus et benignus, durum arbitratum se, si idem denegaret Manilio. Quae ergo dies esset in praetura sui iuris sola, eam de industria statuisse: neque enim ad alium reiiciendam praetorem causam fuisse, opem si ferre studeret. Haec oratio mirum quantum

καὶ πολλὰ κατευφημοῦντες αὐτὸν, ἐδέοντο τὴν ὑπὲρ τοῦ Μανιλίου συνηγορίαν ἀναλαβεῖν. Ὁ δ' ὑπέστη προθύμως, οὐχ ἥκιστα διὰ Πομπήϊον ἀπόντα· καὶ καταστὰς πάλιν ἐξ ὑπαρχῆς ἐδημηγόρησε, νεανικῶς τῶν ὀλιγαρχικῶν καὶ τῶν Πομπηΐῳ φθονούντων καθαπτόμενος.

10. Επὶ δὲ τὴν ὑπατείαν οὐχ ἧττον ὑπὸ τῶν ἀριστοκρατικῶν, ἢ τῶν πολλῶν, προήχθη διὰ τὴν πόλιν, ἐξ αἰτίας αὐτῷ τοιαύτης συναγωνισαμένων. Τῆς ὑπὸ Σύλλα γενομένης μεταβολῆς περὶ τὴν πολιτείαν, ἐν ἀρχῇ μὲν ἀτόπου φανείσης, τότε δὲ τοῖς πολλοῖς ὑπὸ χρόνου καὶ συνηθείας ἤδη τινὰ κατάστασιν ἔχειν οὐ φαύλην δοκούσης, ἦσαν οἱ τὰ παρόντα διασεῖσαι καὶ μεταθεῖναι ζητοῦντες, ἰδίων ἕνεκα πλεονεξιῶν, οὐ πρὸς τὸ βέλτιστον· Πομπηΐου μὲν ἔτι τοῖς βασιλεῦσιν ἐν Πόντῳ καὶ Αρμενίᾳ πολεμοῦντος, ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ μηδεμιᾶς

populi animum commutavit. Multis enim laudibus cumularunt eum, rogaveruntque, ut defensionem susciperet Manilii, quod subiit Cicero libenter, maxime absentis causa Pompeii, habuitque de integro concionem, in qua acriter factiosos et Pompeii aemulos perstrinxit.

10. Ad consulatum non minus ab optimatibus est, quam a plebe, provectus. Suffragati nempe ei ob reipublicae salutem sunt huiuscemodi ex causa. Conversio status reipublicae, quae facta a Sylla fuerat, etsi principio non probaretur, dies tamen et usus tandem utilem esse ad otium servandum ostendit populo. Praesentem rerum statum moliebantur nonnulli, nullo quidem bono publico, sed rerum respectu privatarum, convellere atque mutare. Pompeius id temporis in Ponto et Armenia bellum cum regibus gerebat, Ro-

ὑφεστώσης πρὸς τοὺς νεωτερίζοντας ἀξιομάχου δυνάμεως. Οὗτοι κορυφαῖον εἶχον ἄνδρα τολμητὴν καὶ μεγαλοπράγμονα καὶ ποικίλον τὸ ἦθος, Λεύκιον Κατιλίναν· ὃς αἰτίαν ποτὲ πρὸς ἄλλοις ἀδικήμασι μεγάλοις ἔλαβε παρθένῳ συγγεγονέναι θυγατρὶ, κτεῖναι δ᾽ ἀδελφὸν αὐτοῦ· καὶ δίκην ἐπὶ τούτῳ φοβούμενος, ἔπεισε Σύλλαν, ὡς ἔτι ζῶντα, τὸν ἄνθρωπον ἐν τοῖς ἀποθανουμένοις προγράψαι. Τοῦτον οὖν προστάτην οἱ πονηροὶ λαβόντες, ἄλλας τε πίστεις ἀλλήλοις ἔδοσαν, καὶ καταθύσαντες ἄνθρωπον, ἐγεύσαντο τῶν σαρκῶν. Διέφθαρτο δ᾽ ὑπ᾽ αὐτοῦ πολὺ μέρος τῆς ἐν τῇ πόλει νεότητος, ἡδονὰς καὶ πότους καὶ γυναικῶν ἔρωτας ἀεὶ προξενοῦντος ἑκάστῳ, καὶ τὴν εἰς ταῦτα δαπάνην ἀφειδῶς παρασκευάζοντος. Επῆρτο δ᾽ ἥ τε Τυῤῥηνία πρὸς ἀπόστασιν ὅλη, καὶ τὰ πολλὰ τῆς ἐντὸς Αλπεων Γαλατίας. Επισφαλέστατα δ᾽ ἡ Ῥώμη πρὸς μεταβολὴν εἶχε διὰ τὴν ἐν ταῖς οὐσίαις ἀνωμαλίαν, τῶν

mae vis non erat praesto satis valida ad reprimendos eos, qui rebus novis studebant. Ducem habebant hi hominem audacem, inquiĕtum et versipellem, L. Catilinam. Huic antę fuerat, praeter alia infanda scelera, crimini datum, quod cum virgine filia stuprum fecisset, et necasset fratrem: cuius metu criminis egit cum Sylla, ut fratrem suum, velut adhuc vivum, referret in proscriptos. Eo delecto improbi cives duce fidem cum aliis modis sanxerant inter se, tum mactati hominis gustata carne. Corruperat hic magna ex parte iuventutem urbanam, illecebras, comessationes, scorta cuique semper praebendo, neque ulli sumtui in his suppeditandis modum faciendo. Spectabat tota ad defectionem Hetruria, et Gallia pleraque cisalpina: ipsa vero propter bonorum inaequalitatem maxime ad mutationem re-

μὲν ἐν δόξῃ μάλιστα καὶ φρονήματι κατεπτωχευμένων εἰς θέατρα καὶ δεῖπνα καὶ φιλαρχίας καὶ οἰκοδομίας, τῶν δὲ πλούτων εἰς ἀγεννεῖς καὶ ταπεινοὺς συνεῤῥυηκότων ἀνθρώπους· ὥστε μικρᾶς ῥοπῆς δεῖσθαι τὰ πράγματα, καὶ παντὸς εἶναι τοῦ τολμήσαντος ἐκστῆναι τὴν πολιτείαν, αὐτὴν ὑφ᾽ αὑτῆς νοσοῦσαν.

11. *Οὐ μὴν ἀλλὰ βουλόμενος ὁ Κατιλίνας ἰσχυρόν τε προκαταλαβεῖν ὁρμητήριον, ὑπατείαν μετῄει· καὶ λαμπρὸς ἦν ταῖς ἐλπίσιν, ὡς Γαΐῳ Αντωνίῳ συνυπατεύσων, ἀνδρὶ καθ᾽ αὑτὸν μὲν οὔτε πρὸς τὸ βέλτιον, οὔτε πρὸς τὸ χεῖρον ἡγεμονικῷ, προσθήκην δ᾽ ἄγοντος ἑτέρου δυνάμεως ἐσομένῳ. Ταῦτα δὴ τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν οἱ πλεῖστοι προαισθόμενοι, τὸν Κικέρωνα προῆγον ἐπὶ τὴν ὑπατείαν· καὶ τοῦ δήμου δεξαμένου προθύμως, ὁ μὲν Κατιλίνας ἐξέπεσε, Κικέρων δὲ*

rum opportuna erat Roma. Nam ut quisque nobilissimus erat, et animosissimus, ita opes in spectacula, viscerationes, largitiones magistratuum assequendorum causa, insanas substructiones profuderat. Pecunia ad homines defluxerat ignavos et humiles, ut parvo momento quivis, cui foret animus, valeret rempublicam per se aegram versare.

11. Arcem tamen quod ad nova coepta haberet validam, consulatum Catilina petebat, magnamque conceperat spem, C. Antonium se collegam habiturum, virum, neque ad bonum publicum, neque ad perniciem, idoneum principem, sed accessionem futurum alterius ducis virium. Haec studia plurimorum bonorum, qui ea prospiciebant, accenderunt ad consulatum petendum Ciceronem: qui quum populo valde acceptus esset, tulit Catilina repulsam. Creati consules sunt M.

καὶ Γάϊος Αντώνιος ᾑρέθησαν. Καίτοι τῶν μετιόντων ὁ Κικέρων μόνος ἦν ἐξ ἱππικοῦ πατρὸς, οὐ βουλευτοῦ, γεγονώς.

12. Καὶ τὰ μὲν περὶ Κατιλίναν ἔμενεν ἔτι τοὺς πολλοὺς λανθάνοντα· προάγωνες δὲ μεγάλοι τὴν Κικέρωνος ὑπατείαν ἐξεδέξαντο. Τοῦτο μὲν γὰρ, οἱ κεκωλυμένοι κατὰ τοὺς Σύλλα νόμους ἄρχειν, οὔτ' ἀσθενεῖς ὄντες, οὔτ' ὀλίγοι, μετιόντες ἀρχὰς ἐδημαγώγουν, πολλὰ τῆς Σύλλα τυραννίδος ἀληθῆ μὲν καὶ δίκαια κατηγοροῦντες, οὐ μὴν ἐν δέοντι τὴν πολιτείαν, οὐδὲ σὺν καιρῷ κινοῦντες, τοῦτο δὲ, νόμους εἰσῆγον οἱ δήμαρχοι πρὸς τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν, δεκαδαρχίαν καθιστάντες αὐτοκρατόρων ἀνδρῶν, οἷς ἐφεῖτο, πάσης μὲν Ιταλίας, πάσης δὲ Συρίας, καὶ ὅσα διὰ Πομπηΐου νεωστὶ προσώριστο, κυρίους ὄντας, πωλεῖν τὰ δημόσια, κρίνειν,

T. Cicero, et C. Antonius; licet inter candidatos solus patrem Cicero habuerit equestris ordinis, non patricii.

12. Quamvis vero Catilinae consilia nondum emanaverant in vulgus, magna praeludia tamen contentionum exceperunt Ciceronis consulatum. Hinc illi, qui per leges Cornelias ab honoribus petendis arcebantur, quorum opes ingentes, nec exiguus erat numerus, orationes in prensando populares habebant, graviterque in Syllae tyrannidem invehebantur. Adferebant illi quidem de isto argumento et vera et aequa, alieno tamen et incongruo turbabant rempublicam tempore. Hinc tribuni plebis leges rogabant huic materiae convenientes. Promulgabant nempe legem de creandis cum summa potestate decemviris, quibus ius esset, agrum publicum tota Italia, tota Syria, et nuper a Pompeio partum vendere, quaestionem habere de omnibus, quos liberet exterminare, colonias deducere, pe-

εὖς δοκοίη, φυγάδας ἐκβάλλειν, συνοικίζειν πόλεις, χρήματα λαμβάνειν ἐκ τοῦ ταμιείου, στρατιώτας τρέφειν καὶ καταλέγειν, ὁπόσων δέοιντο. Διὸ καὶ τῷ νόμῳ προσεῖχον ἄλλοι τε τῶν ἐπιφανῶν, καὶ πρῶτος Αντώνιος, ὁ τοῦ Κικέρωνος συνάρχων, ὡς τῶν δέκα γενησόμενος. Εδόκει δὲ καὶ τὸν Κατιλίνα νεωτερισμὸν εἰδὼς οὐ δυσχεραίνειν ὑπὸ πλήθους δανείων· ὃ μάλιστα τοῖς ἀρίστοις φόβον παρεῖχε. Καὶ τοῦτον πρῶτον θεραπεύων ὁ Κικέρων, ἐκείνῳ μὲν ἐψηφίσατο τῶν ἐπαρχιῶν Μακεδονίαν, αὐτῷ δὲ τὴν Γαλατίαν διδομένην παρῃτήσατο, καὶ κατειργάσατο τῇ χάριτι ταύτῃ τὸν Αντώνιον, ὥσπερ ὑποκριτὴν ἔμμισθον, αὐτῷ τὰ δεύτερα λέγειν ὑπὲρ τῆς πατρίδος. Ὡς δ' οὗτος ἑαλώκει καὶ χειροήθης ἐγεγόνει, μᾶλλον ἤδη θαῤῥῶν ὁ Κικέρων ἐνίστατο πρὸς τοὺς καινοτομοῦντας. Εν μὲν οὖν τῇ βουλῇ κατηγορίαν τινὰ τοῦ νόμου διατιθέμενος,

cuniam ex aerario sumere, habere conscribereque exercitum, quanto haberent opus. Quare favebant huic legi cum alii ex nobilitate, tum primus collega Ciceronis, Antonius, unum sperans se fore ex decemviris. Quae vero res perculit optimates praecipue, videbatur coniurationem Catilinae, cuius esset conscius, non moleste ferre, quod oppressus esset multo aere alieno. Huic vulneri primum medicinam faciens, provinciam ei Macedoniam concessit Cicero, Galliam sibi decretam deposuit. Hoc sibi beneficio devinxit Antonium, ut, velut mercenarius histrio, sibi in tuenda patriae salute secundas partes ageret. Hunc iam ut sibi habuit obsequentem et tractabilem, tunc maiore animo Cicero eos, qui moliebantur res novas, aggressus est. Igitur in senatu contra legem dixit: ubi pavorem legislatoribus offudit tantum, ut, quid responderent, non

οὕτως ἐξέπληξεν αὐτοὺς τοὺς εἰσφέροντας, ὥστε μηδὲν ἀντιλέγειν. Επεὶ δ' αὖθις ἐπεχείρουν, καὶ παρεσκευασμένοι προεκαλοῦντο τοὺς ὑπάτους ἐπὶ τὸν δῆμον, οὐδὲν ὑποδείσας ὁ Κικέρων, ἀλλὰ τὴν βουλὴν ἕπεσθαι κελεύσας καὶ προελθὼν, οὐ μόνον ἐξέβαλε τὸν νόμον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἀπογνῶναι τοὺς δημάρχους ἐποίησε, παρὰ τοσοῦτον τῷ λόγῳ κρατηθέντας ὑπ' αὐτοῦ.

13. Μάλιστα γὰρ οὗτος ὁ ἀνὴρ ἐπέδειξε Ῥωμαίοις, ὅσον ἡδονῆς λόγος τῷ καλῷ προστίθησι, καὶ ὅτι τὸ δίκαιον ἀήττητόν ἐστιν, ἂν ὀρθῶς λέγηται· καὶ δεῖ τὸν ἐμμελῶς πολιτευόμενον ἀεὶ τῷ μὲν ἔργῳ τὸ καλὸν ἀντὶ τοῦ κολακεύοντος αἱρεῖσθαι, τῷ δὲ λόγῳ τὸ λυποῦν ἀφαιρεῖν τοῦ συμφέροντος. δεῖγμα δ' αὐτοῦ τῆς περὶ τὸν λόγον χάριτος, καὶ τὸ περὶ τὰς θέας ἐν τῇ ὑπατείᾳ γενόμενον. τῶν γὰρ ἱππικῶν πρότερον ἐν τοῖς θεάτροις ἀναμεμιγμένων τοῖς πολλοῖς, καὶ μετὰ τοῦ δήμου θεωμένων, ὡς ἔτυχε, πρῶτος διέκρινεν ἐπὶ τιμῇ

haberent. Verum quum urgerent de integro legem, et instructi consules in rostra traherent, nihil Cicero trepidans, senatu sequi iusso, progressus est. Nec solum legem antiquavit, sed et adeo consternavit dicendo tribunos, ut etiam suscepta omnia abiicerent alia.

13. Nempe hic vir potissimum, quantum adferat honesto condimentum eloquentia, ostendit populo romano, atque iustum quod est, invincibile esse, si recte dicatur, debereque eum, qui sedulo tractare rempublicam intendit, semper in rebus quidem agendis honestum blandienti anteferre, sed in dicendo acerbum eximere conducibili. Indicat eius in dicendo suavitatem id, quod in consulatu eius circa spectacula accidit. Quum enim ante equites in theatris permisti plebi et

τοὺς ἱππέας ἀπὸ τῶν ἄλλων πολιτῶν Μάρκος Ὄθων στρατηγῶν, καὶ διένειμεν ἰδίαν ἐκείνοις θέαν, ἣν ἔτι καὶ νῦν ἐξαίρετον ἔχουσι. τοῦτο πρὸς ἀτιμίαν ὁ δῆμος ἔλαβε, καὶ φανέντος ἐν θεάτρῳ τοῦ Ὄθωνος, ἐφυβρίζων ἐσύριττεν, οἱ δ' ἱππεῖς ὑπέλαβον κρότῳ τὸν ἄνδρα λαμπρῶς. αὖθις δ' ὁ δῆμος ἐπέτεινε τὸν συριγμὸν, εἶτ' ἐκεῖνοι τὸν κρότον. ἐκ δὲ τούτου τραπόμενοι πρὸς ἀλλήλους ἐχρῶντο λοιδορίαις, καὶ τὸ θέατρον ἀκοσμία κατεῖχεν. ἐπεὶ δ' ὁ Κικέρων ἧκε πυθόμενος, καὶ τὸν δῆμον ἐκκαλέσας πρὸς τὸ τῆς Ἐνυοῦς ἱερὸν, ἐπετίμησε καὶ παρῄνεσεν, ἀπελθόντες αὖθις εἰς τὸ θέατρον ἐκρότουν τὸν Ὄθωνα λαμπρῶς, καὶ πρὸς τοὺς ἱππέας ἅμιλλαν ἐποιοῦντο περὶ τιμῶν καὶ δόξης τοῦ ἀνδρός.

14. Ἡ δὲ περὶ τὸν Κατιλίναν συνωμοσία, πτήξασα καὶ καταδείσασα τὴν ἀρχὴν, αὖθις ἀνεθάῤῥει, καὶ συνῆγον ἀλ-

una cum populo indiscreti spectarent, M. Otho, praetor, equites honoris causa primus a cetera plebe discrevit, ac separatum iis locum in theatro, quem nunc quoque tenent praecipuum, attribuit. Id interpretatus in contumeliam factum suam populus, ingressum in theatrum exsibilavit Othonem probrose: equites invicem magno plausu exceperunt eum. Intendit ex integro populus sibilum, mox plausum illi. Ita inter se commissi laceraverunt se mutuo maledictis, ac confusio theatrum magna tenebat. Qua re audita, quum contulisset se illuc Cicero, concioneque ad Bellonae convocata, increpasset populum, castigassetque, reversi in theatrum ingentem plausum Othoni dederunt, certaveruntque cum equitibus de illius honoribus et laude.

14. At coniuratio Catilinae, trepida initio et perculsa, resumsit animos. Conventu autem coacto, co-

λήλους, καὶ παρεκάλουν εὐτολμότερον ἅπτεσθαι τῶν πραγμάτων, πρὶν ἐπανελθεῖν Πομπήϊον, ἤδη λεγόμενον ὑποστρέφειν μετὰ τῆς δυνάμεως. μάλιστα δὲ τὸν Κατιλίναν ἐξηρέθιζον οἱ Σύλλα πάλαι στρατιῶται, διαπεφευγότες μὲν ὅλης τῆς Ἰταλίας, πλεῖστοι δὲ καὶ μαχιμώτατοι ταῖς Τυῤῥηνικαῖς ἐγκατεσπαρμένοι πόλεσιν, ἁρπαγὰς πάλιν καὶ διαφορήσεις πλούτων ἑτοίμων ὀνειροπολοῦντες. οὗτοι γὰρ ἡγεμόνα Μάλλιον ἔχοντες, ἄνδρα τῶν ἐπιφανῶς ὑπὸ Σύλλᾳ στρατευσαμένων, συνίσταντο τῷ Κατιλίνᾳ καὶ παρῆσαν εἰς Ῥώμην συναρχαιρεσιάσοντες. ὑπατείαν γὰρ αὖθις μετῄει, βεβουλευμένος ἀνελεῖν τὸν Κικέρωνα περὶ αὐτὸν τῶν ἀρχαιρεσιῶν τὸν θόρυβον. ἐδόκει δὲ καὶ τὸ δαιμόνιον προσημαίνειν τὰ πρασσόμενα σεισμοῖς καὶ κεραυνοῖς καὶ φάσμασιν. αἱ δ' ἀπ' ἀνθρώπων μηνύσεις ἀληθεῖς μὲν ἦσαν, οὔπω δ' εἰς ἔλεγχον ἀποχρῶσαι κατ' ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ δυναμένου μέγα, τοῦ Κατιλίνα.

hortati sese mutuo sunt, ut maiore mole rem susciperent, priusquam Pompeius, quem cum legionibus esse audiebant in itinere, reverteretur. Inflammaverunt Catilinam potissimum veteres Syllani milites: qui per totam quidem Italiam fusi, sed plurimi et fortissimi Hetruriae admisti oppidis, quum novas rapinas et direptiones paratas locupletum somniarent, duce Manlio, egregio viro, qui sub Sylla meruerat, conspiraverunt cum Catilina, veneruntque Romam ad comitia, ut eius petitionem suffragiis suis iuvarent. Petebat enim iterum consulatum, certus Ciceronem in ipso comitiorum tumultu occidere. Porro dii quoque clare imminentia mala terrae motibus, fulguribus et ostentis praenuntiarunt. Indicia hominum erant illa quidem vera, sed ad coarguendum virum nobilem et praepotentem, Ca-

διὸ τὴν ἡμέραν τῶν ἀρχαιρεσιῶν ὑπερθέμενος ὁ Κικέρων, ἐκάλει τὸν Κατιλίναν εἰς τὴν σύγκλητον, καὶ περὶ τῶν λεγομένων ἀνέκρινεν. ὁ δὲ πολλοὺς οἰόμενος εἶναι τοὺς πραγμάτων καινῶν ἐφιεμένους ἐν τῇ βουλῇ, καὶ ἅμα τοῖς συνωμόταις ἐνδεικνύμενος, ἀπεκρίνατο τῷ Κικέρωνι οὐ μαλακὴν ἀπόκρισιν. Τί γὰρ, ἔφη, πράττω δεινὸν, εἰ, δυοῖν σωμάτων ὄντων, τοῦ μὲν ἰσχνοῦ καὶ κατεφθινηκότος, ἔχοντος δὲ κεφαλὴν, τοῦ δ' ἀκεφάλου μὲν, ἰσχυροῦ δὲ καὶ μεγάλου, τούτῳ κεφαλὴν αὐτὸς ἐπιτίθημι; Τούτων εἴς τε τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον ἠνιγμένων ὑπ' αὐτοῦ, μᾶλλον ὁ Κικέρων ἔδεισε, καὶ τεθωρακισμένον αὐτὸν οἵ τε δυνατοὶ πάντες ἀπὸ τῆς οἰκίας, καὶ τῶν νέων πολλοὶ κατήγαγον εἰς τὸ πεδίον. τοῦ δὲ θώρακος ἐπίτηδες ὑπέφαινέ τι παραλύσας ἐκ τῶν ὤμων τοῦ χιτῶνος, ἐνδεικνύμενος τοῖς ὁρῶσι τὸν κίνδυνον. οἱ δ' ἠγανάκτουν καὶ συνεστρέφοντο περὶ αὐτόν· καὶ

tilinam, non satis firma. Quare producta comitiorum die, accersivit in curiam Catilinam Cicero, atque de iis, quae agitata rumoribus erant, interrogavit. Ille, multos ratus in senatu esse rerum novarum cupidos, simul etiam coniuratis ostentans se, respondit Ciceroni leniter: Quidnam pecco, inquit, duo quum sint corpora, alterum gracile et tabidum, quod caput habeat, expers alterum capitis, sed validum et magnum, huic si ego caput addo? Haec eo involute de senatu et populo iactante, maior Ciceronem incessit metus: quem lorica munitum primores omnes ac frequens iuventus ab ipsius domo et curia deduxerunt in campum. Dissuta de industria ex humeris tunica, partem aperuit loricae, quo conspectior contemplantibus periculi sui esset magnitudo: qui graviter commoti latera eius cin-

τέλος ἐν ταῖς ψήφοις τὸν μὲν Κατιλίναν αὖθις ἐξέβαλον, εἵλοντο δὲ Σιλανὸν ὕπατον, καὶ Μουρήναν.

15. Οὐ πολλῷ δ᾽ ὕστερον τούτων ἤδη τῷ Κατιλίνᾳ τῶν ἐν Τυῤῥηνίᾳ συνερχομένων, καὶ τῆς ὡρισμένης πρὸς τὴν ἐπίθεσιν ἡμέρας ἐγγὺς οὔσης, ἧκον ἐπὶ τὴν Κικέρωνος οἰκίαν περὶ μέσας νύκτας ἄνδρες οἱ πρῶτοι καὶ δυνατώτατοι Ῥωμαίων, Μάρκος τε Κράσσος, καὶ Μάρκος Μάρκελλος, καὶ Σκιπίων Μέτελλος. κόψαντες δὲ τὰς θύρας, καὶ καλέσαντες τὸν θυρωρὸν, ἐκέλευον ἐπεγεῖραι, καὶ φράσαι Κικέρωνι τὴν παρουσίαν αὐτῶν. ἦν δὲ τοιόνδε· τῷ Κράσσῳ μετὰ δεῖπνον ἐπιστολὰς ἀποδίδωσιν ὁ θυρωρὸς ὑπὸ δή τινος ἀνθρώπου κομισθείσας ἀγνώστου, ἄλλας ἄλλοις ἐπιγεγραμμένας, αὐτῷ δὲ Κράσσῳ μίαν ἀδέσποτον. ἣν μόνην ἀναγνοὺς ὁ Κράσσος, ὡς ἔφραζε τὰ γράμματα, φόνον γενησόμενον πολὺν διὰ Κατιλίναν, καὶ παρῄνει τῆς πόλεως ὑπεξελθεῖν,

xere. Postremo repulso iterum suffragiis Catilina, declarantur consules Decius Silanus et C. Muraena.

15. Non multis post diebus, dum milites Catilinae in Hetruria contrahuntur, et definita ad coepta patranda dies instat, intempesta nocte principes et potentissimi civitatis venerunt domum ad Ciceronem, M. Crassus, M. Marcellus, Scipio Metellus. Pulsatis foribus, et ianitore appellato, excire ex somno Ciceronem, et se adesse iusserunt nuntiare. Erat autem res haec: Crasso a coena epistolas reddiderat ianitor ab homine allatas ignoto, alias aliis inscriptas, ipsi Crasso unam sine nomine. Ea Crassus sola lecta, ubi literae significarunt, multorum moliri Catilinam caedem, monueruntque, ut civitate se subduceret, non aperuit reliquas,

τὰς ἄλλας οὐκ ἔλυσεν, ἀλλ' ἧκεν εὐθὺς πρὸς τὸν Κικέρωνα, πληγεὶς ὑπὸ τοῦ δεινοῦ, καί τι καὶ τῆς αἰτίας ἀπολυσόμενος, ἣν ἔσχε διὰ φιλίαν τοῦ Κατιλίνα. βουλευσάμενος οὖν ὁ Κικέρων, ἅμ' ἡμέρᾳ βουλὴν συνήγαγε, καὶ τὰς ἐπιστολὰς κομίσας, ἀπέδοκεν, οἷς ἦσαν ἐπεσταλμέναι, κελεύσας φανερῶς ἀναγνῶναι. Πᾶσαι δ' ἦσαν ὁμοίως ἐπιβουλὴν φράζουσαι. Επεὶ δὲ καὶ Κόϊντος Ἀῤῥιος, ἀνὴρ στρατηγικὸς, ἀπήγειλε τοὺς ἐν Τυῤῥηνίᾳ καταλοχισμοὺς, καὶ Μαλλιος ἀπηγγέλλετο σὺν χειρὶ μεγαλῃ περὶ τὰς πόλεις ἐκείνας αἰωρούμενος ἀεί τι προσδοκᾷν καινὸν ἀπὸ τῆς 'Ρόμης, γίνεται δόγμα τῆς βουλῆς, παρακατατίθεσθαι τοῖς ὑπάτοις τὰ πράγματα· δεξαμένους δ' ἐκείνους, ὡς ἐπίστανται, διοικεῖν καὶ σώζειν τὴν πολιν. Τοῦτο δ' οὐ πολλάκις, ἀλλ' ὅταν τι μέγα δείσῃ, ποιεῖν εἴωθεν ἡ σύγκλητος.

16. Επεὶ δὲ ταύτην λαβὼν τὴν ἐξουσίαν ὁ Κικέρων τὰ

sed confestim, tanto attonitus periculo, properavit ad Ciceronem, simul nonnullam, in qua ob familiaritatem erat Catilinae, diluturus suspicionem. Cicero, re deliberata, prima luce convocat senatum, epistolas reddit iis, quibus erant destinatae, iubetque, ut eas publice legant. Continebant omnes ex aequo, instare insidias. Ceterum postquam delectum in Hetruria haberi Quintus Martius, vir praetorius, significavit, et Manlium nuntiatum est magna cum manu illic circa oppida constanter haerere, opperientem aliquem motum urbanum: fit senatusconsultum, ut committeretur consulibus respublica, ii viderent, ne quid respublica detrimenti caperet. Id non frequenter, sed in gravi discrimine, facere senatus solebat.

16. Hac potestate Ciceroni permissa, quae agenda

μὲν ἔξω πράγματα Κοΐντῳ Μετέλλῳ διεπίστευε, τὴν δὲ πόλιν εἶχε διὰ χειρὸς καὶ καθ' ἡμέραν προῄει δορυφορούμενος ὑπ' ἀνδρῶν τοσούτων τὸ πλῆθος, ὥστε τῆς ἀγορᾶς πολὺ μέρος κατέχειν, ἐμβαλλοντος αὐτοῦ τοὺς παραπέμποντας· οὐκέτι καρτερῶν τὴν μέλλησιν ὁ Κατιλίνας, αὐτὸς μὲν ἐκπηδᾷν ἔγνω πρὸς τὸν Μαλλιον ἐπὶ τὸ στράτευμα· καὶ Μάρκιον δὲ καὶ Κέθηγον ἐκέλευσε ξίφη λαβόντας ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς θύρας ἕωθεν, ὡς ἀσπασομένους τὸν Κικέρωνα, καὶ διαχρήσασθαι προσπεσόντας. Τοῦτο Φουλβία, γυνὴ τῶν ἐπιφανῶν, ἐξαγγέλλει τῷ Κικέρωνι, νυκτὸς ἐλθοῦσα, καὶ διακελευσαμένη φυλάττεσθαι τοὺς περὶ τὸν Κέθηγον. Οἱ δ' ἧκον ἅμ' ἡμέρᾳ, καὶ κωλυθέντες εἰσελθεῖν, ἠγανάκτουν, καὶ κατεβόων ἐπὶ θύραις, ὥστε ὑποπτότεροι γενέσθαι. Προελθὼν δ' ὁ Κικέρων, ἐκάλει τὴν σύγκλητον εἰς τὸ τοῦ Στησίου Διὸς ἱερὸν, ὃν Στάτωρα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἱδρυμένον ἐν ἀρχῇ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, πρὸς

foris erant, Q. Metello commisit; urbi ipse praesidio fuit. Quotidie in publicum tanta stipatus caterva processit, ut eius comitatus ingredientis magna ex parte forum occuparet. Tunc Catilina, longioris morae impatiens, excurrere ad Manlium constituit in castra, Martium et Cethegum cum gladiis iussit, sicuti salutatum, mane ad ianuam Ciceronis pergere, et irruentes eum occidere. At Fulvia hoc, nobilis femina, Ciceroni nocte ad eum profecta enuntiavit, monuitque eum, ut caveret a Cethego et Martio. Hi quum diluculo accessissent, ianua prohibiti coeperunt frendere et clamoribus incessere pro foribus: quae res magis eos suspectos reddidit. At Cicero progressus coëgit senatum in aedem Iovis Statoris, quae est in initio Sacrae viae,

τὸ Παλάτιον ἀνιόντων. Ἐνταῦθα καὶ τοῦ Κατιλίνα μετὰ τῶν ἄλλων ἐλθόντος, ὡς ἀπολογησομένου, συγκαθίσαι μὲν οὐδεὶς ὑπέμεινε τῶν συγκλητικῶν, ἀλλὰ πάντες ἀπὸ τοῦ βάθρου μετῆλθον. Ἀρξάμενος δὲ λέγειν ἐθορυβεῖτο, καὶ τέλος ἀναστὰς ὁ Κικέρων, προσέταξεν αὐτῷ τῆς πόλεως ἀπαλλάττεσθαι· δεῖν γὰρ, αὐτοῦ μὲν λόγοις, ἐκείνου δ' ὅπλοις πολιτευομένου, μέσον εἶναι τὸ τεῖχος. Ὁ μὲν οὖν Κατιλίνας εὐθὺς ἐξελθὼν μετὰ τριακοσίων ὁπλοφόρων, καὶ περιστησάμενος αὑτῷ ῥαβδουχίας, ὡς ἄρχοντι, καὶ πελέκεις, καὶ σημαίας ἐπαράμενος, πρὸς τὸν Μάλλιον ἐχώρει· καὶ δισμυρίων ὁμοῦ τι συνηθροισμένων, ἐπῄει τὰς πόλεις ἀναπείθων καὶ ἀφιστάς· ὥστε, τοῦ πολέμου φανεροῦ γεγονότος, τὸν Ἀντώνιον ἀποσταλῆναι διαμαχούμενον.

17. Τοὺς δ' ὑπολειφθέντας ἐν τῇ πόλει τῶν διεφθαρμένων ὑπὸ τοῦ Κατιλίνα συνῆγε καὶ παρεθάῤῥυνε Κορνήλιος

qua adscenditur in Palatium. Quo quum et Catilina venisset inter reliquos, velut purgaturus se, nemo fuit senator, qui ei assidere sustineret, sed relicto subsellio, in alteram partem transierunt omnes. Dicere incipienti obstrepuerunt. Denique exsurgens Cicero urbe praecepit ei ut excederet. Opus enim esse, dum ipse verbis, ille rempublicam armis tractaret, ut muri in medio essent. Ibi Catilina confestim trecentis armatis comitatus urbem reliquit, ac quasi cum imperio esset, cum lictoribus fascibusque et signis correptis ad Manlium contendit. Contractis ferme viginti millibus, adiit oppida, ad defectionem ea sollicitans. Itaque quum apertum esset bellum, missus est cum exercitu contra eum Antonius.

17. Relictos in urbe, quos labefactaverat Catilina,

Λέντλος, Σούρας ἐπίκλησιν, ἀνὴρ γένους μὲν ἐνδόξου, βεβιωκὼς δὲ φαύλως, καὶ δι' ἀσέλγειαν ἐξεληλαμένος τῆς βουλῆς πρότερον· τότε δὲ στρατηγῶν τὸ δεύτερον, ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς ἐξ ὑπαρχῆς ἀνακτωμένοις τὸ βουλευτικὸν ἀξίωμα. Λέγεται δὲ καὶ τὴν ἐπίκλησιν αὐτῷ γενέσθαι τὸν Σούραν ἐξ αἰτίας τοιαύτης. Εν τοῖς κατὰ Σύλλαν χρόνοις ταμιεύων, συχνὰ τῶν δημοσίων χρημάτων ἀπώλεσε καὶ διέφθειρεν. Αγανακτοῦντος δὲ τοῦ Σύλλα, καὶ λόγον ἀπαιτοῦντος ἐν τῇ συγκλήτῳ, προελθὼν ὀλιγώρως πάνυ καὶ καταφρονητικῶς, λόγον μὲν οὐκ ἔφη διδόναι, παρέχειν δὲ τὴν κνήμην, ὥσπερ εἰώθεισαν οἱ παῖδες, ὅταν ἐν τῷ σφαιρίζειν ἁμάρτωσιν. Εκ τούτου Σούρας παρωνομάσθη· σούραν γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὴν κνήμην λέγουσι. Πάλιν δὲ δίκην ἔχων, καὶ διαφθείρας ἐνιους τῶν δικαστῶν, ἐπεὶ δυσὶ μόναις ἀπέφυγε ψήφοις, ἔφη, παρανάλωμα γεγονέναι τὸ θατέρῳ κριτῇ δοθέν· ἀρκεῖν γὰρ, εἰ καὶ

convocavit et confirmavit Cornelius Lentulus, Sura cognomine, claro vir genere, sed vita turpi, atque ob vitam flagitiosam ante sènatu motus. Praetor tunc iterum erat, ut mos est, quum quis in senatum est denuo electus. Fama est, Suram eum appellatum fuisse ex huiuscemodi causa. Dominante Sylla, quaestor magnam summam profuderat abligurieratque pecuniae publicae. Stomachante Sylla, ac rationes ab eo in curia reposcente, procedens in medium secure admodum et contemtim, rationes ait se reddere non posse, sed praebere suram, puerorum scilicet more, quum in ludo pilae offenderunt. Hinc appellatus est Sura. Protractus iterum in iudicium, quum nonnullos iudices pecunia redemisset, atque duabus dumtaxat sententiis superasset absolutoriis damnatorias, quod alteri iudici

μιᾷ ψήφῳ μόνον ἀπελύθη. Τοῦτον ὄντα τῇ φύσει τοιοῦτον, κεκινημένον ὑπὸ τοῦ Κατιλίνα, προσδιέφθειραν ἐλπίσι κεναῖς ψευδομάντεις καὶ γόητες, ἔπη πεπλασμένα καὶ χρησμοὺς ᾄδοντες, ὡς ἐκ τῶν Σιβυλλείων προδηλοῦντας, εἱμαρμένους εἶναι τῇ Ῥώμῃ Κορνηλίους τρεῖς μονάρχους· ὧν δύο μὲν ἤδη πεπληρωκέναι τὸ χρεὼν, Κίνναν τε καὶ Σύλλαν, τρίτῳ δὲ λοιπῷ Κορνηλίῳ, ἐκείνῳ, φέροντα τὴν μοναρχίαν ἥκειν τὸν δαίμονα, καὶ δεῖν πάντως δέχεσθαι, καὶ μὴ διαφθείρειν μέλλοντα τοὺς καιροὺς, ὥσπερ Κατιλίνας.

18. Οὐδὲν οὖν ἐπενόει μικρὸν ὁ Λέντλος, ἢ ἄσημον, ἀλλ' ἐδέδοκτο τὴν βουλὴν ἅπασαν ἀναιρεῖν, τῶν τ' ἄλλων πολιτῶν ὅσους δύναιτο, τὴν πόλιν δ' αὐτὴν καταπιμπράναι· φείδεσθαί τε μηδενὸς, ἢ τῶν Πομπηΐου τέκνων· ταῦτα δ' ἐξαρπασαμένους ἔχειν ὑφ' αὐτοῖς, καὶ φυλάττειν, ὅμηρα τῶν πρὸς

dedisset nequidquam ait impensum fuisse: satis enim esse, modo una tantum sententia plus esset liberatus. Tali hunc ingenio, et a Catilina incensum, vani insuper vates et praestigiatores spe dementaverant inani, carmina conficta et sortes canentes, quasi ex libris Sibyllinis praenuntiantes, in fatis esse, ut tres Cornelii Romae rerum potirentur, eorum duos fatum iam implevisse, Cinnam et Syllam: tertio, qui superesset, Cornelio, deos ipsi dominationem deferre: quin susciperet, nec cunctando, sicut Catilina, corrumperet opportunitatem.

18. Igitur nihil Lentulus mediocre, aut leve agitavit, sed totum statuit Senatum interficere, et ex ceteris civibus, quos posset, urbem ipsam incendere, parcere praeter Pompeii liberos nemini: hos incolumes suae potestatis facere, et pignora retinere suae ad

Πομπηΐου διαλύσεων. ἤδη γὰρ ἐφοίτα πολὺς λόγος καὶ βέβαιος ὑπὲρ αὐτοῦ κατιόντος ἀπὸ τῆς μεγάλης στρατείας. καὶ νὺξ μὲν ὥριστο πρὸς τὴν ἐπίθεσιν μία τῶν Κρονιάδων· ξίφη δὲ καὶ στυππεῖα καὶ θεῖον εἰς τὴν Κεθήγου φέροντες οἰκίαν ἀπέκρυψαν. ἄνδρας δὲ τάξαντες ἑκατὸν, καὶ μέρη τοσαῦτα τῆς Ῥώμης, ἕκαστον ἐφ' ἑκάστῳ διεκλήρωσαν, ὡς δι' ὀλίγου, πολλῶν ἁψάντων, φλέγοιτο πανταχόθεν ἡ πόλις. ἄλλοι δὲ τοὺς ὀχετοὺς ἔμελλον ἐμφράξαντες ἀποσφάττειν τοὺς ὑδρευομένους. πραττομένων δὲ τούτων, ἔτυχον ἐπιδημοῦντες Ἀλλοβρίγων δύο πρέσβεις, ἔθνους μάλιστα δὴ τότε πονηρὰ πράττοντος, καὶ βαρυνομένου τὴν ἡγεμονίαν. Τούτους οἱ περὶ Λέντλον ὠφελίμους ἡγούμενοι πρὸς τὸ κινῆσαι καὶ μεταβαλεῖν τὴν Γαλατίαν, ἐποιήσαντο συνωμότας. καὶ γράμματα μὲν αὐτοῖς πρὸς τὴν ἐκεῖ βουλὴν, γράμματα δὲ πρὸς Κατιλίναν ἔδοσαν, τῇ μὲν ὑπισχνούμενοι τὴν ἐλευθερίαν, τὸν

Pompeium securitatis. Frequens iam enim rumor et constans advolabat, confecto eum illo ingenti bello ad urbem redire. Noctem huic facinori destinaverant unam ex Saturnalibus. Enses, stuppam, sulphur clam domum Cethegi comportaverant. Vrbem in centum partes descripserant, iisque centum viros praefecerant, singulos singulis sorte ductos, ut momento, multis ignem subiicientibus, urbs undique conflagraret. Alii obstructuri erant aquaeductus et aquantes obtruncaturi. Dum haec parantur, forte legati duo Allobrogum Romae agebant, gentis tum plurimum afflictae, atque exosae Romani imperii iugum. Hos Lentulus cum suis rati opportunos ad movendam sollicitandamque Galliam, associaverunt coniurationi, et literas iis ad ipsorum magistratus, alias dederant ad Catilinam. Illis

δὲ Κατιλίναν παρακαλοῦντες ἐλευθεροῦντα τοὺς δούλους ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐλαύνειν. συναπέστελλον δὲ μετ' αὐτῶν πρὸς τὸν Κατιλίνου Τίτον τινὰ Κροτωνιάτην, κομίζοντα τὰς ἐπιστολάς. οἷα δ' ἀνθρώπων ἀσταθμήτων, καὶ μετ' οἴνου τὰ πολλὰ καὶ γυναικῶν ἀλλήλοις ἐντυγχανόντων, βουλεύματα πόνῳ καὶ λογισμῷ νήφοντι καὶ συνέσει περιττῇ διώκων ὁ Κικέρων, καὶ πολλοὺς μὲν ἔχων ἔξωθεν ἐπισκοποῦντας τὰ πραττόμενα καὶ συνεξιχνεύοντας αὐτῷ· πολλοῖς δὲ τῶν μετέχειν δοκούντων τῆς συνωμοσίας διαλεγόμενος κρύφα, καὶ πιστεύων, ἔγνω τὴν πρὸς τοὺς ξένους κοινολογίαν· καὶ νυκτὸς ἐνεδρεύσας, ἔλαβε τὸν Κροτωνιάτην καὶ τὰ γράμματα, συνεργούντων ἀδήλως τῶν Ἀλλοβρίγων.

19. Ἅμα δ' ἡμέρᾳ βουλὴν ἀθροίσας εἰς τὸ τῆς Ὁμονοίας ἱερὸν, ἐξανέγνω τὰ γράμματα, καὶ τῶν μηνυτῶν διή-

ostendebant libertatem, his Catilinam adhortabantur, ut, vocatis ad libertatem serviliis, duceret ad urbem. Cum his Titum quendam Crotoniensem, qui literas ferret, miserunt. Haec, ut hominum temerariorum, et per vinum fere atque cum mulieribus inter se conferentium consilia, industria Cicero ac sobria mente magnaque prudentia venans, quum multos haberet etiam foris emissarios, qui observarent et sibi investigarent, quae gererentur: cum multis quoque, qui esse consortes credebantur coniurationis, secreta colloquia haberet, quibus fideret: cognovit, quae cum legatis fuerant acta: collocatisque nocte insidiis, Crotoniensem cum epistolis comprehendit, facientibus occulte cum eo Allobrogibus.

19. Senatu, ubi illuxit, in aedem Concordiae advocato, recitavit literas, et indices diligenter interro-

κουσεν. ἔφη δὲ καὶ Σιλανὸς Ἰούνιος, ἀκηκοέναι τινὸς Κεθήγου λέγοντος, ὡς ὕπατοί τε τρεῖς καὶ στρατηγοὶ τέτταρες ἀναιρεῖσθαι μέλλουσι. τοιαῦτα δ᾽ ἕτερα καὶ Πείσων, ἀνὴρ ὑπατικὸς, εἰσήγγελε. Γάϊος δὲ Σουλπίκιος, εἷς τῶν στρατηγῶν, ἐπὶ τὴν οἰκίαν πεμφθεὶς τοῦ Κεθήγου, πολλὰ μὲν ἐν αὐτῇ βέλη καὶ ὅπλα, πλεῖστα δὲ ξίφη καὶ μαχαίρας εὗρε, νεοθήκτους ἁπάσας. τέλος δὲ τῷ Κροτωνιάτῃ ψηφισαμένης ἄδειαν ἐπὶ μηνύσει τῆς βουλῆς, ἐξελεγχθεὶς ὁ Λέντλος ἀπωμόσατο τὴν ἀρχὴν, (στρατηγῶν γὰρ ἐτύγχανε) καὶ τὴν περιπόρφυρον ἐν τῇ βουλῇ καταθέμενος, διήλλαξεν ἐσθῆτα τῇ συμφορᾷ πρέπουσαν. οὗτος μὲν οὖν καὶ οἱ σὺν αὐτῷ παρεδόθησαν εἰς ἄδεσμον φυλακὴν τοῖς στρατηγοῖς. ἤδη δ᾽ ἑσπέρας οὔσης, καὶ τοῦ δήμου περιμένοντος ἀθρόου, προελθὼν ὁ Κικέρων, καὶ φράσας τὸ πρᾶγμα τοῖς πολίταις, καὶ προπεμφθεὶς, παρῆλθεν εἰς οἰκίαν φίλου γειτνιῶντος· ἐπεὶ τὴν

gavit. Addidit Iunius Silanus, esse qui ex Cethego audivissent, brevi fore, ut tres consules et quatuor praetores interficerentur. Alia etiam huiuscemodi Piso, vir consularis, retulit. C. Sulpitius, praetor, domum Cethegi missus, magnam vim ibi telorum et armorum, plurimos pugiones et gladios, omnes recens exacutos, deprehendit. Postremo Crotoniensi fide publica dicere a senatu, quae sciret, iusso, convictus Lentulus, magistratum, quod praetor esset, abdicavit, depositaque in curia praetexta, vestem sumsit praesenti calamitati convenientem: atque is itemque consortes eius praetoribus traditi sunt, ut in liberis custodiis haberentur. Obscura iam luce, quum frequens plebs exspectaret, progressus Cicero, quae acta essent, exposuit populo. Inde deduxerunt eum in aedes amici vicini: nam ipsius

ἐκείνου γυναῖκες κατεῖχον, ἱεροῖς ἀποῤῥήτοις ὀργιάζουσαι θεὸν, ἣν Ῥωμαῖοι μὲν Ἀγαθὴν, Ἕλληνες δὲ Γυναικείαν ὀνομάζουσι. θύεται δ' αὐτῇ κατ' ἐνιαυτὸν ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ ὑπάτου διὰ γυναικὸς, ἢ μητρὸς αὐτοῦ, τῶν Ἑστιάδων παρθένων παρουσῶν. εἰσελθὼν οὖν ὁ Κικέρων, καθ' αὑτὸν, ὀλίγων παντάπασιν αὐτῷ παρόντων, ἐφρόντιζεν, ὅπως χρήσαιτο τοῖς ἀνδράσι.. τήν τε γὰρ ἄκραν καὶ προσήκουσαν ἀδικήμασι τηλικούτοις τιμωρίαν ἐξευλαβεῖτο καὶ κατώκνει, διὶ ἐπιείκειαν ἤθους ἅμα, καὶ ὡς μὴ δοκοίη τῆς ἐξουσίας ἄγαν ἐμφορεῖσθαι, καὶ πικρῶς ἐπεμβαίνειν ἀνδράσι γένει τε πρώτοις, καὶ φίλους δυνατοὺς ἐν τῇ πόλει κεκτημένοις· μαλακώτερόν τε χρησάμενος, ὠῤῥώδει τὸν ἀπ' αὐτῶν κίνδυνον. οὐ γὰρ ἀγαπήσειν μετριώτερόν τι θανάτου παθόντας, ἀλλ' εἰς ἅπαν ἀναῤῥαγήσεσθαι τόλμης, τῇ παλαιᾷ κακίᾳ νέαν ὀργὴν προσ-

domum tenebant mulieres, quae arcanis sacris Bonae deae, quam Graeci appellant Muliebrem, operabantur. Haec sacra quotannis in aedibus consulis uxor eius, aut mater, virginibus Vestalibus praesentibus, obit. Ingressus Cicero, perpaucis praesentibus, volvit secum, quid de istis hominibus statueret. Siquidem extremum et tam atrocibus par facinoribus supplicium dubitabat et verebatur persequi, cum miti suo inductus ingenio, tum ne potestate sua luxuriare videretur, insolentiusque insultare viris nobilissimis et potentes habentibus amicos: sin mollius consuleret, formidabat propositum sibi ab iis periculum: neque enim acquieturos eos, si leviore, quam capitali, defungerentur poena, sed adiuncta ad pristinam improbitatem nova ira in omnem exarsuros audaciam: deinde notam se timiditatis et

λαβόντας· αὐτός τε δόξειν ἄνανδρος καὶ μαλακὸς, οὐδ᾽ ἄλλως δοκῶν εὐτολμότατος εἶναι τοῖς πολλοῖς·

20. Ταῦτα τοῦ Κικέρωνος διαποροῦντος, γίνεταί τι ταῖς γυναιξὶ σημεῖον θυούσαις. ὁ γὰρ βωμὸς, ἤδη τοῦ πυρὸς κατακεκοιμῆσθαι δοκοῦντος, ἐκ τῆς τέφρας καὶ τῶν κεκαυμένων φλόγα πολλὴν ἀνῆκε καὶ λαμπράν. ὑφ᾽ ἧς αἱ μὲν ἄλλαι διεπτοήθησαν, αἱ δ᾽ ἱεραὶ παρθένοι τὴν τοῦ Κικέρωνος γυναῖκα, Τερεντίαν, ἐκέλευσαν ᾗ τάχος χωρεῖν πρὸς τὸν ἄνδρα, καὶ κελεύειν, οἷς ἔγνωκεν, ἐγχειρεῖν ὑπὲρ τῆς πατρίδος· ὡς μέγα πρός τε σωτηρίαν καὶ δόξαν. αὐτῷ τῆς θεοῦ φῶς διδούσης. ἡ δὲ Τερεντία (καὶ γὰρ οὐδ᾽ ἄλλως ἦν πρᾳεῖά τις, οὐδ᾽ ἄτολμος τὴν φύσιν, ἀλλὰ φιλότιμος γυνὴ, καὶ μᾶλλον, ὡς αὐτός φησιν ὁ Κικέρων, τῶν πολιτικῶν μεταλαμβάνουσα παρ᾽ ἐκείνου φροντίδων, ἢ μεταδιδοῦσα τῶν οἰκειακῶν ἐκείνῳ) ταῦτά τε πρὸς αὐτὸν ἔφρασε, καὶ παρώξυνεν

mollitiei incursurum, qui alioqui non haberetur vulgo nimium animosus.

20. Haec agitante Cicerone, foeminis offertur in solemnibus ostentum. Ara, quum ignem iam appareret sopitum, ex cinere et deustis corticibus ingentem et luculentam edidit flammam: quae res alias defixit terrore, verum virgines Vestales uxori Ciceronis, Terentiae, imperarunt, ad virum properaret, moneretque eum, consilia sua pro patriae incolumitate ut exsequeretur: magnum ei a dea adferri ad salutem et gloriam lumen. Terentia, quae nec alias leni esset, nec pavido ingenio, verum ambitioso, magisque (ut ipse refert Cicero) in consilia, quae de republica haberet, inferret se, quam ei participaret domestica: aperuit ei haec, et in coniuratos incendit: Quintus item, eius frater,

ἐπὶ τοὺς ἄνδρας. ὁμοίως δὲ καὶ Κόϊντος, ὁ ἀδελφὸς, καὶ τῶν ἀπὸ φιλοσοφίας ἑταίρων Πόπλιος Νιγίδιος, ᾧ τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα παρὰ τὰς πολιτικὰς ἐχρῆτο πράξεις. τῇ δ' ὑστεραίᾳ γενομένων ἐν συγκλήτῳ λόγων περὶ τιμωρίας τῶν ἀνδρῶν, ὁ πρῶτος ἐρωτηθεὶς γνώμην Σιλανὸς, εἶπε, τὴν ἐσχάτην δίκην δοῦναι προσήκειν, ἀχθέντας εἰς τὸ δεσμωτήριον. καὶ προσετίθεντο τούτῳ πάντες ἐφεξῆς, μέχρι Γαΐου Καίσαρος, τοῦ μετὰ ταῦτα δικτάτωρος γενομένου· τότε δὲ νέος ὢν ἔτι, καὶ τὰς πρώτας ἔχων τῆς αὐξήσεως ἀρχὰς, ἤδη δὲ τῇ πολιτείᾳ καὶ ταῖς ἐλπίσιν εἰς ἐκείνην τὴν ὁδὸν ἐμβεβηκὼς, ᾗ τὰ Ῥωμαίων εἰς μοναρχίαν μετέστησε πράγματα, τοὺς μὲν ἄλλους ἐλάνθανε, τῷ δὲ Κικέρωνι πολλὰς μὲν ὑποψίας, λαβὴν δ' οὐδεμίαν εἰς ἔλεγχον παρέδωκεν, ἀλλὰ καὶ λεγόντων ἦν ἐνίων ἀκούειν, ὡς ἐγγὺς ἐλθὼν ἁλῶναι, διεκφύγοι τὸν ἄνδρα. τινὲς δέ φασι, παριδεῖν ἑκόντα καὶ

et in philosophia socius, P. Nigidius, cuius fere gravissimis in negotiis publicis utebatur consilio. Postero die quum ad senatum de coniuratorum supplicio esset relatum, Silanus, primo loco sententiam rogatus, condendos censuit in carcerem, atque ibi ultimo supplicio in eos animadvertendum. Huius sententiae omnes deinceps assensi sunt usque ad C. Caesarem, qui post dictator fuit. Iuvenis tunc erat, et in primis incrementi rudimentis, qui iam tum actionibus suis et spe eam ingressus viam, qua rempublicam vertit in principatum, ceteros fefellit, Ciceroni multis modis suspectus, cavit tamen, ne aliquo indicio se teneret: immo multi sunt, qui dicunt, quamvis esset tantum non compertus, elapsum fuisse Ciceroni tamen. Alii referunt, metu eius amicorum et opum ultro eum connivisse, et re-

παραλιπεῖν τὴν κατ᾽ ἐκείνου μήνυσιν, φόβῳ τῶν φίλων αὐτοῦ καὶ τῆς δυνάμεως· παντὶ γὰρ εἶναι πρόδηλον, ὅτι μᾶλλον ἂν ἐκεῖνοι γένοιντο προσθήκη Καίσαρι σωτηρίας, ἢ Καῖσαρ ἐκείνοις κολάσεως.

21. Επεὶ δ᾽ οὖν ἡ γνώμη περιῆλθεν εἰς αὐτὸν, ἀναστὰς ἀπεφήνατο μὴ θανατοῦν τοὺς ἄνδρας, ἀλλὰ τὰς οὐσίας εἶναι δημοσίας, αὐτοὺς δ᾽ ἀπαχθέντας εἰς πόλεις τῆς Ιταλίας, ἃς ἂν δοκῇ Κικέρωνι, τηρεῖσθαι δεδεμένους, ἄχρις ἂν οὗ καταπολεμηθῇ Κατιλίνας. οὔσης δὲ τῆς γνώμης ἐπιεικοῦς, καὶ τοῦ λέγοντος εἰπεῖν δυνατωτάτου, ῥοπὴν ὁ Κικέρων προσέθηκεν οὐ μικράν. αὐτός τε γὰρ ἀναστὰς ἐνεχείρησεν εἰς ἑκάτερον, τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ, τὰ δὲ τῇ γνώμῃ Καίσαρος συνειπών· οἵ τε φίλοι πάντες, οἰόμενοι, τῷ Κικέρωνι συμφέρειν τὴν Καίσαρος γνώμην (ἧττον γὰρ ἐν αἰτίαις ἔσεσθαι μὴ θανατώσαντα τοὺς ἄνδρας), ᾑροῦντο τὴν

pudiasse delata adversus eum indicia. Omnibus enim constitit, citius illos Caesari accessionem fore ad salutem, quam ad punitionem illis Caesarem.

21. Vt vero ad eum ventum est ut diceret sententiam, exsurgens censuit non infligendam iis mortem, sed publicandam pecuniam, ipsos per municipia, quae Cicero probaret, dum esset cum Catilina debellatum, in vinculis habendos. Cui sententiae, quia mitis erat, et ille, qui dixerat, disertissimus, non parum Cicero adiecit momenti. Surgens enim disseruit in utramque partem, hinc priori, hinc Caesaris adstipulans sententiae. Amici quoque magis arbitrati omnes sententiam expedire Caesaris Ciceroni (minus enim calumniae subiturum, si non interfecisset coniuratos), maluerunt in alteram sententiam discedere: ut etiam im-

δευτέραν μᾶλλον γνώμην, ὥστε καὶ τὸν Σιλανὸν αὖθις μεταβαλλόμενον παραιτεῖσθαι, καὶ λέγειν, ὡς οὐδ᾽ αὐτὸς εἴποι θανατικὴν γνώμην· ἐσχάτην γὰρ ἀνδρὶ βουλευτῇ Ῥωμαίων εἶναι δίκην τὸ δεσμωτήριον. εἰρημένης δὲ τῆς γνώμης, πρῶτος ἀντέκρουσεν αὐτῇ Κάτλος Λουτάτιος· εἶτα δεξάμενος Κάτων, καὶ τῷ λόγῳ σφοδρῶς συναπερείσας ἐπὶ τὸν Καίσαρα τὴν ὑπόνοιαν, ἐνέπλησε θυμοῦ καὶ φρονήματος τὴν σύγκλητον, ὥστε θάνατον καταψηφίσασθαι τῶν ἀνδρῶν. περὶ δὲ δημεύσεως χρημάτων ἐνίστατο Καῖσαρ, οὐκ ἀξιῶν, τὰ φιλάνθρωπα τῆς ἑαυτοῦ γνώμης ἐκβαλόντας, ἑνὶ χρήσασθαι τῷ σκυθρωποτάτῳ. βιαζομένων δὲ πολλῶν, ἐπεκαλεῖτο τοὺς δημάρχους. οἱ δ᾽ οὐχ ὑπήκουον, ἀλλὰ Κικέρων αὐτὸς ἐνδοὺς ἀνῆκε τὴν περὶ δημεύσεως γνώμην.

22. Εχώρει δὲ μετὰ τῆς βουλῆς ἐπὶ τοὺς ἄνδρας. οὐκ ἐν ταὐτῷ δὲ πάντες ἦσαν, ἄλλος δ᾽ ἄλλον ἐφύλαττε τῶν

mutatus Silanus retractaret se, negaretque, capitalem se dixisse sententiam: ultimum enim senatori populi romani esse carcerem supplicium. Postquam assedit Caesar, primus eam sententiam Lutatius Catulus impugnavit. Hunc Cato sequutus, et in dicendo gravi suspicione adspergens Caesarem, inflammavit erexitque senatum. Decernunt itaque in eos supplicium capitale. De publicandis bonis repugnavit Caesar, ne, qui mitissimam partem sententiae suae reiecissent, excerperent ex ea, quod haberet tristissimum. Insistentibus multis, appellavit tribunos, nec illi intercessere, ac cessit Cicero ipse, remisitque illam de publicandis bonis sententiae partem.

22. Inde profectus cum senatu Cicero ad coniuratos: non erant autem eodem omnes loco, sed diversi

στρατηγῶν. καὶ πρῶτον ἐκ Παλατίου παραλαβὼν τὸν Λέντλον, ἦγε διὰ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, καὶ τῆς ἀγορᾶς μέσης, τῶν μὲν ἡγεμονικωτάτων ἀνδρῶν κύκλῳ περιεσπειραμένων καὶ δορυφορούντων, τοῦ δὲ δήμου φρίττοντος τὰ δρώμενα, καὶ περιόντος σιωπῇ· μάλιστα δὲ τῶν νέων, ὥσπερ ἱεροῖς τισι πατρίοις ἀριστοκρατικῆς τινος ἐξουσίας, τελεῖσθαι μετὰ φόβου καὶ θάμβους δοκούντων. διελθὼν δὲ τὴν ἀγορὰν, καὶ γενόμενος πρὸς τῷ δεσμωτηρίῳ, παρέδωκε τὸν Λέντλον τῷ δημίῳ, καὶ προσέταξεν ἀνελεῖν· εἶθ' ἑξῆς τὸν Κέθηγον, καὶ οὕτω τῶν ἄλλων ἕκαστον καταγαγὼν ἀπέκτεινεν. ὁρῶν δὲ πολλοὺς ἔτι τῆς συνωμοσίας ἐν ἀγορᾷ συνεστῶτας ἀθρόους, καὶ τὴν μὲν πρᾶξιν ἀγνοοῦντας, τὴν δὲ νύκτα προσμένοντας, ὡς ἔτι ζώντων τῶν ἀνδρῶν καὶ δυναμένων ἐξαρπασθῆναι, φθεγξάμενος μέγα πρὸς αὐτούς· Ἔζησαν, εἶπεν. οὕτω δὲ Ῥωμαίων οἱ δυσφημεῖν μὴ βουλόμενοι, τὸ τεθνάναι σημαίνου-

praetores alius alium in custodia habebat. Primum ex Palatio Lentulum accepit, quem sacra via medioque foro deduxit. Primores civitatis undique circumfusi stipabant eum. Populus silentio praeteribat, trepidus ea rerum facie. Iuventus praecipue speciem praebebat, quasi sacris patriis summae optimatium potestatis cum trepidatione et horrore initiarentur. Vt medio foro ad carcerem accessit, tradidit Lentulum carnifici necandum. Inde Cethegum, mox reliquorum quemque, deduxit in carcerem, ac supplicio affecit. Qui quum frequentes adhuc conspiceret coniurationis consortes in foro stantes conglobatos, ignaros eorum, quae facta fuerant, et quasi etiamnum superessent isti, atque eripi valerent, noctem opperientes, alta voce dixit ad eos: Vixerunt: Ita Romani, vitantes verbi atrocitatem,

σιν· ἤδη δ' ἦν ἑσπέρα, καὶ δι' ἀγορᾶς ἀνέβαινεν εἰς τὴν οἰκίαν, οὐκέτι σιωπῇ τῶν πολιτῶν, οὐδὲ τάξει προπεμπόντων αὐτὸν, ἀλλὰ φωναῖς καὶ κρότοις δεχομένων, καθ' οὓς γένοιτο, σωτῆρα καὶ κτίστην ἀνακαλούντων τῆς πατρίδος. τὰ δὲ φῶτα πολλὰ κατέλαμπε τοὺς στενωποὺς, λαμπάδια καὶ δᾷδας ἱστώντων ἐπὶ ταῖς θύραις. αἱ δὲ γυναῖκες ἐκ τῶν τεγῶν προὔφαινον ἐπὶ τιμῇ καὶ θέᾳ τοῦ ἀνδρὸς ὑπὸ πομπῇ τῶν ἀρίστων μάλα σεμνῶς ἀνιόντος· ὧν οἱ πλεῖστοι πολέμους τε κατειργασμένοι μεγάλους, καὶ διὰ θριάμβων εἰσεληλακότες, καὶ προσκεκτημένοι γῆν καὶ θάλατταν οὐκ ὀλίγην, ἐβάδιζον ἀνομολογούμενοι πρὸς ἀλλήλους, πολλοῖς μὲν τῶν τότε ἡγεμόνων καὶ στρατηγῶν πλούτου καὶ λαφύρων καὶ δυνάμεως χάριν ὀφείλειν τὸν Ῥωμαίων δῆμον, ἀσφαλείας δὲ καὶ σωτηρίας ἑνὶ μόνῳ Κικέρωνι, τηλικοῦτον ἀφελόντι καὶ τοσοῦτον

interfectos significant esse. Iam nox erat, quum per forum reciperet se domum: tum non ultra tenuerunt silentium cives, neque sedate deduxerunt eum: sed ut quosque praeteribat, acclamationibus exceperunt et plausibus, servatorem et conditorem patriae appellantes. Viae crebris lampadibus et facibus, quas accenderant pro foribus, collucebant. Praelucebant ex tectis matronae, ornandi et contemplandi causa Ciceronis, quem amplissima frequentia domum reducebant principes: quorum plerique, magnis perpetratis bellis, post triumphos actos, et in multum auctum terra marique imperium, incedebant, aperte inter se ferentes, populum romanum multis eius aevi imperatoribus et ducibus pecuniam, manubias, et incrementum potentiae, referre accepta: securitatem et salutem uni tantum Ciceroni, qui tantum et tam saevum ipsorum discussisset

αὐτοῦ κίνδυνον. οὐ γὰρ τὸ κωλῦσαι τὰ πραττόμενα, καὶ κολάσαι τοὺς πράττοντας, ἐδόκει θαυμαστόν, ἀλλ' ὅτι μέγιστος ἦν τῶν πώποτε νεωτερισμῶν, οὗτος ἐλαχίστοις κακοῖς ἄνευ στάσεως καὶ ταραχῆς κατέσβεσε. καὶ γὰρ τὸν Κατιλίναν οἱ πλεῖστοι τῶν συνεῤῥυηκότων πρὸς αὐτὸν, ἅμα τῷ πυθέσθαι τὰ περὶ Λέντλον καὶ Κέθηγον, ἐγκαταλιπόντες ᾤχοντο· καὶ μετὰ τῶν συμμεμενηκότων αὐτῷ διαγωνισάμενος πρὸς Ἀντώνιον, αὐτός τε διεφθάρη καὶ τὸ στρατόπεδον.

23. Οὐ μὴν ἀλλ' ἦσαν οἱ τὸν Κικέρωνα παρεσκευασμένοι καὶ λέγειν ἐπὶ τούτοις καὶ ποιεῖν κακῶς· ἔχοντες ἡγεμόνας τῶν εἰς τὸ μέλλον ἀρχόντων, Καίσαρα μὲν στρατηγοῦντα, Μέτελλον δὲ καὶ Βηστίαν δημαρχοῦντας. οἳ τὴν ἀρχὴν παραλαβόντες, ἔτι τοῦ Κικέρωνος ἡμέρας ὀλίγας ἄρχοντος, οὐκ εἴων δημηγορεῖν αὐτὸν, ἀλλ' ὑπὲρ τῶν ἐμβόλων βάθρα θέντες, οὐ παρίεσαν, οὐδ' ἐπέτρεπον λέγειν· ἀλλ' ἐκέλευον, εἰ

periculum. Neque enim reprimere coepta potuisse et punire flagitiosos videbatur mirandum: sed quae maxima fuisset omnis memoriae coniuratio, hanc quod quam minimo detrimento sine seditione et motu restinxisset. Etenim Catilinam plerique, qui ad eum confluxerant, audito casu Lentuli et Cethegi, illico deseruere. Ille iis copiis, quas reliquas secum habebat, collatis cum Antonio signis, cum exercitu est caesus.

23. Neque vero defuerunt nonnulli, qui horum factorum ratione lacerare Ciceronem et fatigare intenderent, ducibus designatis magistratibus, Caesare praetore, Metello et Bestia tribunis plebis; qui, inito magistratu, quum pauci adhuc dies Ciceroni consulatus superessent, non fecerunt ei copiam concionis habendae: sed positis pro rostris subselliis, non fecerunt ei

βούλοιτο, μόνον περὶ τῆς ἀρχῆς ἀπομόσασθαι, καὶ καταβαίνειν. κἀκεῖνος ἐπὶ τούτοις, ὡς ὀμόσων, προῆλθε· καὶ γενομένης αὐτῷ σιωπῆς, ὤμνυεν οὐ τὸν πάτριον, ἀλλ' ἴδιόν τινα καὶ καινὸν ὅρκον, ἦ μὴν σεσωκέναι τὴν πατρίδα, καὶ διατετηρηκέναι τὴν ἡγεμονίαν· ἐπώμνυε δὲ τὸν ὅρκον αὐτῷ σύμπας ὁ δῆμος. ἐφ' οἷς ἔτι μᾶλλον ὅ τε Καῖσαρ, οἵ τε δήμαρχοι χαλεπαίνοντες, ἄλλας τε τῷ Κικέρωνι ταραχὰς ἐμηχανῶντο· καὶ νόμος ὑπ' αὐτῶν εἰσήγετο, καλεῖν Πομπήϊον μετὰ τῆς στρατιᾶς, ὡς δὴ καταλύσοντα τὴν Κικέρωνος δυναστείαν. ἀλλ' ἦν ὄφελος μέγα τῷ Κικέρωνι καὶ πάσῃ τῇ πόλει δημαρχῶν τότε Κάτων, καὶ τοῖς ἐκείνων πολιτεύμασιν ἀπ' ἴσης μὲν ἐξουσίας, μείζονος δὲ δόξης ἀντιτασσόμενος. τά τε γὰρ ἄλλα ῥᾳδίως ἔλυσε, καὶ τὴν Κικέρωνος ὑπατείαν οὕτως ἦρε τῷ λόγῳ μεγάλην, δημηγορήσας, ὥστε τιμὰς αὐτῷ τῶν

ius, neque potestatem dicendi: tantum permiserunt, si ei videretur, ut eiuraret magistratum, statimque descenderet. Ita ille, ut iuraturus, progressus, facto silentio, iuravit non solemne, sed peculiare quoddam et novum iusiurandum, se patriam conservasse et tutatum imperium: quod vere eum iurasse populus universus iuravit. Qua re vehementius Caesar et tribuni acerbati, cum alias procellas excitaverunt Ciceroni, tum legem suaserunt, ut Pompeius acciretur cum exercitu ad dominatum reprimendum Ciceronis. Verum cecidit opportune Ciceroni atque universae reipublicae, quod id temporis tribunus plebis esset Cato: qui illorum actionibus pari praeditus potestate et maiore existimatione obiecit se. Hic enim et alia nullo negotio reflexit, et Ciceronis consulatum ita extulit concionibus suis, ut honores ei decernerentur omnium amplissimi,

πώποτε μεγίστας ψηφίσασθαι, καὶ προσαγορεῦσαι πατέρα πατρίδος. πρώτῳ γὰρ ἐκείνῳ δοκεῖ τοῦτο καθυπάρξαι, Κάτωνος αὐτὸν οὕτως ἐν τῷ δήμῳ προσαγορεύσαντος.

24. Καὶ μέγιστον μὲν ἴσχυσεν ἐν τῇ πόλει τότε, πολλοῖς δ' ἐπίφθονον ἑαυτὸν ἐποίησεν, ἀπ' οὐδενὸς ἔργου πονηροῦ, τῷ δ' ἐπαινεῖν ἀεὶ καὶ μεγαλύνειν αὐτὸς ἑαυτὸν ὑπὸ πολλῶν δυσχεραινόμενος. οὔτε γὰρ βουλὴν, οὔτε δῆμον, οὔτε δικαστήριον ἦν συνελθεῖν, ἐν ᾧ μὴ Κατιλίναν ἔδει θρυλλούμενον ἀκοῦσαι καὶ Λέντλον. ἀλλὰ καὶ τὰ βιβλία τελευτῶν κατέπλησε καὶ τὰ συγγράμματα τῶν ἐγκωμίων. καὶ τὸν λόγον, ἥδιστον ὄντα, καὶ χάριν ἔχοντα πλείστην, ἐπαχθῆ καὶ φορτικὸν ἐποίησε τοῖς ἀκροωμένοις, ὥσπερ τινὸς ἀεὶ κηρὸς αὐτῷ τῆς ἀηδίας ταύτης προσούσης. ὅμως δὲ, καίπερ οὕτως ἀκράτῳ φιλοτιμίᾳ συνὼν, ἀπήλλακτο τοῦ φθονεῖν ἑτέροις, ἀφθονώτατος ὢν ἐν τῷ τοὺς πρὸ αὐτοῦ καὶ τοὺς καθ' αὑτὸν ἄνδρας ἐγκωμιάζειν, ὡς ἐκ τῶν συγγραμμάτων λαβεῖν ἐστι.

et pater patriae appellaretur. Quod ei nomen tributum sane est primo, quum eum ita in concione nominasset Cato.

24. Fuit ea tempestate auctoritas eius in civitate summa; verum invidiam conflavit sibi, nullo ille quidem flagitio, sed quod se ipse laudaret et celebraret assidue, offendit multos. Vbique enim, sive in senatu, sive in concione, sive in iudiciis, habuit in ore Catilinam et Lentulum. Libros denique et scripta laudibus complevit suis, iucundissimamque suam et venustissimam dictionem odiosam reddidit et ingratam auditoribus, hac eum, quasi morbo aliquo, semper comitante importunitate. Veruntamen, quamquam supra modum cupiditate flagravit gloriae, caruit invidiae tamen ad-

πολλὰ δ' αὐτοῦ καὶ ἀπομνημονεύουσιν· οἷον περὶ Αριστοτέλους, ὅτι χρυσίου ποταμὸς εἴη ῥέοντος· καὶ περὶ τῶν Πλάτωνος διαλόγων, ὡς τοῦ Διὸς, εἰ λόγῳ χρῆσθαι πέφυκεν, οὕτω διαλεγομένου. τὸν δὲ Θεόφραστον εἰώθει τρυφὴν ἰδίαν ἀποκαλεῖν. περὶ δὲ τῶν Δημοσθένους λόγων ἐρωτηθεὶς, τίνα δοκοίη κάλλιστον εἶναι, τὸν μήκιστον εἶπε. καίτοι τινὲς τῶν προσποιουμένων δημοσθενίζειν, ἐπιφύονται φωνῇ τοῦ Κικέρωνος, ἣν πρός τινα τῶν ἑταίρων ἔθηκεν ἐν ἐπιστολῇ γράψας, ἐνιαχοῦ τῶν λόγων ἀπονυστάζειν τὸν Δημοσθένην· τῶν δὲ μεγάλων καὶ θαυμαστῶν ἐπαίνων, οἷς πολλαχοῦ χρῆται περὶ τοῦ ἀνδρὸς, καὶ ὅτι, περὶ οὓς μάλιστα τῶν ἰδίων ἐσπούδασε λόγων, τοὺς κατ' Αντωνίου, Φιλιππικοὺς ἐπέγραψεν, ἀμνημονοῦσι. τῶν δὲ κατ' αὐτὸν ἐνδόξων ἀπὸ λόγου καὶ σοφίας οὐκ ἔστιν οὐδεὶς, ὃν οὐκ ἐποίησεν ἐνδοξότερον, ἢ λέ-

versus alios vitio. Quippe, ut testantur eius monumenta, effusissime et veteres et aequales suos celebravit, et multa memorantur dicta eius: velut de Aristotele, manantis esse eum flumen auri: et de dialogis Platonis, Iovem, si loqui vellet, ita dicturum. Theophrastum assueverat delicias suas vocare. De orationibus Demosthenis rogatus, quam maxime probaret, longissimam respondit. Licet nonnulli, qui se Demostheni simulant favere, mordeant dictum Ciceronis, quod in epistola ad quosdam amicos scripta posuerit, in orationibus interdum indormire Demosthenem: immemores, quantis et quam insignibus laudibus illum passim extollat, et quod orationes, in quibus prae ceteris suis elaboravit, in Antonium habitas, appellaverit Philippicas. Ex coaevis suis, qui eloquentia, aut sapientia praecelleret, praetermisit neminem, quem non dicendo, vel scribendo candide

γων, ἢ γράφων εὐμενῶς περὶ ἑκάστου. Κρατίππῳ δὲ, τῷ Περιπατητικῷ, διεπράξατο μὲν Ῥωμαίῳ γενέσθαι παρὰ Καίσαρος ἄρχοντος ἤδη· διεπράξατο δὲ τὴν ἐξ Αρείου πάγου βουλὴν ψηφίσασθαι καὶ δεηθῆναι μένειν αὐτὸν ἐν Ἀθήναις, καὶ διαλέγεσθαι τοῖς νέοις, ὡς κοσμοῦντα τὴν πόλιν. ἐπιστολαὶ δὲ παρὰ τοῦ Κικέρωνος εἰσὶ πρὸς Ἡρώδην, ἕτεραι δὲ πρὸς τὸν υἱὸν, ἐγκελευομένου συμφιλοσοφεῖν Κρατίππῳ. Γοργίαν δὲ, τὸν ῥήτορα, αἰτιώμενος εἰς ἡδονὰς καὶ πότους προάγειν τὸ μειράκιον, ἀπελαύνει τῆς συνουσίας αὐτοῦ. καὶ σχεδὸν αὕτη τε τῶν Ἑλληνικῶν μία, καὶ δευτέρα πρὸς Πέλοπα, τὸν Βυζάντιον, ἐν ὀργῇ τινι γέγραπται, τὸν μὲν Γοργίαν αὐτοῦ προσηκόντως ἐπισκώπτοντος, εἴπερ ἦν φαῦλος καὶ ἀκόλαστος, ἧπερ ἐδόκει· πρὸς δὲ τὸν Πέλοπα μικρολογουμένου καὶ μεμψιμοιροῦντος, ὥσπερ ἀμελήσαντα τιμάς τινας αὐτῷ καὶ ψηφίσματα παρὰ Βυζαντίων γενέσθαι.

de unoquoque magis illustraverit. Cratippo Peripatetico impetravit a Caesare, iam rerum potito, civitatem Romanam. Perfecit praeterea, ut senatus Areopagitarum per decretum peteret ab eo, sicut ornamento urbis, ut Athenis remaneret, et institueret iuventutem. Exstant Ciceronis ad Herodem epistolae, et ad filium aliae, praecipientis ei, ut in studio sapientiaé Cratippum sectaretur. Gorgiam rhetorem insimulavit deliciis et compotationibus adolescentem assuefacere, ideoque interdicit illi huius consuetudine. Haec paene una ex Graecis est, et altera ad Byzantinum Pelopem cum stomacho scripta. Gorgiam quidem merito momordit: siquidem fuit, ut habebatur, improbus et luxui deditus. Cum Pelope abiecte expostulat et queritur, quod neglexisset, honores quosdam sibi decerni a Byzantinis.

25. Ταῦτά τε δὴ φιλότιμα, καὶ τὸ πολλάκις ἐπαιρόμενον τοῦ λόγου τῇ δεινότητι τὸ πρέπον προΐεσθαι· Μουνατίῳ μὲν γάρ ποτε συνηγορήσας, ὡς ἀποφυγὼν τὴν δίκην ἐκεῖνος ἐδίωκεν ἑταῖρον αὐτοῦ, Σαβῖνον, οὕτω λέγεται προπεσεῖν ὑπ' ὀργῆς ὁ Κικέρων, ὥστ' εἰπεῖν· Σὺ γὰρ ἐκείνην, ὦ Μουνάτιε, τὴν δίκην ἀπέφυγες διὰ σαυτὸν, οὐκ ἐμοῦ πολὺ σκότος ἐν φωτὶ τῷ δικαστηρίῳ περιχέαντος; Μάρκον δὲ Κράσσον ἐγκωμιάζων ἀπὸ τοῦ βήματος εὐημέρησε, καὶ μεθ' ἡμέρας αὖθις ὀλίγας λοιδορῶν αὐτὸν, ὡς ἐκεῖνος εἶπεν· Οὐ γὰρ ἐνταῦθα πρώην αὐτὸς ἡμᾶς ἐπῄνεις; Ναὶ, φησὶ, μελέτης ἕνεκεν γυμνάζων τὸν λόγον εἰς φαύλην ὑπόθεσιν. Εἰπόντος δέ ποτε τοῦ Κράσσου, μηδένα Κράσσων ἐν Ῥώμῃ βεβιωκέναι μακρότερον ἑξηκονταετίας, εἶθ' ὕστερον ἀρνουμένου, καὶ λέγοντος· Τί δ' ἂν ἐγὼ παθὼν τοῦτ' εἶπον; Ἤδεις, ἔφη, Ῥωμαίους

25. Ceterum ista ambitioni eius expensa ferenda sunt, item quod crebro vi dicendi elatus proiecerit decorum. Quum enim aliquando Numatio patrocinatus esset, atque absolutus necessarium ille Ciceronis postularet, Sabinum, eo prorupisse Ciceronem ira ferunt, ut iactaverit: Quid? an tu ex illo iudicio tua, Numati, evasisti innocentia? annon mea opera, qui multum caliginis lumini offudi tribunalis? Quum pro rostris M. Crassum magno populi plausu ornasset, eundemque rursus, haud magno interposito intervallo, laceraret probris, ubi ille dixit: Annon me ex hoc loco non ita pridem laudasti? Ego vero, inquit, sed commentandi gratia argumentum infame declamans. Quum Crassus aliquando dixisset, neminem suae gentis superasse Romae sexagesimum aetatis annum, et post iret id inficias, diceretque: Qui factum est, hoc dictum ut

ἡδέως ἀκουσομένους, καὶ διὰ τοῦτ᾽ ἐδημαγώγεις. Ἀρέσκεσθαι δὲ τοῦ Κράσσου τοῖς Στωϊκοῖς φήσαντος, ὅτι πλούσιον εἶναι τὸν ἀγαθὸν ἀποφαίνουσιν· Ὅρα, μὴ μᾶλλον, εἶπεν, ὅτι πάντα τοῦ σοφοῦ λέγουσιν εἶναι. διεβάλλετο δ᾽ εἰς φιλαργυρίαν ὁ Κράσσος. ἐπεὶ δὲ τοῦ Κράσσου τῶν παίδων ὁ ἕτερος, Ἀξίῳ τινὶ δοκῶν ὅμοιος εἶναι, καὶ διὰ τοῦτο τῇ μητρὶ προστριβόμενος αἰσχρὰν ἐπὶ τῷ Ἀξίῳ διαβολὴν, εὐδοκίμησε λόγον ἐν βουλῇ διελθὼν, ἐρωτηθεὶς ὁ Κικέρων, τί φαίνεται αὐτῷ. Ἄξιος, εἶπε, Κράσσου.

26. Μέλλων δὲ Κράσσος εἰς Συρίαν ἀπαίρειν, ἐβούλετο τὸν Κικέρωνα μᾶλλον αὐτῷ φίλον, ἢ ἐχθρὸν εἶναι· καὶ φιλοφρονούμενος ἔφη, βούλεσθαι δειπνῆσαι παρ᾽ αὐτῷ· κἀκεῖνος ὑπεδέξατο προθύμως. ὀλίγαις δ᾽ ὕστερον ἡμέραις περὶ Βατινίου φίλων τινῶν ἐντυγχανόντων, ὡς μνωμένου διαλύσεις καὶ

exciderit mihi? Sciebas, inquit, auditurum id populum Romanum libenter, ideo dedisti hoc eius auribus. Quum placere sibi Stoicorum ferret sententiam Crassus, Bonum virum divitem esse, subiecit: Vide, ne magis, quod contendant, omnia esse sapientis: infamis enim erat Crassi avaritia. Alter Crassi filius Axium quendam videbatur specie referre, ideoque matri maculam Axii causa turpem inurebat. Quum hic orationem in senatu magna comprobatione habuisset, interrogatus Cicero, quid ei videretur: Ἄξιος, inquit graece, Κράσσου.

26. Profecturus Crassus in Syriam, maluit amicum, quam inimicum, Ciceronem relinquere: quare amice eum appellans, apud eum dixit velle se coenare: invitavit Cicero eum comiter. Paucis interpositis diebus, adierunt Ciceronem amici aliquot rogatu Vatinii de reconciliatione gratiae: nam erat inter eos simultas.

φιλίαν· ἦν γὰρ ἐχθρός. Οὐ δήπου καὶ Βατίνιος, εἶπε, δειπνῆσαι παρ' ἐμοὶ βούλεται; πρὸς μὲν οὖν Κράσσον τοιοῦτος· αὐτὸν δὲ τὸν Βατίνιον, ἔχοντα χοιράδας ἐν τῷ τραχήλῳ, καὶ λέγοντα δίκην, οἰδοῦντα ῥήτορα προσεῖπεν. ἀκούσας δ', ὅτι τέθνηκεν, εἶτα μετὰ μικρὸν πυθόμενος σαφῶς, ὅτι ζῇ. Κακὸς τοίνυν ἀπόλοιτο κακῶς ὁ ψευσάμενος. ἐπεὶ δὲ Καίσαρι ψηφισαμένῳ τὴν ἐν Καμπανίᾳ χώραν κατανεμηθῆναι τοῖς στρατιώταις, πολλοὶ μὲν ἐδυσχέραινον ἐν τῇ βουλῇ. Λεύκιος δὲ Γέλλιος, ὁμοῦ τι πρεσβύτατος ὤν, εἶπεν, ὡς οὐ γενήσεται τοῦτο, ζῶντος αὐτοῦ· Περιμείνωμεν, εἶπεν ὁ Κικέρων· μακρὰν γὰρ οὐκ αἰτεῖται Γέλλιος ὑπέρθεσιν. ἦν δέ τις Οκταούϊος, αἰτίαν ἔχων ἐκ Λιβύης γεγονέναι. πρὸς τοῦτον ἔν τινι δίκῃ λέγοντα τοῦ Κικέρωνος μὴ ἐξακούειν· Καὶ μὴν οὐκ ἔχεις, εἶπε, τὸ οὖς ἀτρύπητον. Μετέλλου δὲ Νέπωτος εἰπόντος, ὅτι πλείονας καταμαρτυρῶν ἀνῄρηκεν, ἢ συνηγορῶν σέσωκεν·

Ibi infit Cicero: Num et Vatinius apud me coenare vult? Ac cum Crasso quidem ad hunc modum egit. Vatinium ipsum, cui strumae erant in collo, quum causam diceret, tumidum oratorem appellavit. Quum nuntiatum ei esset de illius morte, mox intelligeret, incolumem esse: Male pereat, inquit, qui male mentitus est. Quum Caesar legem tulisset de agro Campano militibus dividendo, multis res in senatu displicuit: L. Gellius autem, qui fere natu erat maximus, hoc se vivo negavit futurum. Hic Cicero: Exspectemus, inquit, haud longam diem postulat Gellius. Octavius erat quidam, quem dictitabant ex Africa ortum: huic in causa quadam Ciceronem se non exaudire dicenti: Atqui auris tua, inquit, non caret foramine. Quum Metellus Nepos obiiceret ei, plures ipsum testimonio suo

Ὁμολογῶ γὰρ, ἔφη, πίστεως ἐν ἐμοὶ πλέον, ἢ δεινότητος, εἶναι. Νεανίσκου δέ τινος, αἰτίαν ἔχοντος ἐν πλακοῦντι φάρμακον τῷ πατρὶ δεδωκέναι, θρασυνομένου, καὶ λέγοντος, ὅτι λοιδορήσει τὸν Κικέρωνα· Τοῦτο, ἔφη, παρὰ σοῦ βούλομαι μᾶλλον, ἢ πλακοῦντα. Ποπλίου δὲ Σηστίου συνήγορον μὲν αὐτὸν ἔν τινι δίκῃ παραλαβόντος μεθ' ἑτέρων, αὐτοῦ δὲ πάντα βουλομένου λέγειν, καὶ μηδενὶ παριέντος εἰπεῖν, ὡς δῆλος ἦν ἀφιέμενος ὑπὸ τῶν δικαστῶν, ἤδη τῆς ψήφου φερομένης· Χρῶ σήμερον, ἔφη, τῷ καιρῷ, Σήστιε· μέλλεις γὰρ αὔριον ἰδιώτης εἶναι. Πόπλιον δὲ Κότταν, νομικὸν εἶναι βουλόμενον, ὄντα δ' ἀμαθῆ καὶ ἀφυῆ, πρός τινα δίκην ἐκάλεσε μάρτυρα. τοῦ δὲ μηδὲν εἰδέναι φάσκοντος· Ἴσως, ἔφη, δοκεῖς περὶ τῶν νομικῶν ἐρωτᾶσθαι. Μετέλλου δὲ Νέπωτος ἐν διαφορᾷ τινι πολλάκις λέγοντος· Τίς σοῦ πατήρ ἐστιν, ὦ Κικέρων; Σοὶ

oppressisse, quam servasse patrocinio: Fateor, inquit, plus mihi fidei, quam eloquentiae, esse. Adolescens erat quidam in crimine, virus parenti obtulisse in placenta: eo ferociter iactante, Ciceronem probris se insectaturum: Hoc, inquit Cicero, malo abs te, quam placentam. P. Sestius adhibuerat eum cum nonnullis aliis in iudicio advocatum: qui quum dicere ipse omnia vellet, neque cuiquam permitteret verbum facere, ubi patuit absolutum iri, quia iudices iam sententias ferebant: Vtere hodie, inquit, Sesti, tempore: cras enim privatus eris. Publium Cottam, qui haberi iurisperitus affectabat, quum indoctus esset et iners, ad testimonium dicendum in quadam causa citavit. Nihil quum diceret se scire: Putas fortassis, inquit, te aliquid de iure interrogari. Quum Metellus Nepos aliquando inter disputandum identidem repeteret: Quis est pater tuus,

ταύτην τὴν ἀπόκρισιν, ἔφη, ἡ μήτηρ χαλεπωτέραν ἐποίησεν. ἐδόκει δ' ἀκόλαστος ἡ μήτηρ εἶναι τοῦ Νέπωτος, αὐτὸς δέ τις εὐμετάβολος. καί ποτε τὴν δημαρχίαν ἀπολιπὼν ἄφνω, πρὸς Πομπήϊον ἐξέπλευσεν εἰς Συρίαν, εἶτ' ἐκεῖθεν ἐπανῆλθεν ἀλογώτερον. Θάψας δὲ Φίλαγρον, τὸν καθηγητὴν, ἐπιμελέστερον, ἐπέστησεν αὐτοῦ τῷ τάφῳ κόρακα λίθινον. καὶ ὁ Κικέρων· Τοῦτ', ἔφη, σοφώτερον ἐποίησας. πέτεσθαι γάρ σε μᾶλλον, ἢ λέγειν, ἐδίδαξεν. ἐπεὶ δὲ Μάρκος Αππιος ἔν τινι δίκῃ προοιμιαζόμενος εἶπε, φίλον αὐτοῦ δεδεῆσθαι παρασχεῖν ἐπιμέλειαν καὶ λογιότητα καὶ πίστιν. Εἶθ' οὕτως, ἔφη, σιδηροῦς γέγονας ἄνθρωπος, ὥστε μηδὲν ἐκ τοσούτων, ὧν ἠτήσατο ὁ φίλος, παρασχεῖν;

27. Τὸ μὲν οὖν πρὸς ἐχθροὺς, ἢ ἀντιδίκους, σκώμμασι χρῆσθαι πικροτέροις, δοκεῖ ῥητορικὸν εἶναι. τὸ δ' οἷς

Cicero? Tibi, inquit, hanc responsionem mater tua effecit difficiliorem: siquidem Nepotis matrem fama erat impudicam esse: ipse autem habebatur levior; ac relicto aliquando tribunatu plebis raptim, in Syriam navigavit ad Pompeium, mox inde maiore est inconstantia reversus. Quum Philagrum, praeceptorem, tumulasset accuratius, imposuit eius tumulo marmoreum corvum. Tum Cicero: Intelligentius, inquit, hoc fecisti: volare enim potius docuit te, quam dicere. M. Appio, in exordio causae cuiusdam amicum suum orasse se dicenti, ut curam, et facundiam, et fidem sibi praestaret: Adeone tu, inquit, durus es, nihil ut omnium, quae te oraverit amicus, praestiteris?

27. Sane cavillari quidem in inimicos et adversarios in foro acerbius, oratori dicas convenire: verum quod

ἔτυχε προσκρούειν ἕνεκα τοῦ γελοίου, πολὺ συνῆγε μῖσος αὐτῷ. γράψω δὲ καὶ τούτων ὀλίγα. Μάρκον Ἀκυΐνιον, ἔχοντα δύο γαμβροὺς φυγάδας, Ἄδραστον ἐκάλει· Λευκίου δὲ Κόττα τιμητικὴν ἔχοντος ἀρχὴν, φιλοινοτάτου δ' ὄντος, ὑπατείαν μετιὼν ὁ Κικέρων ἐδίψησε, καὶ τῶν φίλων κύκλῳ περιστάντων, ὡς ἔπινεν· Ὀρθῶς φοβεῖσθε, εἶπε, μή μοι γένοιτο χαλεπὸς ὁ τιμητὴς, ὅτι ὕδωρ πίνω. Βωκωνίῳ δ' ἀπαντήσας, ἄγοντι μεθ' ἑαυτοῦ τρεῖς ἀμορφοτάτας θυγατέρας, ἀνεφθέγξατο·

Φοίβου ποτ' οὐκ ἐῶντος ἔσπειρεν τέκνα.

Μάρκου δὲ Γελλίου δοκοῦντος οὐκ ἐξ ἐλευθέρων γεγονέναι, λαμπρᾷ δὲ τῇ φωνῇ καὶ μεγάλῃ γράμματα πρὸς τὴν σύγκλητον ἐξαναγνόντος· Μὴ θαυμάζετε, εἶπε, καὶ αὐτὸς εἷς ἐστι τῶν ἀναπεφωνηκότων. ἐπεὶ δὲ Φαῦστος ὁ Σύλλα, τοῦ μοναρχήσαντος ἐν Ῥώμῃ, καὶ πολλοὺς ἐπὶ θανάτῳ προγρά-

incurrerit in quosvis risus excitandi causa, id simultates ei paravit multas. Horum quoque pauca commemorabo. M. Aquilium, qui duos generos habebat exsules, vocabat Adrastum. L. Cotta censore, qui supra modum effusus in vinum erat, candidatus Cicero consularis in prensando quum sitisset; circumfusis amicis, ut bibit: Recte veremini, inquit, ne, quod aquam bibam, succenseat mihi censor. Voconio occurrens, secum ducenti tres insigniter deformes filias, exclamavit:

Invito Apolline seminavit liberos.

M. Gellius, quem rumor erat non esse ingenuis natalibus ortum, quum clara voce et alta literas in senatu recitasset: Nolite mirari, inquit, et hic ex iis est, qui proclamarunt. Quum Faustus Sylla, dictatoris Syllae, qui multos proscripserat, filius, aere alieno obrutus,

ψαντος, ἐν δανείοις γενόμενος, καὶ πολλὰ τῆς οὐσίας διασπαθήσας, ἁμαρτίαν προέγραψε, ταύτην ἔφη μᾶλλον αὐτῷ τὴν προγραφὴν ἀρέσκειν, ἢ τὴν πατρῴαν.

28. Ἐκ τούτων ἐγίνετο πολλοῖς ἐπαχθής· καὶ οἱ μετὰ Κλωδίου συνέστησαν ἐπ᾿ αὐτὸν, ἀρχὴν τοιαύτην λαβόντες. ἦν Κλώδιος ἀνὴρ εὐγενὴς, τῇ μὲν ἡλικίᾳ νέος, τῷ δὲ φρονήματι θρασὺς καὶ αὐθάδης. οὗτος ἐρῶν Πομπηΐας, τῆς Καίσαρος γυναικὸς, εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ παρεισῆλθε κρύφα, λαβὼν ἐσθῆτα καὶ σκευὴν ψαλτρίας. ἔθυον γὰρ αἱ γυναῖκες τὴν ἀπόῤῥητον ἐκείνην καὶ ἀθέατον ἀνδράσι θυσίαν ἐν τῇ τοῦ Καίσαρος οἰκίᾳ· καὶ παρῆν ἀνὴρ οὐδείς. ἀλλὰ μειράκιον ὢν ἔτι καὶ μήπω γενειῶν ὁ Κλώδιος, ἤλπιζε λήσεσθαι διαδὺς πρὸς τὴν Πομπηΐαν μετὰ τῶν γυναικῶν. ὡς δ᾿ εἰσῆλθε νυκτὸς εἰς οἰκίαν μεγάλην, ἠπορεῖτο τῶν διόδων· καὶ πλανώμενον αὐτὸν ἰδοῦσα Αὐρηλίας θεραπαινὶς, τῆς Καίσαρος μητρὸς,

re familiari magna ex parte dissipata, bonorum auctionem proscripsisset: Hanc, inquit, proscriptionem malo, quam paternam.

28. Hinc multos offendit. At Clodii factio coitionem adversus eum fecit, ex hac causa incitata. Clodius nobili familia erat, aetate florente, feroci animo et procaci. Hic captus uxoris Caesaris amore, Pompeiae, assumta veste et ornatu psaltriae, furtim penetravit in domum eius. Nam sacra tum in aedibus Caesaris arcana illa, quibus nefas est viros interesse, agebantur, nec aderat vir ullus: sed ille, quod adolescens esset, et imberbis etiam tum, sperabat, occulte posse cum mulieribus ad Pompeiam pervenire. Noctu in amplas ingressus aedes, haesit in diverticulis. Vagantem conspicata Aurelia, matris Caesaris ancilla, quaesivit nomen eius:

ἤτησεν ὄνομα. φθέγξασθαι δ' ἀναγκασθέντος ἐκείνου, καὶ φήσαντος, ἀκόλουθον Πομπηΐας ζητεῖν, Αὔραν τοὔνομα, συνεῖσα τὴν φωνὴν οὐ γυναικείαν οὖσαν, ἀνέκραγε καὶ συνεκάλει τὰς γυναῖκας. αἱ δ' ἀποκλείσασαι τὰς θύρας, καὶ πάντα διερευνώμεναι, λαμβάνουσι τὸν Κλώδιον εἰς οἴκημα παιδίσκης, ᾗ συνεισῆλθε, καταπεφευγότα. τοῦ δὲ πράγματος περιβοήτου γενομένου, Καῖσαρ τε τὴν Πομπηΐαν ἀφῆκε, καὶ δίκην ἀσεβείας ἀπεγράψατο τῷ Κλωδίῳ.

29. Κικέρων δ' ἦν μὲν αὐτοῦ φίλος, καὶ τῶν περὶ Κατιλίναν πραττομένων, ἐχρῆτο προθυμοτάτῳ συνεργῷ καὶ φύλακι τοῦ σώματος· ἰσχυριζομένου δὲ πρὸς τὸ ἔγκλημα, τῷ μὴ γεγονέναι κατ' ἐκεῖνον ἐν Ῥώμῃ τὸν χρόνον, αλλ' ἐν τοῖς ποῤῥωτάτω χωρίοις διατρίβειν, κατεμαρτύρησεν, ὡς ἀφιγμένου πρὸς αὐτὸν οἴκαδε, καὶ διειλεγμένου περί τινων. ὅπερ ἦν

coacto loqui illo, atque pedissequam demonstrante quaerere se Pompeiae, nomine Auram, ut vocem animadvertit abhorrentem a foemina, tollit clamorem, convocatque mulieres: quae, obseratis foribus, omnibusque excussis, deprehendunt Clodium in cubiculo puellae, cum qua ingressus fuerat, latitantem. Quum ea res percrebuisset, repudiavit Caesar Pompeiam, ac nomen Clodii de violatis sacris detulit.

29. Erat Ciceroni cum eo amicitia, et coniuratione flagrante Catilinae, expertus promtissimum fuerat adiutorem et custodem corporis sui. Quum cardinem ille huius depellendi criminis poneret in eo, quod contenderet, ne Romae quidem eo die se fuisse, sed procul urbe egisse: dixit pro testimonio in eum Cicero, venisse ad se domum eum, certisque de rebus sermonem

ἀληθές. οὐ μὴν ἐδόκει μαρτυρεῖν ὁ Κικέρων διὰ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλὰ πρὸς τὴν αὐτοῦ γυναῖκα, Τερεντίαν, ἀπολογούμενος. ἦν γὰρ αὐτῇ πρὸς τὸν Κλώδιον ἀπέχθεια, διὰ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐκείνου, Κλωδίαν, ὡς τῷ Κικέρωνι βουλομένην γαμηθῆναι, καὶ τοῦτο διὰ Τύλλου τινὸς πράττουσαν, ὃς ἑταῖρος μὲν ἦν καὶ συνήθης ἐν τοῖς μάλιστα Κικέρωνος, ἀεὶ δὲ πρὸς τὴν Κλωδίαν φοιτῶν, καὶ θεραπεύων ἐγγὺς οἰκοῦσαν, ὑποψίαν τῇ Τερεντίᾳ παρέσχε. χαλεπὴ δὲ τὸν τρόπον οὖσα, καὶ τοῦ Κικέρωνος ἄρχουσα, παρώξυνε τῷ Κλωδίῳ συνεπιθέσθαι καὶ καταμαρτυρῆσαι. κατεμαρτύρουν δὲ τοῦ Κλωδίου πολλοὶ τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν ἐπιορκίας, ῥᾳδιουργίας, ὄχλων δεκασμοὺς, φθορὰς γυναικῶν. Λεύκουλλος δὲ καὶ θεραπαινίδας παρεῖχεν, ὡς συγγένοιτο τῇ νεωτάτῃ τῶν ἀδελφῶν ὁ Κλώδιος, ὅτε Λευκούλλῳ συνῴκει. πολλὴ δ' ἦν

secum habuisse. Quod licet verum foret, testimonium dixisse tamen visus est Cicero non veritatis causa, sed uxori ut satisfaceret Terentiae. Simultas enim cum Clodio erat causa sororis Clodiae, quam ambire Ciceronis nuptias suspicabatur, et eam ad rem interprete uti Tullo quodam, cui familiaritas cum Cicerone et consuetudo intercedebat arctissima: qui, quod ad Clodiam frequens ventitaret, et coleret vicinam, in suspicionem venit Terentiae. Acerba autem mulier, et viri potens, stimulavit Ciceronem ad conspirandum contra Clodium, et ad eum testimonio suo premendum. Multa etiam a bonis et honestis viris testimonia dicta fuerunt de Clodii periuriis, testamentorum suppositionibus, ambitu, stupris matronarum. Lucullus etiam ancillas produxit, stuprasse Clodium minimam sororem suam, quum in matrimonio suo esset. Fama divulgata erat,

θόξα καὶ ταῖς ἄλλαις δυσὶν ἀδελφαῖς πλησιάζειν τὸν Κλώδιον, ὧν Τερεντίαν μὲν Μάρκιος Ῥὴξ, Κλωδίαν δὲ Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν· ἣν Κουαδραντίαν ἐκάλουν, ὅτι τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον, ὡς ἀργύριον εἰσέπεμψε. τὸ δὲ λεπτότατον τοῦ χαλκοῦ νομίσματος κουαδράντην ἐκάλουν. ἐπὶ ταύτῃ μάλιστα τῶν ἀδελφῶν κακῶς ἤκουσεν ὁ Κλώδιος. οὐ μὴν ἀλλὰ τότε τοῦ δήμου πρὸς τοὺς καταμαρτυροῦντας αὐτοῦ καὶ συνεστῶτας ἀντιταττομένου, φοβηθέντες οἱ δικασταὶ φυλακὴν περιεστήσαντο, καὶ τὰς δέλτους οἱ πλεῖστοι συγκεχυμένας τοῖς γράμμασιν ἤνεγκαν. ὅμως δὲ πλείονες ἔδοξαν οἱ ἀπολύοντες γενέσθαι· καί τις ἐλέχθη καὶ δεκασμὸς διελθεῖν. ὅθεν ὁ μὲν Κάτλος ἀπαντήσας τοῖς κριταῖς· Ὑμεῖς, εἶπεν, ὡς ἀληθῶς ὑπὲρ ἀσφαλείας ᾐτήσασθε τὴν φυλακὴν, φοβούμενοι, μή τις ὑμῶν ἀφέληται τὸ ἀργύριον.

et cum duabus sororibus aliis eum consuevisse: quarum Martius Rex Terentiam, Clodiam duxerat uxorem Metellus Celer, quam Quadrantulam appellabant, quod quidam amatorum eius pro argenteis minuta aera in loculos eius immisisset. Minutissimum aereum nummum quadrantem vocabant. Huius nomine sororis fuit infamatus potissimum Clodius. Verum enimvero, quum plebs id temporis adversus eos, qui in eum testimonium dixerant, coierantque, insurgeret, trepidantes iudices sepserunt se praesidio, tabulasque plerique confusis literis attulere. Videbatur a maiore tamen parte absolutus fuisse. Rumor autem fuit, etiam adulteratum pecunia iudicium fuisse. Quare Catulus, quum occurrisset iudicibus: Recte vos, inquit, ad securitatem praesidium petistis: verebamini enim, ne qui vobis eriperet nummos. Cicero, exprobrante sibi Clodio,

Κικέρων δὲ, τοῦ Κλωδίου πρὸς αὐτὸν λέγοντος, ὅτι μαρτυρῶν οὐκ ἔσχε πίστιν παρὰ τοῖς δικασταῖς· Ἀλλ' ἐμοὶ μὲν, εἶπεν, οἱ πέντε καὶ εἴκοσι τῶν δικαστῶν ἐπίστευσαν· τοσοῦτοι γάρ σου κατεψηφίσαντο. σοὶ δ' οἱ τριάκοντα οὐκ ἐπίστευσαν· οὐ γὰρ πρότερον ἀπέλυσαν, ἢ ἔλαβον τὸ ἀργύριον· ὁ μέντοι Καῖσαρ οὐ κατεμαρτύρησε κληθεὶς ἐπὶ τὸν Κλώδιον, οὐδ' ἔφη μοιχείαν κατεγνωκέναι τῆς γυναικός· ἀφεικέναι δ' αὐτὴν, ὅτι τὸν Καίσαρος ἔδει γάμον οὐ πράξεως αἰσχρᾶς μόνον, ἀλλὰ καὶ φήμης, καθαρὸν εἶναι.

30. Διαφυγὼν δὲ τὸν κίνδυνον ὁ Κλώδιος, καὶ δήμαρχος αἱρεθεὶς, εὐθὺς εἴχετο τοῦ Κικέρωνος, πάνθ' ὁμοῦ πράγματα καὶ πάντας ἀνθρώπους συνάγων καὶ ταράττων ἐπ' αὐτόν. τόν τε γὰρ δῆμον ᾠκειώσατο νόμοις φιλανθρώποις, καὶ τῶν ὑπάτων ἑκατέρῳ μεγάλας ἐπαρχίας ἐψηφίσατο, Πείσωνι Μακεδονίαν, Γαβινίῳ δὲ Συρίαν. πολλοὺς δὲ τῶν ἀπό-

quod testimonium dicenti iudices non credidissent: Immo, inquit, quinque et viginti iudices mihi crediderunt. Tot enim damnaverunt te: triginta, quia ante nummos, quam absolverunt te, acceperunt, tibi vero nihil crediderunt. Caesar tamen citatus non dixit in Clodium testimonium, neque uxorem sibi compertam adulterii esse: dimisisse eam autem, quod Caesaris cubile non modo crimine oporteret, sed et suspicione vacare.

30. Ex hac elapsus flamma Clòdius, et factus tribunus plebis, protinus appetivit Ciceronem, simulque omnes res atque omnes homines adversus eum sollicitavit concitavitque. Populum demulsit legibus popularibus, utrique consuli amplas provincias decrevit, Pisoni Macedoniam, Syriam Gabinio; colluviem inopum

ἡδέως ἀκουσομένους, καὶ διὰ τοῦτ᾽ ἐδημαγώγεις. Ἀρέσκεσθαι δὲ τοῦ Κράσσου τοῖς Στωϊκοῖς φήσαντος, ὅτι πλούσιον εἶναι τὸν ἀγαθὸν ἀποφαίνουσιν· Ὅρα, μὴ μᾶλλον, εἶπεν, ὅτι πάντα τοῦ σοφοῦ λέγουσιν εἶναι. διεβάλλετο δ᾽ εἰς φιλαργυρίαν ὁ Κράσσος. ἐπεὶ δὲ τοῦ Κράσσου τῶν παίδων ὁ ἕτερος, Ἀξίῳ τινὶ δοκῶν ὅμοιος εἶναι, καὶ διὰ τοῦτο τῇ μητρὶ προστριβόμενος αἰσχρὰν ἐπὶ τῷ Ἀξίῳ διαβολὴν, εὐδοκίμησε λόγον ἐν βουλῇ διελθὼν, ἐρωτηθεὶς ὁ Κικέρων, τί φαίνεται αὐτῷ. Ἄξιος, εἶπε, Κράσσου.

26. Μέλλων δὲ Κράσσος εἰς Συρίαν ἀπαίρειν, ἐβούλετο τὸν Κικέρωνα μᾶλλον αὐτῷ φίλον, ἢ ἐχθρὸν εἶναι· καὶ φιλοφρονούμενος ἔφη, βούλεσθαι δειπνῆσαι παρ᾽ αὐτῷ· κἀκεῖνος ὑπεδέξατο προθύμως. ὀλίγαις δ᾽ ὕστερον ἡμέραις περὶ Βατινίου φίλων τινῶν ἐντυγχανόντων, ὡς μνωμένου διαλύσεις καὶ

exciderit mihi? Sciebas, inquit, auditurum id populum Romanum libenter, ideo dedisti hoc eius auribus. Quum placere sibi Stoicorum ferret sententiam Crassus, Bonum virum divitem esse, subiecit: Vide, ne magis, quod contendant, omnia esse sapientis: infamis enim erat Crassi avaritia. Alter Crassi filius Axium quendam videbatur specie referre, ideoque matri maculam Axii causa turpem inurebat. Quum hic orationem in senatu magna comprobatione habuisset, interrogatus Cicero, quid ei videretur: Ἄξιος, inquit graece, Κράσσου.

26. Profecturus Crassus in Syriam, maluit amicum, quam inimicum, Ciceronem relinquere: quare amice eum appellans, apud eum dixit velle se coenare: invitavit Cicero eum comiter. Paucis interpositis diebus, adierunt Ciceronem amici aliquot rogatu Vatinii de reconciliatione gratiae: nam erat inter eos simultas.

φιλίαν· ἦν γὰρ ἐχθρός. Οὐ δήπου καὶ Βατίνιος, εἶπε, δειπνῆσαι παρ' ἐμοὶ βούλεται; πρὸς μὲν οὖν Κράσσον τοιοῦτος· αὐτὸν δὲ τὸν Βατίνιον, ἔχοντα χοιράδας ἐν τῷ τραχήλῳ, καὶ λέγοντα δίκην, οἰδοῦντα ῥήτορα προσεῖπεν. ἀκούσας δ', ὅτι τέθνηκεν, εἶτα μετὰ μικρὸν πυθόμενος σαφῶς, ὅτι ζῇ. Κακὸς τοίνυν ἀπόλοιτο κακῶς ὁ ψευσάμενος. ἐπεὶ δὲ Καίσαρι ψηφισαμένῳ τὴν ἐν Καμπανίᾳ χώραν κατανεμηθῆναι τοῖς στρατιώταις, πολλοὶ μὲν ἐδυσχέραινον ἐν τῇ βουλῇ. Λεύκιος δὲ Γέλλιος, ὁμοῦ τι πρεσβύτατος ὢν, εἶπεν, ὡς οὐ γενήσεται τοῦτο, ζῶντος αὐτοῦ· Περιμείνωμεν, εἶπεν ὁ Κικέρων· μακρὰν γὰρ οὐκ αἰτεῖται Γέλλιος ὑπέρθεσιν. ἦν δέ τις Ὀκταούϊος, αἰτίαν ἔχων ἐκ Λιβύης γεγονέναι. πρὸς τοῦτον ἔν τινι δίκῃ λέγοντα τοῦ Κικέρωνος μὴ ἐξακούειν· Καὶ μὴν οὐκ ἔχεις, εἶπε, τὸ οὖς ἀτρύπητον. Μετέλλου δὲ Νέπωτος εἰπόντος, ὅτι πλείονας καταμαρτυρῶν ἀνῄρηκεν, ἢ συνηγορῶν σέσωκεν·

Ibi inſit Cicero: Num et Vatinius apud me coenare vult? Ac cum Crasso quidem ad hunc modum egit. Vatinium ipsum, cui strumae erant in collo, quum causam diceret, tumidum oratorem appellavit. Quum nuntiatum ei esset de illius morte, mox intelligeret, incolumem esse: Male pereat, inquit, qui male mentitus est. Quum Caesar legem tulisset de agro Campano militibus dividendo, multis res in senatu displicuit: L. Gellius autem, qui fere natu erat maximus, hoc se vivo negavit futurum. Hic Cicero: Exspectemus, inquit, haud longam diem postulat Gellius. Octavius erat quidam, quem dictitabant ex Africa ortum: huic in causa quadam Ciceronem se non exaudire dicenti: Atqui auris tua, inquit, non caret foramine. Quum Metellus Nepos obiiceret ei, plures ipsum testimonio suo

Ὁμολογῶ γὰρ, ἔφη, πίστεως ἐν ἐμοὶ πλέον, ἢ δεινότητος, εἶναι. Νεανίσκου δέ τινος, αἰτίαν ἔχοντος ἐν πλακοῦντι φάρμακον τῷ πατρὶ δεδωκέναι, θρασυνομένου, καὶ λέγοντος, ὅτι λοιδορήσει τὸν Κικέρωνα· Τοῦτο, ἔφη, παρὰ σοῦ βούλομαι μᾶλλον, ἢ πλακοῦντα. Ποπλίου δὲ Σηστίου συνήγορον μὲν αὐτὸν ἔν τινι δίκῃ παραλαβόντος μεθ᾽ ἑτέρων, αὐτοῦ δὲ πάντα βουλομένου λέγειν, καὶ μηδενὶ παριέντος εἰπεῖν, ὡς δῆλος ἦν ἀφιέμενος ὑπὸ τῶν δικαστῶν, ἤδη τῆς ψήφου φερομένης· Χρῶ σήμερον, ἔφη, τῷ καιρῷ, Σήστιε· μέλλεις γὰρ αὔριον ἰδιώτης εἶναι. Πόπλιον δὲ Κότταν, νομικὸν εἶναι βουλόμενον, ὄντα δ᾽ ἀμαθῆ καὶ ἀφυῆ, πρός τινα δίκην ἐκάλεσε μάρτυρα. τοῦ δὲ μηδὲν εἰδέναι φάσκοντος· Ισως, ἔφη, δοκεῖς περὶ τῶν νομικῶν ἐρωτᾶσθαι. Μετέλλου δὲ Νέπωτος ἐν διαφορᾷ τινι πολλάκις λέγοντος· Τίς σοῦ πατήρ ἐστιν, ὦ Κικέρων; Σοὶ

oppressisse, quam servasse patrocinio: Fateor, inquit, plus mihi fidei, quam eloquentiae, esse. Adolescens erat quidam in crimine, virus parenti obtulisse in placenta: eo ferociter iactante, Ciceronem probris se insectaturum: Hoc, inquit Cicero, malo abs te, quam placentam. P. Sestius adhibuerat eum cum nonnullis aliis in iudicio advocatum: qui quum dicere ipse omnia vellet, neque cuiquam permitteret verbum facere, ubi patuit absolutum iri, quia iudices iam sententias ferebant: Vtere hodie, inquit, Sesti, tempore: cras enim privatus eris. Publium Cottam, qui haberi iurisperitus affectabat, quum indoctus esset et iners, ad testimonium dicendum in quadam causa citavit. Nihil quum diceret se scire: Putas fortassis, inquit, te aliquid de iure interrogari. Quum Metellus Nepos aliquando inter disputandum identidem repeteret: Quis est pater tuus,

ταύτην τὴν ἀπόκρισιν, ἔφη, ἡ μήτηρ χαλεπωτέραν ἐποίησεν. ἐδόκει δ' ἀκόλαστος ἡ μήτηρ εἶναι τοῦ Νέπωτος, αὐτὸς δέ τις εὐμετάβολος. καί ποτε τὴν δημαρχίαν ἀπολιπὼν ἄφνω, πρὸς Πομπήϊον ἐξέπλευσεν εἰς Συρίαν, εἶτ' ἐκεῖθεν ἐπανῆλθεν ἀλογώτερον. θάψας δὲ Φίλαγρον, τὸν καθηγητὴν, ἐπιμελέστερον, ἐπέστησεν αὐτοῦ τῷ τάφῳ κόρακα λίθινον. καὶ ὁ Κικέρων· Τοῦτ', ἔφη, σοφώτερον ἐποίησας. πέτεσθαι γάρ σε μᾶλλον, ἢ λέγειν, ἐδίδαξεν. ἐπεὶ δὲ Μάρκος Αππιος ἔν τινι δίκῃ προοιμιαζόμενος εἶπε, φίλον αὐτοῦ δεδεῆσθαι παρασχεῖν ἐπιμέλειαν καὶ λογιότητα καὶ πίστιν. Εἶθ' οὕτως, ἔφη, σιδηροῦς γέγονας ἄνθρωπος, ὥστε μηδὲν ἐκ τοσούτων, ὧν ἠτήσατο ὁ φίλος, παρασχεῖν;

27. Τὸ μὲν οὖν πρὸς ἐχθροὺς, ἢ ἀντιδίκους, σκώμμασι χρῆσθαι πικροτέροις, δοκεῖ ῥητορικὸν εἶναι. τὸ δ' οἷς

Cicero? Tibi, inquit, hanc responsionem mater tua effecit difficiliorem: siquidem Nepotis matrem fama erat impudicam esse: ipse autem habebatur levior; ac relicto aliquando tribunatu plebis raptim, in Syriam navigavit ad Pompeium, mox inde maiore est inconstantia reversus. Quum Philagrum, praeceptorem, tumulasset accuratius, imposuit eius tumulo marmoreum corvum. Tum Cicero: Intelligentius, inquit, hoc fecisti: volare enim potius docuit te, quam dicere. M. Appio, in exordio causae cuiusdam amicum suum orasse se dicenti, ut curam, et facundiam, et fidem sibi praestaret: Adeone tu, inquit, durus es, nihil ut omnium, quae te oraverit amicus, praestiteris?

27. Sane cavillari quidem in inimicos et adversarios in foro acerbius, oratori dicas convenire: verum quod

ἔτυχε προσκρούειν ἕνεκα τοῦ γελοίου, πολὺ συνῆγε μῖσος αὐτῷ. γράψω δὲ καὶ τούτων ὀλίγα. Μάρκον Ακυΐνιον, ἔχοντα δύο γαμβροὺς φυγάδας, Αδραστον ἐκάλει· Λευκίου δὲ Κόττα τιμητικὴν ἔχοντος ἀρχὴν, φιλοινοτάτου δ' ὄντος, ὑπατείαν μετιὼν ὁ Κικέρων ἐδίψησε, καὶ τῶν φίλων κύκλῳ περιστάντων, ὡς ἔπινεν· Ορθῶς φοβεῖσθε, εἶπε, μή μοι γένοιτο χαλεπὸς ὁ τιμητὴς, ὅτι ὕδωρ πίνω. Βωκωνίῳ δ' ἀπαντήσας, ἄγοντι μεθ' ἑαυτοῦ τρεῖς ἀμορφοτάτας θυγατέρας, ἀνεφθέγξατο·

Φοίβου ποτ' οὐκ ἑῶντος ἔσπειρεν τέκνα.

Μάρκου δὲ Γελλίου δοκοῦντος οὐκ ἐξ ἐλευθέρων γεγονέναι, λαμπρᾷ δὲ τῇ φωνῇ καὶ μεγάλῃ γραμματα πρὸς τὴν σύγκλητον ἐξαναγνόντος· Μὴ θαυμάζετε, εἶπε, καὶ αὐτὸς εἷς ἐστι τῶν ἀναπεφωνηκότων. ἐπεὶ δὲ Φαῦστος ὁ Σύλλα, τοῦ μοναρχήσαντος ἐν Ῥώμῃ, καὶ πολλοὺς ἐπὶ θανάτῳ προγρά-

incurrerit in quosvis risus excitandi causa, id simultates ei paravit multas. Horum quoque pauca commemorabo. M. Aquilium, qui duos generos habebat exsules, vocabat Adrastum. L. Cotta censore, qui supra modum effusus in vinum erat, candidatus Cicero consularis in prensando quum sitisset; circumfusis amicis, ut bibit: Recte veremini, inquit, ne, quod aquam bibam, succenseat mihi censor. Voconio occurrens, secum ducenti tres insigniter deformes filias, exclamavit:

Invito Apolline seminavit liberos.

M. Gellius, quem rumor erat non esse ingenuis natalibus ortum, quum clara voce et alta literas in senatu recitasset: Nolite mirari, inquit, et hic ex iis est, qui proclamarunt. Quum Faustus Sylla, dictatoris Syllae, qui multos proscripserat, filius, aere alieno obrutus,

ψαντος, ἐν δανείοις γενόμενος, καὶ πολλὰ τῆς οὐσίας διασπαθήσας, ἁμαρτίαν προέγραψε, ταύτην ἔφη μᾶλλον αὐτῷ τὴν προγραφὴν ἀρέσκειν, ἢ τὴν πατρῴαν.

28. Εκ τούτων ἐγίνετο πολλοῖς ἐπαχθής· καὶ οἱ μετὰ Κλωδίου συνέστησαν ἐπ' αὐτὸν, ἀρχὴν τοιαύτην λαβόντες. ἦν Κλώδιος ἀνὴρ εὐγενὴς, τῇ μὲν ἡλικίᾳ νέος, τῷ δὲ φρονήματι θρασὺς καὶ αὐθάδης. οὗτος ἐρῶν Πομπηΐας, τῆς Καίσαρος γυναικὸς, εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ παρεισῆλθε κρύφα, λαβὼν ἐσθῆτα καὶ σκευὴν ψαλτρίας. ἔθυον γὰρ αἱ γυναῖκες τὴν ἀπόῤῥητον ἐκείνην καὶ ἀθέατον ἀνδράσι θυσίαν ἐν τῇ τοῦ Καίσαρος οἰκίᾳ· καὶ παρῆν ἀνὴρ οὐδείς. ἀλλὰ μειράκιον ὢν ἔτι καὶ μήπω γενειῶν ὁ Κλώδιος, ἤλπιζε λήσεσθαι διαδὺς πρὸς τὴν Πομπηΐαν μετὰ τῶν γυναικῶν. ὡς δ' εἰσῆλθε νυκτὸς εἰς οἰκίαν μεγάλην, ἠπορεῖτο τῶν διόδων· καὶ πλανώμενον αὐτὸν ἰδοῦσα Αὐρηλίας θεραπαινὶς, τῆς Καίσαρος μητρὸς,

re familiari magna ex parte dissipata, bonorum auctionem proscripsisset: Hanc, inquit, proscriptionem malo, quam paternam.

28. Hinc multos offendit. At Clodii factio coitionem adversus eum fecit, ex hac causa incitata. Clodius nobili familia erat, aetate florente, feroci animo et procaci. Hic captus uxoris Caesaris amore, Pompeiae, assumta veste et ornatu psaltriae, furtim penetravit in domum eius. Nam sacra tum in aedibus Caesaris arcana illa, quibus nefas est viros interesse, agebantur, nec aderat vir ullus: sed ille, quod adolescens esset, et imberbis etiam tum, sperabat, occulte posse cum mulieribus ad Pompeiam pervenire. Noctu in amplas ingressus aedes, haesit in diverticulis. Vagantem conspicata Aurelia, matris Caesaris ancilla, quaesivit nomen eius:

ἤτησεν ὄνομα. φθέγξασθαι δ' ἀναγκασθέντος ἐκείνου, καὶ φήσαντος, ἀκόλουθον Πομπηΐας ζητεῖν, Αὔραν τοὔνομα, συνεῖσα τὴν φωνὴν οὐ γυναικείαν οὖσαν, ἀνέκραγε καὶ συνεκάλει τὰς γυναῖκας. αἱ δ' ἀποκλείσασαι τὰς θύρας; καὶ πάντα διερευνώμεναι, λαμβάνουσι τὸν Κλώδιον εἰς οἴκημα παιδίσκης, ᾗ συνεισῆλθε, καταπεφευγότα. τοῦ δὲ πράγματος περιβοήτου γενομένου, Καῖσαρ τε τὴν Πομπηΐαν ἀφῆκε, καὶ δίκην ἀσεβείας ἀπεγράψατο τῷ Κλωδίῳ.

29. Κικέρων δ' ἦν μὲν αὐτοῦ φίλος, καὶ τῶν περὶ Κατιλίναν πραττομένων, ἐχρῆτο προθυμοτάτῳ συνεργῷ καὶ φύλακι τοῦ σώματος· ἰσχυριζομένου δὲ πρὸς τὸ ἔγκλημα, τῷ μὴ γεγονέναι κατ' ἐκεῖνον ἐν Ῥώμῃ τὸν χρόνον, ἀλλ' ἐν τοῖς πορρωτάτω χωρίοις διατρίβειν, κατεμαρτύρησεν, ὡς ἀφιγμένου πρὸς αὐτὸν οἴκαδε, καὶ διειλεγμένου περί τινων. ὅπερ ἦν

coacto loqui illo, atque pedissequam demonstrante quaerere se Pompeiae, nomine Auram, ut vocem animadvertit abhorrentem a foemina, tollit clamorem, convocatque mulieres: quae, obseratis foribus, omnibusque excussis, deprehendunt Clodium in cubiculo puellae, cum qua ingressus fuerat, latitantem. Quum ea res percrebuisset, repudiavit Caesar Pompeiam, ac nomen Clodii de violatis sacris detulit.

29. Erat Ciceroni cum eo amicitia, et coniuratione flagrante Catilinae, expertus promtissimum fuerat adiutorem et custodem corporis sui. Quum cardinem ille huius depellendi criminis poneret in eo, quod contenderet, ne Romae quidem eo die se fuisse, sed procul urbe egisse: dixit pro testimonio in eum Cicero, venisse ad se domum eum, certisque de rebus sermonem

ἀληθές. οὐ μὴν ἐδόκει μαρτυρεῖν ὁ Κικέρων διὰ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλὰ πρὸς τὴν αὐτοῦ γυναῖκα, Τερεντίαν, ἀπολογούμενος. ἦν γὰρ αὐτῇ πρὸς τὸν Κλώδιον ἀπέχθεια, διὰ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐκείνου, Κλωδίαν, ὡς τῷ Κικέρωνι βουλομένην γαμηθῆναι, καὶ τοῦτο διὰ Τύλλου τινὸς πράττουσαν, ὃς ἑταῖρος μὲν ἦν καὶ συνήθης ἐν τοῖς μάλιστα Κικέρωνος, ἀεὶ δὲ πρὸς τὴν Κλωδίαν φοιτῶν, καὶ θεραπεύων ἐγγὺς οἰκοῦσαν, ὑποψίαν τῇ Τερεντίᾳ παρέσχε. χαλεπὴ δὲ τὸν τρόπον οὖσα, καὶ τοῦ Κικέρωνος ἄρχουσα, παρώξυνε τῷ Κλωδίῳ συνεπιθέσθαι καὶ καταμαρτυρῆσαι. κατεμαρτύρουν δὲ τοῦ Κλωδίου πολλοὶ τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν ἐπιορκίας, ῥᾳδιουργίας, ὄχλων δεκασμοὺς, φθορὰς γυναικῶν. Λεύκουλλος δὲ καὶ θεραπαινίδας παρεῖχεν, ὡς συγγένοιτο τῇ νεωτάτῃ τῶν ἀδελφῶν ὁ Κλώδιος, ὅτε Λευκούλλῳ συνῴκει. πολλὴ δ' ἦν

secum habuisse. Quod licet verum foret, testimonium dixisse tamen visus est Cicero non veritatis causa, sed uxori ut satisfaceret Terentiae. Simultas enim cum Clodio erat causa sororis Clodiae, quam ambire Ciceronis nuptias suspicabatur, et eam ad rem interprete uti Tullo quodam, cui familiaritas cum Cicerone et consuetudo intercedebat arctissima: qui, quod ad Clodiam frequens ventitaret, et coleret viciuam, in suspicionem venit Terentiae. Acerba autem mulier, et viri potens, stimulavit Ciceronem ad conspirandum contra Clodium, et ad eum testimonio suo premendum. Multa etiam a bonis et honestis viris testimonia dicta fuerunt de Clodii periuriis, testamentorum suppositionibus, ambitu, stupris matronarum. Lucullus etiam ancillas produxit, stuprasse Clodium minimam sororem suam, quum in matrimonio suo esset. Fama divulgata erat,

δόξα καὶ ταῖς ἄλλαις δυσὶν ἀδελφαῖς πλησιάζειν τὸν Κλώδιον, ὧν Τερεντίαν μὲν Μάρκιος Ῥὴξ, Κλωδίαν δὲ Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν· ἣν Κουαδραντίαν ἐκάλουν, ὅτι τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον, ὡς ἀργύριον εἰσέπεμψε. τὸ δὲ λεπτότατον τοῦ χαλκοῦ νομίσματος κουαδράντην ἐκάλουν. ἐπὶ ταύτῃ μάλιστα τῶν ἀδελφῶν κακῶς ἤκουσεν ὁ Κλώδιος. οὐ μὴν ἀλλὰ τότε τοῦ δήμου πρὸς τοὺς καταμαρτυροῦντας αὐτοῦ καὶ συνεστῶτας ἀντιταττομένου, φοβηθέντες οἱ δικασταὶ φυλακὴν περιεστήσαντο, καὶ τὰς δέλτους οἱ πλεῖστοι συγκεχυμένας τοῖς γράμμασιν ἤνεγκαν. ὅμως δὲ πλείονες ἔδοξαν οἱ ἀπολύοντες γενέσθαι· καί τις ἐλέχθη καὶ δεκασμὸς διελθεῖν. ὅθεν ὁ μὲν Κάτλος ἀπαντήσας τοῖς κριταῖς· Ὑμεῖς, εἶπεν, ὡς ἀληθῶς ὑπὲρ ἀσφαλείας ᾐτήσασθε τὴν φυλακὴν, φοβούμενοι, μή τις ὑμῶν ἀφέληται τὸ ἀργύριον.

et cum duabus sororibus aliis eum consuevisse: quarum Martius Rex Terentiam, Clodiam duxerat uxorem Metellus Celer, quam Quadrantulam appellabant, quod quidam amatorum eius pro argenteis minuta aera in loculos eius immisisset. Minutissimum aereum nummum quadrantem vocabant. Huius nomine sororis fuit infamatus potissimum Clodius. Verum enimvero, quum plebs id temporis adversus eos, qui in eum testimonium dixerant, coierantque, insurgeret, trepidantes iudices sepserunt se praesidio, tabulasque plerique confusis literis attulere. Videbatur a maiore tamen parte absolutus fuisse. Rumor autem fuit, etiam adulteratum pecunia iudicium fuisse. Quare Catulus, quum occurrisset iudicibus: Recte vos, inquit, ad securitatem praesidium petistis: verebamini enim, ne qui vobis eriperet nummos. Cicero, exprobrante sibi Clodio,

Κικέρων δὲ, τοῦ Κλωδίου πρὸς αὐτὸν λέγοντος, ὅτι μαρτυρῶν οὐκ ἔσχε πίστιν παρὰ τοῖς δικασταῖς· Ἀλλ' ἐμοὶ μὲν, εἶπεν, οἱ πέντε καὶ εἴκοσι τῶν δικαστῶν ἐπίστευσαν· τοσοῦτοι γάρ σου κατεψηφίσαντο. σοὶ δ' οἱ τριάκοντα οὐκ ἐπίστευσαν· οὐ γὰρ πρότερον ἀπέλυσαν, ἢ ἔλαβον τὸ ἀργύριον· ὁ μέντοι Καῖσαρ οὐ κατεμαρτύρησε κληθεὶς ἐπὶ τὸν Κλώδιον, οὐδ' ἔφη μοιχείαν κατεγνωκέναι τῆς γυναικός· ἀφεικέναι δ' αὐτὴν, ὅτι τὸν Καίσαρος ἔδει γάμον οὐ πράξεως αἰσχρᾶς μόνον, ἀλλὰ καὶ φήμης, καθαρὸν εἶναι.

30. Διαφυγὼν δὲ τὸν κίνδυνον ὁ Κλώδιος, καὶ δήμαρχος αἱρεθεὶς, εὐθὺς εἴχετο τοῦ Κικέρωνος, πάνθ' ὁμοῦ πράγματα καὶ πάντας ἀνθρώπους συνάγων καὶ ταράττων ἐπ' αὐτόν. τόν τε γὰρ δῆμον ᾠκειώσατο νόμοις φιλανθρώποις, καὶ τῶν ὑπάτων ἑκατέρῳ μεγάλας ἐπαρχίας ἐψηφίσατο, Πείσωνι Μακεδονίαν, Γαβινίῳ δὲ Συρίαν. πολλοὺς δὲ τῶν ἀπό-

quod testimonium dicenti iudices non credidissent: Immo, inquit, quinque et viginti iudices mihi crediderunt. Tot enim damnaverunt te: triginta, quia ante nummos, quam absolverunt te, acceperunt, tibi vero nihil crediderunt. Caesar tamen citatus non dixit in Clodium testimonium, neque uxorem sibi compertam adulterii esse: dimisisse eam autem, quod Caesaris cubile non modo crimine oporteret, sed et suspicione vacare.

30. Ex hac elapsus flamma Clodius, et factus tribunus plebis, protinus appetivit Ciceronem, simulque omnes res atque omnes homines adversus eum sollicitavit concitavitque. Populum demulsit legibus popularibus, utrique consuli amplas provincias decrevit, Pisoni Macedoniam, Syriam Gabinio; colluviem inopum

ρων συνέταξεν εἰς τὸ πολίτευμα, καὶ δούλους ὡπλισμένους περὶ αὑτὸν εἶχε. τῶν δὲ πλεῖστον δυναμένων τότε τριῶν ἀνδρῶν, Κράσσου μὲν ἄντικρυς Κικέρωνι πολεμοῦντος, Πομπηΐου δὲ θρυπτομένου πρὸς ἀμφοτέρους, Καίσαρος δὲ μέλλοντος εἰς Γαλατίαν ἐξιέναι μετὰ στρατεύματος, ὑπὸ τοῦτον ὑποδὺς ὁ Κικέρων, καίπερ οὐκ ὄντα φίλον, ἀλλ' ὕποπτον ἐκ τῶν περὶ Κατιλίναν, ἠξίωσε πρεσβευτὴν αὐτῷ συστρατεύειν. δεξαμένου δὲ τοῦ Καίσαρος, ὁ Κλώδιος ὁρῶν ἐκφεύγοντα τὴν δημαρχίαν αὐτοῦ τὸν Κικέρωνα, προσεποιεῖτο συμβατικῶς ἔχειν, καὶ τῇ Τερεντίᾳ τὴν πλείστην ἀνατιθεὶς αἰτίαν, ἐκείνου δὲ μεμνημένος ἐπιεικῶς ἀεὶ, καὶ λόγους εὐγνώμονας ἐνδιδοὺς, ὡς ἄν τις οὐ μισῶν, οὐδὲ χαλεπαίνων, ἀλλ' ἐγκαλῶν μέτρια καὶ φιλικὰ, παντάπασιν αὐτοῦ τὸν φόβον ἀνῆκεν· ὥστ' ἀπειπεῖν τῷ Καίσαρι τὴν πρεσβείαν, καὶ πάλιν

ad coepta sua decuriavit: servitiis armatis latera sua sepsit. Ex tribus, quorum ea tempestate summa potentia erat, Crassus Ciceronem aperte oppugnabat, Pompeius venditabat se utrique. Ad Caesaris igitur gratiam, qui cum exercitu profecturus in Galliam erat, quamvis ab se alieni et suspecti ex Catilinae temporibus, recurrit, contenditque ab eo, legatum ut se duceret in provinciam. Quum recepisset eum Caesar, cernens evadere Clodius Ciceronem ex tribunatu suo, simulavit, non abhorrere se a reconciliatione: reiectaque in Terentiam maxima culpae parte, factaque ubique benigna eius mentione, et leniter agendo, quasi non odisset hominem, nec esset ei infensus, sed modice et amice expostularet, omnem illius metum discussit. Itaque renuntiavit Caesari Cicero legationem, vertitque iterum se ad rempublicam gerendam. Vnde Caesar acer-

ἔχεσθαι τῆς πολιτείας. ἐφ' ᾧ παροξυνθεὶς ὁ Καῖσαρ, τόν τε Κλώδιον ἐπέῤῥωσε, καὶ Πομπήϊον ἀπέστρεψε κομιδῆ τοῦ Κικέρωνος. αὐτός τε κατεμαρτύρησεν ἐν τῷ δήμῳ, μὴ δοκεῖν αὐτῷ καλῶς, μηδὲ νομίμως, ἄνδρας ἀκρίτους ἀνῃρῆσθαι τοὺς περὶ Λέντλον καὶ Κέθηγον. αὕτη γὰρ ἦν ἡ κατηγορία, καὶ ἐπὶ τοῦθ' ὁ Κικέρων ἐκαλεῖτο. κινδυνεύων οὖν καὶ διωκόμενος, ἐσθῆτα μετήλλαξε, καὶ κόμης ἀνάπλεως περιϊὼν ἱκέτευε τὸν δῆμον. πανταχοῦ δ' ὁ Κλώδιος ἀπήντα κατὰ τοὺς στενωποὺς, ἀνθρώπους ἔχων ὑβριστὰς περὶ αὐτὸν καὶ θρασεῖς, οἳ πολλὰ μὲν χλευάζοντες ἀκολάστως εἰς τὴν μεταβολὴν καὶ τὸ σχῆμα τοῦ Κικέρωνος, πολλαχοῦ δὲ πηλῷ καὶ λίθοις βάλλοντες, ἐνίσταντο ταῖς ἱκεσίαις.

31. *Οὐ μὴν ἀλλὰ τῷ Κικέρωνι πρῶτον μὲν ὀλίγου δεῖν σύμπαν τὸ τῶν ἱππικῶν πλῆθος συμμετέβαλε τὴν ἐσθῆτα, καὶ δισμυρίων οὐκ ἐλάττους νέων παρηκολούθουν κομῶντες καὶ συνικετεύοντες. Επειτα, τῆς βουλῆς συνελθούσης, ὅπως*

batus, hinc corroboravit Clodium, hinc Pompeium plane a Cicerone alienavit. Dixit praeterea aperte in concione, Lentulum et Cethegum non videri sibi recte, aut iure, necatos: hoc enim fuit, cuius Cicero arcessebatur, crimen. Reus igitur factus, vestem in periculo mutavit, sordidatusque ac supplex prensavit populum. Omnibus in viis Clodius cum improborum et audacium manu occurrit Ciceroni: qui mira protervia illudentes conditioni et squalori eius, passimque coenum et lapides in eum iactantes, interpellabant supplicantem.

31. At primum ordo equestris vestem cum eo paene totus mutavit. Ex iuventute comitabantur eum non minus viginti millia, qui pro eo sordidati deprecabantur. Deinde, ubi senatus convenit ad decernendum, ut popu-

ψηφίσαιτο, τὸν δῆμον, ὡς ἐπὶ πένθεσι, μεταβαλεῖν τὰ ἱμάτια, καὶ τῶν ὑπάτων ἐναντιωθέντων, Κλωδίου δὲ σιδηροφορουμένου περὶ τὸ βουλευτήριον, ἐξέδραμον οὐκ ὀλίγοι τῶν βουλευτικῶν καταῤῥηγνύμενοι τοὺς χιτῶνας, καὶ βοῶντες. Ὡς δ' οὖν οὔτ' οἶκτος, οὔτε τις αἰδὼς πρὸς τὴν ὄψιν ἦν, ἀλλ' ἔδει τὸν Κικέρωνα φεύγειν, ἢ βίᾳ καὶ σιδήρῳ κριθῆναι πρὸς τὸν Κλώδιον, ἐδεῖτο Πομπηΐου βοηθεῖν, ἐπίτηδες ἐκποδὼν γεγονότος, καὶ διατρίβοντος ἐν ἀγροῖς περὶ τὸν Ἀλβανόν. Καὶ πρῶτον μὲν ἔπεμψε Πείσωνα, τὸν γαμβρὸν, δεησόμενον, ἔπειτα καὶ αὐτὸς ἀνέβη. Πυθόμενος δ' ὁ Πομπήϊος, οὐχ ὑπέμεινεν εἰς ὄψιν ἐλθεῖν· δεινὴ γὰρ αὐτὸν αἰδὼς εἶχε πρὸς τὸν ἄνδρα, μεγάλους ἠγωνισμένον ἀγῶνας ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ πολλὰ πρὸς χάριν ἐκείνῳ πεπολιτευμένον· ἀλλὰ Καίσαρι γαμβρὸς ὢν δεομένῳ προὔδωκε τὰς παλαιὰς χάριτας, καὶ κατὰ θύρας ἄλλας ὑπεξελθὼν, ἀπεδίδρασκε τὴν ἔντευξιν. Οὕτω

lus, sicut in luctu, mutaret vestem, consulibus adversantibus, et obsidente cum gladiis curiam Clodio, permulti patrum, vestibus laceratis, curia se cum magno fremitu effudere. Postquam nec misericordiam nec verecundiam ea movit facies, sed aut eundum in exsilium fuit Ciceroni, aut ferro cum Clodio decernendum, opem imploravit Pompeii: qui ex composito abscesserat, et ruri agebat in Albano suo. Primum generum ad orandum eum, Pisonem, allegavit, inde est ipse quoque profectus. Eo nunciato, non sustinuit in conspectum eius venire Pompeius. Mirum enim ei pudorem incussit vir ille, qui contentiones subierat pro eo maximas, multasque suas in republica actiones ad eius instituerat commodum. Verum quod gener esset Caesaris, huic instanti prodidit veteres necessitudines: ac, ne cum eo colloque-

δὴ προδοθεὶς ὁ Κικέρων ὑπ' αὐτοῦ, καὶ γεγονὼς ἔρημος, ἐπὶ τοὺς ὑπάτους κατέφυγε. Καὶ Γαβίνιος μὲν ἦν χαλεπὸς ἀεί· Πείσων δὲ διελέχθη πρᾳότερον, αὐτὸν παραινῶν ἐκστῆναι, καὶ ὑποχωρῆσαι τῇ τοῦ Κλωδίου ῥύμῃ, καὶ τὴν μεταβολὴν τῶν καιρῶν ἐνεγκεῖν, καὶ γενέσθαι πάλιν σωτῆρα τῆς πατρίδος ἐν στάσεσι καὶ κακοῖς δι' ἐκεῖνον οὔσης. Τοιαύτης τυχὼν ἀποκρίσεως ὁ Κικέρων, ἐβουλεύετο σὺν τοῖς φίλοις. καὶ Λεύκουλλος μὲν ἐκέλευε μένειν, ὡς περιεσόμενον, ἄλλοι δὲ φεύγειν, ὡς ταχὺ τοῦ δήμου ποθήσοντος αὐτὸν, ὅταν ἐμπλησθῇ τῆς Κλωδίου μανίας καὶ ἀπονοίας. Ταῦτ' ἔδοξε Κικέρωνι· καὶ τὸ μὲν ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, ὃ πολὺν χρόνον ἔχων ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱδρυμένον, ἐτίμα διαφερόντως, εἰς τὰ Καπετώλιον κομίσας ἀνέθηκεν, ἐπιγράψας· Ἀθηνᾷ Ῥώμης φύλακι· πομποὺς δὲ παρὰ τῶν φίλων λαβὼν, περὶ μέσας

retur, alia subduxit se ianua. Ita ab eo proditus et desertus confugit ad consules Cicero. Ac Gabinius quidem semper erat durus: benignius eum est Piso affatus, monuitque, ut cedendo et locum dando Clodii impetui, temporisque ferendo vicissitudinem, iterum servaret rempublicam, ipsius causa seditionibus et procellis iactatam. Eo accepto responso, deliberavit Cicero cum amicis. Lucullus manendum censuit, ipsius fore victoriam; alii fugiendum: futurum enim brevi, ut exsatiatus Clodii furore et scelere populus ipsum esset desideraturus. Hoc consilium Cicero sequutus est, ac signum Minervae, quod magna in veneratione diu habuerat domi, in Capitolio posuit, ibique dedicavit cum hac inscriptione: *Minervae urbis Romae praesidi.* Inde accepto ab amicis praesidio, clam media nocte profugit

νύκτας ὑπεξῆλθε τῆς πόλεως, καὶ πεζῇ διὰ Λευκανίας ἐπορεύετο, λαβέσθαι Σικελίας βουλόμενος.

32. Ὡς δ' ἦν φανερὸς ἤδη πεφευγὼς, ἐπήγαγεν αὐτῷ φυγῆς ψῆφον ὁ Κλώδιος, καὶ διάγραμμα προὔθηκεν, εἴργειν πυρὸς καὶ ὕδατος τὸν ἄνδρα, καὶ μὴ παρέχειν στέγην ἐντὸς μιλίων πεντακοσίων Ἰταλίας. Τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ἐλάχιστος ἦν τοῦ διαγράμματος τούτου λόγος, αἰδουμένοις τὸν Κικέρωνα, καὶ πᾶσαν ἐνδεικνύμενοι φιλοφροσύνην, παρέπεμπον αὐτόν· ἐν δ' Ἱππωνίῳ, πόλει τῆς Λευκανίας, ἣν Οὐιβῶνα νῦν καλοῦσιν, Οὐίβιος, Σικελὸς ἀνὴρ, ἄλλα τε πολλὰ τῆς Κικέρωνος φιλίας ἀπολελαυκὼς, καὶ γεγονὼς, ὑπατεύοντος αὐτοῦ, τεκτόνων ὕπαρχος, οἰκίᾳ μὲν οὐκ ἐδέξατο, τὸ χωρίον δὲ καταγράψειν ἐπηγγέλλετο, καὶ Γάϊος Οὐεργῖνος, ὁ τῆς Σικελίας στρατηγὸς, ἐν τοῖς μάλιστα Κικέρωνι κεχρημένος, ἔγραψεν ἀπέχεσθαι τῆς Σικελίας. Εφ' οἷς ἀθυμήσας,

ex urbe. Lucaniam pedestri itinere percurrit, cupiens Siciliam tenere.

32. Vbi vulgatum est, eum fugisse, Clodius scivit ei exsilium, editumque proposuit, quo aqua et igni interdixit, ac ne quis eum intra quingenta millia passuum ab Italia tecto reciperet. At aliis adeo fuit Cicero venerandus, ut semel contemnerent edictum, omnique eum officiorum genere prosequerentur. Hipponii vero (quod oppidum est Lucaniae, Vibonem dicunt nunc) Vibius Siculus genere, qui cum alios fructus ex Ciceronis amicitia retulerat, tum fuerat eo consule praefectus fabrum, non admisit eum domi, sed locum ostendit ei se designaturum in agro, quo posset se recipere. Praetor Siciliae, C. Verginius, Ciceroni arctissima coniunctus familiaritate, scripsit ei, ut Sicilia abstine-

ὥρμησεν ἐπὶ Βρεντέσιον, κἀκεῖθεν εἰς Δυῤῥάχιον ἀνέμῳ φορῷ περαιούμενος, ἀντιπνεύσαντος πελαγίου, μεθ' ἡμέραν ἐπαλινδρόμησεν, εἶτ' αὖθις ἀνήχθη. Λέγεται δὲ καὶ, καταπλεύσαντος εἰς Δυῤῥάχιον αὐτοῦ, καὶ μέλλοντος ἀποβαίνειν, σεισμόν τε τῆς γῆς καὶ σπασμὸν ἅμα γενέσθαι τῆς θαλάττης. Ἀφ' ὧν συνέβαλλον οἱ μαντικοὶ, μὴ μόνιμον αὐτῷ τὴν φυγὴν ἔσεσθαι· μεταβολῆς γὰρ εἶναι ταῦτα σημεῖα. Πολλῶν δὲ φοιτώντων ἀνδρῶν ὑπ' εὐνοίας, καὶ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων διαμιλλωμένων πρὸς αὐτὸν ταῖς πρεσβείαις, ὅμως ἀθυμῶν καὶ περίλυπος διῆγε, τὰ πολλὰ πρὸς τὴν Ἰταλίαν, ὥσπερ οἱ δυσέρωτες, ἀφορῶν, καὶ τῷ φρονήματι μικρὸς ἄγαν καὶ ταπεινὸς ὑπὸ τῆς συμφορᾶς γεγονὼς καὶ συνεσταλμένος, ὡς οὐκ ἄν τις ἄνδρα παιδείᾳ συμβεβιωκότα τοσαύτῃ προσεδόκησε. Καίτοι πολλάκις αὐτὸς ἠξίου τοὺς φίλους μὴ ῥήτορα καλεῖν αὐτὸν, ἀλλὰ φιλόσοφον· φιλοσοφίαν γὰρ, ὡς ἔργον, ᾑρῆ-

ret. Tum vero fracto animo contendit Brundusium. Inde quum secundo vento solvisset, vento a mari exorto adverso, reiectus postero die ad Italiam est. Mox altum repetiit. Fama tenet, postquam Dyrrachium appulsus exiturus erat, terram movisse, et fuisse aestu retro absorptum aequor. Vnde coniectarunt, haud fore diuturnum ei exsilium, vates: praenuntiare enim ea mutationem. Quamvis autem frequentes eum celebrarent amici, Graeciae quoque civitates officiis erga eum certarent, animo tamen mansit abiecto et moesto, crebro Italiam insanorum more amatorum respiciens, itáque fractus calamitate, et deiectus, et aeger animi, ut non exspectares de viro in literis enutrito tam multis. Quamquam ab amicis petiit subinde, ne oratorem se, sed appellarent philosophum. Philoso-

σθαι, ῥητορικῇ δ' ὀργάνῳ χρῆσθαι πολιτευόμενος ἐπὶ τὰς χρείας. Ἀλλ' ἡ δόξα δεινὴ τὸν λόγον, ὥσπερ βαφὴν, ἀποκλύσαι τῆς ψυχῆς, καὶ τὰ τῶν πολλῶν ἀνομόρξασθαι πάθη δι' ὁμιλίαν καὶ συνήθειαν τοῖς πολιτευομένοις, ἂν μή τις εὖ μάλα φυλαττόμενος, οὕτω συμφέρηται τοῖς ἐκτὸς, ὡς τῶν πραγμάτων αὐτῶν, οὐ τῶν ἐπὶ τοῖς πράγμασι παθῶν συμμεθέξων.

33. Ὁ δὲ Κλώδιος ἐξελάσας τὸν Κικέρωνα, κατέπρησε μὲν αὐτοῦ τὰς ἐπαύλεις, κατέπρησε δὲ τὴν οἰκίαν, καὶ τῷ τόπῳ ναὸν Ἐλευθερίας ἐπῳκοδόμησε· τὴν δ' ἄλλην οὐσίαν ἐπώλησε καὶ διεκήρυττε καθ' ἡμέραν, μηδὲν ὠνουμένου μηδενός. Ἐκ δὲ τούτου φοβερὸς ὢν τοῖς ἀριστοκρατικοῖς, καὶ τὸν δῆμον ἀνειμένον εἰς ὕβριν πολλὴν καὶ θρασύτητα συνεφελκόμενος, ἐπεχείρει τῷ Πομπηΐῳ, τῶν διῳκημένων ὑπ' αὐτοῦ κατὰ τὴν στρατείαν ἔνια σπαράττων. Ἐφ' οἷς ὁ Πομπήϊος

phiam enim se, ut opus, sectatum: eloquentia ad rempublicam gerendam, ubi usus sit, uti tanquam instrumento. Atqui mirificam vim habet gloria doctrinam menti, veluti colorem, abluendi, imprimendique longo usu et consuetudine sensus vulgi iis, qui rempublicam tractant, nisi admodum religiose eam capessas: ut in negotiorum offeras te societatem, non, quos negotia secum trahunt, affectuum.

33. Exterminato Cicerone, Clodius villas eius incendit, concremavit domum, et areae aedem Libertatis inaedificavit, reliqua bona hastae subiecit: quae quotidie quum proclamaret, nemo ad hastam accessit tamen. Hinc trepidis eius timore optimatibus, populo, quem in omnem praecipitaverat insolentiam et audaciam, stipatus adoritur Pompeium, vellicatque non-

ἀδοξῶν, ἐκάκιζεν αὐτὸς αὐτὸν, προέμενος τὸν Κικέρωνα· καὶ πάλιν ἐκ μεταβολῆς παντοῖος ἐγίνετο, πράττων κάθοδον αὐτῷ μετὰ τῶν φίλων. Ενισταμένου δὲ τοῦ Κλωδίου, συνέδοξε τῇ βουλῇ μηδὲν διὰ μέσου πρᾶγμα κυροῦν, μηδὲ πράττειν δημόσιον, εἰ μὴ Κικέρωνι κάθοδος γένοιτο. Τῶν δὲ περὶ Λέντλον ὑπατευόντων, καὶ τῆς στασεως πρόσω βαδιζούσης, ὥστε τρωθῆναι μὲν ἐν ἀγορᾷ δημάρχους, Κοΐντον δὲ, τὸν Κικέρωνος ἀδελφὸν, ἐν τοῖς νεκροῖς ὡς τεθνηκότα κείμενον, διαλαθεῖν, ὅ τε δῆμος ἤρχετο τρέπεσθαι τῇ γνώμῃ, καὶ τῶν δημάρχων Αννιος Μίλων πρῶτος ἐτόλμησε τὸν Κλώδιον εἰς δίκην ἀπάγειν βιαίων, καὶ Πομπηΐῳ πολλοὶ συνῆλθον ἔκ τε τοῦ δήμου καὶ τῶν πέριξ πολεων. Μεθ' ὧν προελθὼν, καὶ τὸν Κλώδιον ἀναστήσας ἐκ τῆς ἀγορᾶς, ἐπὶ τὴν ψῆφον ἐκάλει τοὺς πολίτας. Καὶ λέγεται μηδέποτε μηδὲν ἐκ τοσαύτης ὁμοφροσύνης ἐπιψηφίσασθαι τὸν δῆμον. Ἡ δὲ σύγκλητος ἁμιλ-

nulla eius in bello acta. Quorum causa quum male audiret ille, poenituit eum, quod Ciceronem dereliquisset, mutatoque animo in omnes partes incubuit cum amicis ad eum revocandum. Quum repugnaret Clodius, senatusconsultum factum est, ut nulla de re ante, quae ad rempublicam pertineret, decerneretur, aut ageretur, quam de Ciceronis reditu latum esset. Gliscebat Lentulo consule seditio: tribuni plebis vulnerati in foro fuere. Quintus, Ciceronis frater, inter cadavera pro mortuo latuit. Hîc demum coepit animum plebs flectere. Annius Milo, tribunus plebis, ausus primus vi fuit Clodium in iudicium trahere. Magna pars populi, frequentesque ex municipiis cum Pompeio conspiravere. Horum ille agmine forum occupavit, deiecto Clodio, ac populum in suffragia misit. Proditum memoriae est,

λωμένη πρὸς τὸν δῆμον, ἔγραψεν ἐπαινεθῆναι τὰς πόλεις, ὅσαι τὸν Κικέρωνα παρὰ τὴν φυγὴν ἐθεράπευσαν, καὶ τὴν οἰκίαν αὐτῷ καὶ τὰς ἐπαύλεις, ἃς Κλώδιος διεφθάρκει, τέλεσι δημοσίοις ἀνασταθῆναι. Κατῄει δὲ Κικέρων ἑκκαιδεκάτῳ μηνὶ μετὰ τὴν φυγήν· καὶ τοσαύτη τὰς πόλεις χαρὰ, καὶ σπουδὴ τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὴν ἀπάντησιν εἶχεν, ὥστε τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας. Εφη γὰρ, αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ιταλίαν φέρουσαν, εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν. Οπου καὶ Κράσσος, ἐχθρὸς ὢν αὐτῷ πρὸ τῆς φυγῆς, τότε προθύμως ἀπήντα καὶ διελύετο, τῷ παιδὶ Ποπλίῳ χαριζόμενος, ὡς ἔλεγε, ζηλωτῇ τοῦ Κικέρωνος ὄντι.

34. Χρόνον δ᾽ οὐ πολὺν διαλιπὼν, καὶ παραφυλάξας ἀποδημοῦντα τὸν Κλώδιον, ἐπῆλθε μετὰ πολλῶν τῷ Καπετωλίῳ, καὶ τὰς δημαρχικὰς δέλτους, ἐν αἷς ἀναγραφαὶ τῶν

nullam unquam rem tanto consensu scivisse populum. Senatus cum populo certans decrevit, ut honos haberetur civitatibus, quae in Ciceronem, dum exsulasset, fuissent officiosae: domus eius et villae, quas diruerat Clodius, ut ex publico instaurarentur. Reversus ab exsilio Cicero est mense decimo sexto, tantaque municipiorum omnium laetitia et favore hominum proditum ei obviam est, ut, quod iactavit postea Cicero, minus esset vero. Ait enim, Italiae se humeris Romam reportatum. Siquidem ipse quoque Crassus, qui gesserat ante exsilium cum eo inimicitias, magno studio tunc ei occurrit, rediitque cum eo in gratiam, indulgens, ut ferebat, filio Publio, studioso Ciceronis.

34. Non multo interiecto spatio, quum captasset opportunitatem Cicero per absentiam Clodii, magna

διωκημένων ἦσαν, ἀπέσπασε καὶ διέφθειρεν. Εγκαλοῦντος δὲ περὶ τούτου τοῦ Κλωδίου, τοῦ δὲ Κικέρωνος λέγοντος, ὡς παρανόμως ἐκ πατρικίων εἰς δημαρχίαν παρέλθοι, καὶ κύριον οὐδὲν εἶναι τῶν πεπραγμένων ὑπ᾽ αὐτοῦ· Κάτων ἠγανάκτησε καὶ ἀντεῖπε, τὸν μὲν Κλώδιον οὐκ ἐπαινῶν, ἀλλὰ καὶ δυσχεραίνων τοῖς πεπολιτευμένοις, δεινὸν δὲ καὶ βίαιον ἀποφαίνων, ἀναίρεσιν ψηφίσασθαι δογμάτων καὶ πράξεων τοσούτων τὴν σύγκλητον· ἐν αἷς εἶναι καὶ τὴν ἑαυτοῦ τῶν περὶ Κύπρον καὶ Βυζάντιον διοίκησιν. Εκ τούτου προσέκρουσεν ὁ Κικέρων αὐτῷ πρόσκρουσιν εἰς οὐδὲν ἐμφανὲς προελθοῦσαν, ἀλλ᾽ ὥστε τῇ φιλοφροσύνῃ χρῆσθαι πρὸς ἀλλήλους ἀμαυρότερόν.

35. Μετὰ ταῦτα Κλώδιον μὲν ἀποκτίννυσι Μίλων· καὶ διωκόμενος φόνου, Κικέρωνα παρεστήσατο συνήγορον. Ἡ δὲ βουλὴ, φοβηθεῖσα, μὴ, κινδυνεύοντος ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ

frequentia scandit in Capitolium, tabulasque, quae acta continebant Clodii tribunatus, revulsit corrupitque. De eo querente Clodio, non rite respondit eum Cicero ex patriciis adspirasse ad tribunatum, neque esse eius actorum quidquam ratum. Quo offensus restitit Cato Ciceroni, non in gratiam Clodii, (quippe cui displicerent istius actiones) verum grave contendit esse, neque tolerandum, ut aboleret senatus tam multa decreta et acta, in quibus contineretur etiam ea, quae in Cypro et Byzantii ipse gesserat. Hinc offensio exstitit inter Ciceronem et Catonem: quae in inimicitiam tamen non erupit apertam, tantum frequentiorem consuetudinem diremit.

35. Sub haec Clodium occidit Milo. Defensorem hic in iudicium adductus adhibuit Ciceronem. At senatus, timens, ne, viro claro et acri reo, civitatis quies turbaretur,

θυμοειδοῦς, τοῦ Μίλωνος, ταραχὴ γένηται περὶ τὴν πόλιν, ἐπέτρεψε Πομπηΐῳ ταύτην τε καὶ τὰς ἄλλας κρίσεις βραβεῦσαι, παρέχοντα τῇ πόλει καὶ τοῖς δικαστηρίοις ἀσφάλειαν. Εκείνου δὲ τὴν ἀγορὰν ἔτι νυκτὸς ἀπὸ τῶν ἄκρων περιλαβόντος τοῖς στρατιώταις, ὁ Μίλων τὸν Κικέρωνα δείσας, μὴ πρὸς τὴν ὄψιν ἀηθείᾳ διαταραχθεὶς χεῖρον διαγωνίσηται, συνέπεισεν ἐν φορείῳ κομισθέντα πρὸς τὴν ἀγορὰν ἡσυχάζειν, ἄχρις οὗ συνίασιν οἱ κριταὶ, καὶ πληροῦται τὸ δικαστήριον. Ὁ δ᾽ οὐ μόνον ἦν, ὡς ἔοικεν, ἐν ὅπλοις ἀθαρσὴς, ἀλλὰ καὶ τῷ λέγειν μετὰ φόβου προσῄει, παὶ μόλις ἐπαύσατο παλλόμενος καὶ τρέμων ἐπὶ πολλῶν ἀγώνων, ἀκμὴν τοῦ λόγου καὶ στάσιν λαβόντος. Λικιννίῳ δὲ Μουρήνᾳ, φεύγοντι δίκην ὑπὸ Κάτωνος, βοηθῶν, καὶ φιλοτιμούμενος Ὁρτήσιον ὑπερβάλλειν εὐημερήσαντα, μέρος οὐδὲν ἀνεπαύσατο τῆς νυκτὸς, ὡς ὑπὸ τοῦ σφόδρα φροντίσαι καὶ διαγρυπνῆσαι κακωθεὶς,

permisit Pompeio, uti huic et ceteris iudiciis praeesset, praesidiumque haberet ad securitatem urbis et iudiciorum. Quum ille ante lucem summa fori cum armatis insedisset, metuens Milo, ne spectaculo insolito Cicero territus minus recte causam diceret, persuasit ei, ut lectica delatus in forum, quiesceret, dum convenirent iudices, et frequens esset corona. Enimvero non modo scilicet in bello ille timidus erat, sed accedebat etiam ad dicendum trepidus, ac multis in causis vix tandem horrere et tremere medio desinebat ardore et statu orationis. L. Murenam, quem accusavit Cato, defensurus, totam noctem lucubravit, dum Hortensium contendit, cuius mire placuerat oratio, superare: ut prae nimia solicitudine et vigiliis ita affecerit valetudinem, ut concedere illi videretur. Ac tunc, ut ad iudi-

ἐνδεέστερος αὐτοῦ φανῆναι. Τότε δ' οὖν ἐπὶ τὴν τοῦ Μίλωνος δίκην ἐκ τοῦ φορείου προελθὼν, καὶ θεασάμενος τὸν Πομπήϊον ἄνω καθεζόμενον, ὥσπερ ἐν στρατοπέδῳ, καὶ κύκλῳ τὰ ὅπλα περιλάμποντα τὴν ἀγορὰν, συνεχύθη, καὶ μόλις ἐνήρξατο τοῦ λόγου, κραδαινόμενος τὸ σῶμα, καὶ τὴν φωνὴν ἐνισχόμενος, αὐτοῦ τοῦ Μίλωνος εὐθαρσῶς καὶ ἀνδρείως παρισταμένου τῷ ἀγῶνι, καὶ κόμην θρέψαι καὶ μεταβαλεῖν ἐσθῆτα φαιὰν ἀπαξιώσαντος· ὅπερ οὐχ ἥκιστα δοκεῖ συναίτιον αὐτῷ γενέσθαι τῆς καταδίκης. Ἀλλ' ὅ γε Κικέρων διὰ ταῦτα φιλέταιρος μᾶλλον, ἢ δειλὸς, ἔδοξεν εἶναι.

36. Γίνεται δὲ καὶ τῶν ἱερέων, οὓς Αὐγούρας Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἀντὶ Κράσσου, τοῦ νέου, μετὰ τὴν ἐν Πάρθοις αὐτοῦ τελευτήν. Εἶτα κλήρῳ λαχὼν τῶν ἐπαρχιῶν Κιλικίαν, καὶ στρατὸν ὁπλιτῶν μυρίων καὶ δισχιλίων, ἱππέων δὲ δισχιλίων ἑξακοσίων, ἔπλευσε, προσταχθὲν αὐτῷ, καὶ τὰ περὶ Καππαδοκίαν

cium Milonis lectica delatus fuit, et Pompeium contemplatus locis superioribus, velut in castris, considentem, atque circumfulgens undique armis forum, obstupuit, et orationem aegre cum tremore corporis et linguae haesitantia exorsus est: quum Milo ipse forti animo et celso praesto esset certamini, nec capillos demittere, vel sumere atram vestem, sustinuisset: quod maximum momentum fecisse apparet ad eius damnationem. Ceterum Cicero ex eo anxius potius de salute amicorum fuisse, quam timidus, habitus est.

36. Augur factus est loco Crassi iunioris, qui apud Parthos ceciderat. Hinc sortitus provinciam Ciliciam, et exercitum duodecim millium peditum, et duorum millium sexcentorum equitum, Roma navigavit. Iniunctum ei fuit insuper, ut Cappadociam Ariobarzani regi

ψηφίσαιτο, τὸν δῆμον, ὡς ἐπὶ πένθεσι, μεταβαλεῖν τὰ ἱμάτια, καὶ τῶν ὑπάτων ἐναντιωθέντων, Κλωδίου δὲ σιδηροφορουμένου περὶ τὸ βουλευτήριον, ἐξέδραμον οὐκ ὀλίγοι τῶν βουλευτικῶν καταῤῥηγνύμενοι τοὺς χιτῶνας, καὶ βοῶντες. Ὡς δ' οὖν οὔτ' οἶκτος, οὔτε τις αἰδὼς πρὸς τὴν ὄψιν ἦν, ἀλλ' ἔδει τὸν Κικέρωνα φεύγειν, ἢ βίᾳ καὶ σιδήρῳ κριθῆναι πρὸς τὸν Κλώδιον, ἐδεῖτο Πομπηΐου βοηθεῖν, ἐπίτηδες ἐκποδὼν γεγονότος, καὶ διατρίβοντος ἐν ἀγροῖς περὶ τὸν Ἀλβανόν. Καὶ πρῶτον μὲν ἔπεμψε Πείσωνα, τὸν γαμβρὸν, δεησόμενον, ἔπειτα καὶ αὐτὸς ἀνέβη. Πυθόμενος δ' ὁ Πομπήϊος, οὐχ ὑπέμεινεν εἰς ὄψιν ἐλθεῖν· δεινὴ γὰρ αὐτὸν αἰδὼς εἶχε πρὸς τὸν ἄνδρα, μεγάλους ἠγωνισμένον ἀγῶνας ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ πολλὰ πρὸς χάριν ἐκείνῳ πεπολιτευμένον· ἀλλὰ Καίσαρι γαμβρὸς ὢν δεομένῳ προὔδωκε τὰς παλαιὰς χάριτας, καὶ κατὰ θύρας ἄλλας ὑπεξελθὼν, ἀπεδίδρασκε τὴν ἔντευξιν. Οὕτω

lus, sicut in luctu, mutaret vestem, consulibus adversantibus, et obsidente cum gladiis curiam Clodio, permulti patrum, vestibus laceratis, curia se cum magno fremitu effudere. Postquam nec misericordiam nec verecundiam ea movit facies, sed aut eundum in exsilium fuit Ciceroni, aut ferro cum Clodio decernendum, opem imploravit Pompeii: qui ex composito abscesserat, et ruri agebat in Albano suo. Primum generum ad orandum eum, Pisonem, allegavit, inde est ipse quoque profectus. Eo nunciato, non sustinuit in conspectum eius venire Pompeius. Mirum enim ei pudorem incussit vir ille, qui contentiones subierat pro eo maximas, multasque suas in republica actiones ad eius instituerat commodum. Verum quod gener esset Caesaris, huic instanti prodidit veteres necessitudines: ac, ne cum eo colloque-

δὴ προδοθεὶς ὁ Κικέρων ὑπ' αὐτοῦ, καὶ γεγονὼς ἔρημος, ἐπὶ τοὺς ὑπάτους κατέφυγε. Καὶ Γαβίνιος μὲν ἦν χαλεπὸς ἀεί· Πείσων δὲ διελέχθη πρᾳότερον, αὐτὸν παραινῶν ἐκστῆναι, καὶ ὑποχωρῆσαι τῇ τοῦ Κλωδίου ῥύμῃ, καὶ τὴν μεταβολὴν τῶν καιρῶν ἐνεγκεῖν, καὶ γενέσθαι πάλιν σωτῆρα τῆς πατρίδος ἐν στάσεσι καὶ κακοῖς δι' ἐκεῖνον οὔσης. Τοιαύτης τυχὼν ἀποκρίσεως ὁ Κικέρων, ἐβουλεύετο σὺν τοῖς φίλοις. καὶ Λεύκουλλος μὲν ἐκέλευε μένειν, ὡς περιεσόμενον, ἄλλοι δὲ φεύγειν, ὡς ταχὺ τοῦ δήμου ποθήσοντος αὐτὸν, ὅταν ἐμπλησθῇ τῆς Κλωδίου μανίας καὶ ἀπονοίας. Ταῦτ' ἔδοξε Κικέρωνι· καὶ τὸ μὲν ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, ὃ πολὺν χρόνον ἔχων ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱδρυμένον, ἐτίμα διαφερόντως, εἰς τὰ Καπετώλιον κομίσας ἀνέθηκεν, ἐπιγράψας· Ἀθηνᾷ Ῥώμης φύλακι· πομποὺς δὲ παρὰ τῶν φίλων λαβὼν, περὶ μέσας

retur, alia subduxit se ianua. Ita ab eo proditus et desertus confugit ad consules Cicero. Ac Gabinius quidem semper erat durus: benignius eum est Piso affatus, monuitque, ut cedendo et locum dando Clodii impetui, temporisque ferendo vicissitudinem, iterum servaret rempublicam, ipsius causa seditionibus et procellis iactatam. Eo accepto responso, deliberavit Cicero cum amicis. Lucullus manendum censuit, ipsius fore victoriam; alii fugiendum: futurum enim brevi, ut exsatiatus Clodii furore et scelere populus ipsum esset desideraturns. Hoc consilium Cicero sequutus est, ac signum Minervae, quod magna in veneratione diu habuerat domi, in Capitolio posuit, ibique dedicavit cum hac inscriptione: *Minervae urbis Romae praesidi.* Inde accepto ab amicis praesidio, clam media nocte profugit

νύκτας ὑπεξῆλθε τῆς πόλεως, καὶ πεζῇ διὰ Λευκανίας ἐπορεύετο, λαβέσθαι Σικελίας βουλόμενος.

32. Ὡς δ' ἦν φανερὸς ἤδη πεφευγὼς, ἐπήγαγεν αὐτῷ φυγῆς ψῆφον ὁ Κλώδιος, καὶ διάγραμμα προὔθηκεν, εἴργειν πυρὸς καὶ ὕδατος τὸν ἄνδρα, καὶ μὴ παρέχειν στέγην ἐντὸς μιλίων πεντακοσίων Ἰταλίας. Τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ἐλάχιστος ἦν τοῦ διαγράμματος τούτου λόγος, αἰδουμένοις τὸν Κικέρωνα, καὶ πᾶσαν ἐνδεικνύμενοι φιλοφροσύνην, παρέπεμπον αὐτόν· ἐν δ' Ἱππωνίῳ, πόλει τῆς Λευκανίας, ἣν Οὐιβῶνα νῦν καλοῦσιν, Οὐΐβιος, Σικελὸς ἀνὴρ, ἄλλα τε πολλὰ τῆς Κικέρωνος φιλίας ἀπολελαυκὼς, καὶ γεγονὼς, ὑπατεύοντος αὐτοῦ, τεκτόνων ὕπαρχος, οἰκίᾳ μὲν οὐκ ἐδέξατο, τὸ χωρίον δὲ καταγράψειν ἐπηγγέλλετο, καὶ Γάϊος Οὐεργῖνος, ὁ τῆς Σικελίας στρατηγὸς, ἐν τοῖς μαλιστα Κικέρωνι κεχρημένος, ἔγραψεν ἀπέχεσθαι τῆς Σικελίας. Εφ' οἷς ἀθυμήσας,

ex urbe. Lucaniam pedestri itinere percurrit, cupiens Siciliam tenere.

32. Vbi vulgatum est, eum fugisse, Clodius scivit ei exsilium, editumque proposuit, quo aqua et igni interdixit, ac ne quis eum intra quingenta millia passuum ab Italia tecto reciperet. At aliis adeo fuit Cicero venerandus, ut semel contemnerent edictum, omnique eum officiorum genere prosequerentur. Hipponii vero (quod oppidum est Lucaniae, Vibonem dicunt nunc) Vibius Siculus genere, qui cum alios fructus ex Ciceronis amicitia retulerat, tum fuerat eo consule praefectus fabrum, non admisit eum domi, sed locum ostendit ei se designaturum in agro, quo posset se recipere. Praetor Siciliae, C. Verginius, Ciceroni arctissima coniunctus familiaritate, scripsit ei, ut Sicilia abstine-

ὥρμησεν ἐπὶ Βρεντέσιον, κἀκεῖθεν εἰς Δυῤῥάχιον ἀνέμῳ φορῷ περαιούμενος, ἀντιπνεύσαντος πελαγίου, μεθ' ἡμέραν ἐπαλινδρόμησεν, εἶτ' αὖθις ἀνήχθη. Λέγεται δὲ καὶ, καταπλεύσαντος εἰς Δυῤῥάχιον αὐτοῦ, καὶ μέλλοντος ἀποβαίνειν, σεισμόν τε τῆς γῆς καὶ σπασμὸν ἅμα γενέσθαι τῆς θαλάττης. Ἀφ' ὧν συνέβαλλον οἱ μαντικοὶ, μὴ μόνιμον αὐτῷ τὴν φυγὴν ἔσεσθαι· μεταβολῆς γὰρ εἶναι ταῦτα σημεῖα. Πολλῶν δὲ φοιτώντων ἀνδρῶν ὑπ' εὐνοίας, καὶ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων διαμιλλωμένων πρὸς αὐτὸν ταῖς πρεσβείαις, ὅμως ἀθυμῶν καὶ περίλυπος διῆγε, τὰ πολλὰ πρὸς τὴν Ἰταλίαν, ὥσπερ οἱ δυσέρωτες, ἀφορῶν, καὶ τῷ φρονήματι μικρὸς ἄγαν καὶ ταπεινὸς ὑπὸ τῆς συμφορᾶς γεγονὼς καὶ συνεσταλμένος, ὡς οὐκ ἄν τις ἄνδρα παιδείᾳ συμβεβιωκότα τοσαύτῃ προσεδόκησε. Καίτοι πολλάκις αὐτὸς ἠξίου τοὺς φίλους μὴ ῥήτορα καλεῖν αὐτὸν, ἀλλὰ φιλόσοφον· φιλοσοφίαν γὰρ, ὡς ἔργον, ᾑρῆ-

ret. Tum vero fracto animo contendit Brundusium. Inde quum secundo vento solvisset, vento a mari exorto adverso, reiectus postero die ad Italiam est. Mox altum repetiit. Fama tenet, postquam Dyrrachium appulsus exiturus erat, terram movisse, et fuisse aestu retro absorptum aequor. Vnde coniectarunt, haud fore diuturnum ei exsilium, vates: praenuntiare enim ea mutationem. Quamvis autem frequentes eum celebrarent amici, Graeciae quoque civitates officiis erga eum certarent, animo tamen mansit abiecto et moesto, crebro Italiam insanorum more amatorum respiciens, itáque fractus calamitate, et deiectus, et aeger animi, ut non exspectares de viro in literis enutrito tam multis. Quamquam ab amicis petiit subinde, ne oratorem se, sed appellarent philosophum. Philoso-

σθαι, ῥητορικῇ δ' ὀργάνῳ χρῆσθαι πολιτευόμενος ἐπὶ τὰς χρείας. Αλλ' ἡ δόξα δεινὴ τὸν λόγον, ὥσπερ βαφὴν, ἀποκλύσαι τῆς ψυχῆς, καὶ τὰ τῶν πολλῶν ἀνομόρξασθαι πάθη δι' ὁμιλίαν καὶ συνήθειαν τοῖς πολιτευομένοις, ἂν μή τις εὖ μάλα φυλαττόμενος, οὕτω συμφέρηται τοῖς ἐκτὸς, ὡς τῶν πραγμάτων αὐτῶν, οὐ τῶν ἐπὶ τοῖς πράγμασι παθῶν συμμεθέξων.

33. Ὁ δὲ Κλώδιος ἐξελάσας τὸν Κικέρωνα, κατέπρησε μὲν αὐτοῦ τὰς ἐπαύλεις, κατέπρησε δὲ τὴν οἰκίαν, καὶ τῷ τόπῳ ναὸν Ελευθερίας ἐπῳκοδόμησε· τὴν δ' ἄλλην οὐσίαν ἐπώλησε καὶ διεκήρυττε καθ' ἡμέραν, μηδὲν ὠνουμένου μηδενός. Εκ δὲ τούτου φοβερὸς ὢν τοῖς ἀριστοκρατικοῖς, καὶ τὸν δῆμον ἀνειμένον εἰς ὕβριν πολλὴν καὶ θρασύτητα συνεφελκόμενος, ἐπεχείρει τῷ Πομπηΐῳ, τῶν διῳκημένων ὑπ' αὐτοῦ κατὰ τὴν στρατείαν ἔνια σπαράττων. Εφ' οἷς ὁ Πομπήϊος

phiam enim se, ut opus, sectatum: eloquentia ad rempublicam gerendam, ubi usus sit, uti tanquam instrumento. Atqui mirificam vim habet gloria doctrinam menti, veluti colorem, abluendi, imprimendique longo usu et consuetudine sensus vulgi iis, qui rempublicam tractant, nisi admodum religiose eam capessas: ut in negotiorum offeras te societatem, non, quos negotia secum trahunt, affectuum.

33. Exterminato Cicerone, Clodius villas eius incendit, concremavit domum, et areae aedem Libertatis inaedificavit, reliqua bona hastae subiecit: quae quotidie quum proclamaret, nemo ad hastam accessit tamen. Hinc trepidis eius timore optimatibus, populo, quem in omnem praecipitaverat insolentiam et audaciam, stipatus adoritur Pompeium, vellicatque non-

ἀδοξῶν, ἐκάκιζεν αὐτὸς αὐτὸν, προέμενος τὸν Κικέρωνα· καὶ πάλιν ἐκ μεταβολῆς παντοῖος ἐγίνετο, πράττων κάθοδον αὐτῷ μετὰ τῶν φίλων. Ενισταμένου δὲ τοῦ Κλωδίου, συνέδοξε τῇ βουλῇ μηδὲν διὰ μέσου πρᾶγμα κυροῦν, μηδὲ πράττειν δημόσιον, εἰ μὴ Κικέρωνι κάθοδος γένοιτο. Τῶν δὲ περὶ Λέντλον ὑπατευόντων, καὶ τῆς στασεως πρόσω βαδιζούσης, ὥστε τρωθῆναι μὲν ἐν ἀγορᾷ δημάρχους, Κόϊντον δὲ, τὸν Κικέρωνος ἀδελφὸν, ἐν τοῖς νεκροῖς ὡς τεθνηκότα κείμενον, διαλαθεῖν, ὅ τε δῆμος ἤρχετο τρέπεσθαι τῇ γνώμῃ, καὶ τῶν δημάρχων Αννιος Μίλων πρῶτος ἐτόλμησε τὸν Κλώδιον εἰς δίκην ἀπάγειν βιαίων, καὶ Πομπηΐῳ πολλοὶ συνῆλθον ἔκ τε τοῦ δήμου καὶ τῶν πέριξ πόλεων. Μεθ' ὧν προελθὼν, καὶ τὸν Κλώδιον ἀναστήσας ἐκ τῆς ἀγορᾶς, ἐπὶ τὴν ψῆφον ἐκάλει τοὺς πολίτας. Καὶ λέγεται μηδέποτε μηδὲν ἐκ τοσαύτης ὁμοφροσύνης ἐπιψηφίσασθαι τὸν δῆμον. Ἡ δὲ σύγκλητος ἁμιλ-

nulla eius in bello acta. Quorum causa quum male audiret ille, poenituit eum, quod Ciceronem dereliquisset, mutatoque animo in omnes partes incubuit cum amicis ad eum revocandum. Quum repugnaret Clodius, senatusconsultum factum est, ut nulla de re ante, quae ad rempublicam pertineret, decerneretur, aut ageretur, quam de Ciceronis reditu latum esset. Gliscebat Lentulo consule seditio: tribuni plebis vulnerati in foro fuere. Quintus, Ciceronis frater, inter cadavera pro mortuo latuit. Hic demum coepit animum plebs flectere. Annius Milo, tribunus plebis, ausus primus vi fuit Clodium in iudicium trahere. Magna pars populi, frequentesque ex municipiis cum Pompeio conspiravere. Horum ille agmine forum occupavit, deiecto Clodio, ac populum in suffragia misit. Proditum memoriae est,

λωμένη πρὸς τὸν δῆμον, ἔγραψεν ἐπαινεθῆναι τὰς πόλεις, ὅσαι τὸν Κικέρωνα παρὰ τὴν φυγὴν ἐθεράπευσαν, καὶ τὴν οἰκίαν αὐτῷ καὶ τὰς ἐπαύλεις, ἃς Κλώδιος διεφθάρκει, τέλεσι δημοσίοις ἀνασταθῆναι. Κατῄει δὲ Κικέρων ἑκκαιδεκάτῳ μηνὶ μετὰ τὴν φυγήν· καὶ τοσαύτη τὰς πόλεις χαρὰ, καὶ σπουδὴ τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὴν ἀπάντησιν εἶχεν, ὥστε τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας. Εφη γὰρ, αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ιταλίαν φέρουσαν, εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν. Οπου καὶ Κράσσος, ἐχθρὸς ὢν αὐτῷ πρὸ τῆς φυγῆς, τότε προθύμως ἀπήντα καὶ διελύετο, τῷ παιδὶ Ποπλίῳ χαριζόμενος, ὡς ἔλεγε, ζηλωτῇ τοῦ Κικέρωνος ὄντι.

34. Χρόνον δ' οὐ πολὺν διαλιπὼν, καὶ παραφυλάξας ἀποδημοῦντα τὸν Κλώδιον, ἐπῆλθε μετὰ πολλῶν τῷ Καπετωλίῳ, καὶ τὰς δημαρχικὰς δέλτους, ἐν αἷς ἀναγραφαὶ τῶν

nullam unquam rem tanto consensu scivisse populum. Senatus cum populo certans decrevit, ut honos haberetur civitatibus, quae in Ciceronem, dum exsulasset, fuissent officiosae: domus eius et villae, quas diruerat Clodius, ut ex publico instaurarentur. Reversus ab exsilio Cicero est mense decimo sexto, tantaque municipiorum omnium laetitia et favore hominum proditum ei obviam est, ut, quod iactavit postea Cicero, minus esset vero. Ait enim, Italiae se humeris Romam reportatum. Siquidem ipse quoque Crassus, qui gesserat ante exsilium cum eo inimicitias, magno studio tunc ei occurrit, rediitque cum eo in gratiam, indulgens, ut ferebat, filio Publio, studioso Ciceronis.

34. Non multo interiecto spatio, quum captasset opportunitatem Cicero per absentiam Clodii, magna

διῳκημένων ἦσαν, ἀπέσπασε καὶ διέφθειρεν. Ἐγκαλοῦντος δὲ περὶ τούτου τοῦ Κλωδίου, τοῦ δὲ Κικέρωνος λέγοντος, ὡς παρανόμως ἐκ πατρικίων εἰς δημαρχίαν παρέλθοι, καὶ κύριον οὐδὲν εἶναι τῶν πεπραγμένων ὑπ᾽ αὐτοῦ· Κάτων ἠγανάκτησε καὶ ἀντεῖπε, τὸν μὲν Κλώδιον οὐκ ἐπαινῶν, ἀλλὰ καὶ δυσχεραίνων τοῖς πεπολιτευμένοις, δεινὸν δὲ καὶ βίαιον ἀποφαίνων, ἀναίρεσιν ψηφίσασθαι δογμάτων καὶ πράξεων τοσούτων τὴν σύγκλητον· ἐν αἷς εἶναι καὶ τὴν ἑαυτοῦ τῶν περὶ Κύπρον καὶ Βυζάντιον διοίκησιν. Ἐκ τούτου προσέκρουσεν ὁ Κικέρων αὐτῷ πρόσκρουσιν εἰς οὐδὲν ἐμφανὲς προελθοῦσαν, ἀλλ᾽ ὥστε τῇ φιλοφροσύνῃ χρῆσθαι πρὸς ἀλλήλους ἀμαυρότερον.

35. Μετὰ ταῦτα Κλώδιον μὲν ἀποκτίννυσι Μίλων· καὶ διωκόμενος φόνου, Κικέρωνα παρεστήσατο συνήγορον. Ἡ δὲ βουλὴ, φοβηθεῖσα, μὴ, κινδυνεύοντος ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ

frequentia scandit in Capitolium, tabulasque, quae acta continebant Clodii tribunatus, revulsit corrupitque. De eo querente Clodio, non rite respondit eum Cicero ex patriciis adspirasse ad tribunatum, neque esse eius actorum quidquam ratum. Quo offensus restitit Cato Ciceroni, non in gratiam Clodii, (quippe cui displicerent istius actiones) verum grave contendit esse, neque tolerandum, ut aboleret senatus tam multa decreta et acta, in quibus continerentur etiam ea, quae in Cypro et Byzantii ipse gesserat. Hinc offensio exstitit inter Ciceronem et Catonem: quae in inimicitiam tamen non erupit apertam, tantum frequentiorem consuetudinem diremit.

35. Sub haec Clodium occidit Milo. Defensorem hic in iudicium adductus adhibuit Ciceronem. At senatus, timens, ne, viro claro et acri reo, civitatis quies turbaretur,

θυμοειδοῦς, τοῦ Μίλωνος, ταραχὴ γένηται περὶ τὴν πόλιν, ἐπέτρεψε Πομπηΐῳ ταύτην τε καὶ τὰς ἄλλας κρίσεις βραβεῦσαι, παρέχοντα τῇ πόλει καὶ τοῖς δικαστηρίοις ἀσφάλειαν. Ἐκείνου δὲ τὴν ἀγορὰν ἔτι νυκτὸς ἀπὸ τῶν ἄκρων περιλαβόντος τοῖς στρατιώταις, ὁ Μίλων τὸν Κικέρωνα δείσας, μὴ πρὸς τὴν ὄψιν ἀηθείᾳ διαταραχθεὶς χεῖρον διαγωνίσηται, συνέπεισεν ἐν φορείῳ κομισθέντα πρὸς τὴν ἀγορὰν ἡσυχάζειν, ἄχρις οὗ συνίασιν οἱ κριταὶ, καὶ πληροῦται τὸ δικαστήριον. Ὁ δ' οὐ μόνον ἦν, ὡς ἔοικεν, ἐν ὅπλοις ἀθαρσὴς, ἀλλὰ καὶ τῷ λέγειν μετὰ φόβου προσῄει, παὶ μόλις ἐπαύσατο παλλόμενος καὶ τρέμων ἐπὶ πολλῶν ἀγώνων, ἀκμὴν τοῦ λόγου καὶ στάσιν λαβόντος. Λικιννίῳ δὲ Μουρήνᾳ, φεύγοντι δίκην ὑπὸ Κάτωνος, βοηθῶν, καὶ φιλοτιμούμενος Ὁρτήσιον ὑπερβάλλειν εὐημερήσαντα, μέρος οὐδὲν ἀνεπαύσατο τῆς νυκτὸς, ὡς ὑπὸ τοῦ σφόδρα φροντίσαι καὶ διαγρυπνῆσαι κακωθεὶς,

permisit Pompeio, uti huic et ceteris iudiciis praeesset, praesidiumque haberet ad securitatem urbis et iudiciorum. Quum ille ante lucem summa fori cum armatis insedisset, metuens Milo, ne spectaculo insolito Cicero territus minus recte causam diceret, persuasit ei, ut lectica delatus in forum, quiesceret, dum convenirent iudices, et frequens esset corona. Enimvero non modo scilicet in bello ille timidus erat, sed accedebat etiam ad dicendum trepidus, ac multis in causis vix tandem horrere et tremere medio desinebat ardore et statu orationis. L. Murenam, quem accusavit Cato, defensurus, totam noctem lucubravit, dum Hortensium contendit, cuius mire placuerat oratio, superare: ut prae nimia solicitudine et vigiliis ita affecerit valetudinem, ut concedere illi videretur. Ac tunc, ut ad iudi-

ἐνδεέστερος αὐτοῦ φανῆναι. Τότε δ' οὖν ἐπὶ τὴν τοῦ Μίλωνος δίκην ἐκ τοῦ φορείου προελθὼν, καὶ θεασάμενος τὸν Πομπήϊον ἄνω καθεζόμενον, ὥσπερ ἐν στρατοπέδῳ, καὶ κύκλῳ τὰ ὅπλα περιλάμποντα τὴν ἀγορὰν, συνεχύθη, καὶ μόλις ἐνήρξατο τοῦ λόγου, κραδαινόμενος τὸ σῶμα, καὶ τὴν φωνὴν ἐνισχόμενος, αὐτοῦ τοῦ Μίλωνος εὐθαρσῶς καὶ ἀνδρείως παρισταμένου τῷ ἀγῶνι, καὶ κόμην θρέψαι καὶ μεταβαλεῖν ἐσθῆτα φαιὰν ἀπαξιώσαντος· ὅπερ οὐχ ἥκιστα δοκεῖ συναίτιον αὐτῷ γενέσθαι τῆς καταδίκης. Ἀλλ' ὅ γε Κικέρων διὰ ταῦτα φιλέταιρος μᾶλλον, ἢ δειλὸς, ἔδοξεν εἶναι.

36. Γίνεται δὲ καὶ τῶν ἱερέων, οὓς Αὔγουρας Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, ἀντὶ Κράσσου, τοῦ νέου, μετὰ τὴν ἐν Πάρθοις αὐτοῦ τελευτήν. Εἶτα κλήρῳ λαχὼν τῶν ἐπαρχιῶν Κιλικίαν, καὶ στρατὸν ὁπλιτῶν μυρίων καὶ δισχιλίων, ἱππέων δὲ δισχιλίων ἑξακοσίων, ἔπλευσε, προσταχθὲν αὐτῷ, καὶ τὰ περὶ Καππαδοκίαν

cium Milonis lectica delatus fuit, et Pompeium contemplatus locis superioribus, velut in castris, considentem, atque circumfulgens undique armis forum, obstupuit, et orationem aegre cum tremore corporis et linguae haesitantia exorsus est: quum Milo ipse forti animo et celso praesto esset certamini, nec capillos demittere, vel sumere atram vestem, sustinuisset: quod maximum momentum fecisse apparet ad eius damnationem. Ceterum Cicero ex eo anxius potius de salute amicorum fuisse, quam timidus, habitus est.

36. Augur factus est loco Crassi iunioris, qui apud Parthos ceciderat. Hinc sortitus provinciam Ciliciam, et exercitum duodecim millium peditum, et duorum millium sexcentorum equitum, Roma navigavit. Iniunctum ei fuit insuper, ut Cappadociam Ariobarzani regi

Ἀριοβαρζάνῃ, τῷ βασιλεῖ, φίλα καὶ πειθήνια παρασχεῖν. Ταῦτά τε δὴ παρεστήσατο καὶ συνήρμοσεν ἀμέμπτως ἄτερ πολέμου· τούς τε Κίλικας ὁρῶν πρὸς τὸ Παρθικὸν πταῖσμα Ῥωμαίων καὶ τὸν ἐν Συρίᾳ νεωτερισμὸν ἐπηρμένους, κατεπραΰνεν ἡμέρως ἄρχων. Καὶ δῶρα μὲν οὐδὲ τῶν βασιλέων διδόντων ἔλαβε, δείπνων δὲ τοὺς ἐπαρχικοὺς ἀνῆκεν· αὐτὸς δὲ καθ' ἡμέραν τοὺς χαρίεντας ἀνελάμβανεν ἑστιάσεσιν, οὐ πολυτελῶς, ἀλλ' ἐλευθερίως. Ἡ δ' οἰκία θυρωρὸν οὐκ εἶχεν, οὐδ' αὐτὸς ὤφθη κατακείμενος ὑπ' οὐδενὸς, ἀλλ' ἕωθεν ἑστὼς, ἢ περιπατῶν πρὸ τοῦ δωματίου, τοὺς ἀσπαζομένους ἐδεξιοῦτο. Λέγεται δὲ μήτε ῥάβδοις αἰκίσασθαί τινα, μήτ' ἐσθῆτα περισχίσαι, μήτε βλασφημίαν ὑπ' ὀργῆς ἢ ζημίας προσβαλεῖν μεθ' ὕβρεων. Ἀνευρὼν δὲ πολλὰ τῶν δημοσίων κεκλεμμένα, τάς τε πόλεις εὐπόρους ἐποίησε, καὶ τοὺς ἀποτίνοντας, οὐδὲν τούτου πλέον παθόντας, ἐπιτίμους διεφύλαξεν. Ἥψατο δὲ καὶ πολέμου,

conciliaret et dicto audientem praestaret: quod confecit et composuit sine armis, et multa cum gratia. Ciliciam cernens ad Parthicam Romanorum cladem et tumultum Syriae animis elatam, leni imperio placavit. Dona ne a regibus quidem accepit oblata. Coenis provinciales remisit. Ipse probos et doctos viros in convivio excepit, non sumtuose, sed liberaliter. Domus eius carebat ianitore. Decumbentem conspexit nemo, sed mane consistens, aut inambulans pro cubiculo, comiter appellabat salutatores. Neminem dicitur virgis cecidisse, nec vestem ullius lacerasse, neque ira provectus, aut mulctae causa, dictum iecisse in quemquam contumeliosum, aut probrosum. Quum multam pecuniam publicam comperisset aversam, civitates locupletavit, et resolventibus, quae ablata erant, nulla praeterea poena

λῃστὰς τῶν περὶ τὸν Αμανὸν οἰκούντων τρεψάμενος. ἐφ' ᾧ καὶ αὐτοκράτωρ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἀνηγορεύθη. Καιλίου δὲ, τοῦ ῥήτορος, δεομένου παρδάλεις αὐτῷ πρός τινα θέαν εἰς Ῥώμην, ἐκ Κιλικίας ἀποστεῖλαι, καλλωπιζόμενος ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις, γράφει πρὸς αὐτὸν, οὐκ εἶναι παρδάλεις ἐν Κιλικίᾳ· πεφευγέναι γὰρ εἰς Καρίαν, ἀγανακτούσας, ὅτι μόναι πολεμοῦνται, πάντων εἰρήνην ἐχόντων. Πλέων δ' ἀπὸ τῆς ἐπαρχίας, τοῦτο μὲν Ῥόδῳ προσέσχε, τοῦτο δ' Ἀθήναις ἐνδιέτριψεν ἄσμενος, πόθῳ τῶν πάλαι διατριβῶν. Ανδράσι δὲ τοῖς πρώτοις ἀπὸ παιδείας συγγενόμενος, καὶ τοὺς τότε φίλους καὶ συνήθεις ἀσπασάμενος, καὶ τὰ πρέποντα θαυμασθεὶς ὑπὸ τῆς Ἑλλάδος, εἰς τὴν πόλιν ἐπανῆλθεν, ἤδη τῶν πραγμάτων, ὥσπερ ὑπὸ φλεγμονῆς, ἀφισταμένων ἐπὶ τὸν ἐμφύλιον πόλεμον.

37. Εν μὲν οὖν τῇ βουλῇ ψηφισομένων αὐτῷ θρίαμβον,

imposita, integram famam conservavit. Bellum etiam attigit, latronesque, qui Amanum tenebant, fudit fugavitque: unde appellatus ab exercitu imperator est. Coelio oratori, ut pantheras sibi ex Cilicia Romam mitteret ad ludos roganti, cum iactantia aliqua rerum suarum rescripsit, non esse in Cilicia pantheras, in Cariam fugisse, querentes, in communi pace secum tantum geri bellum. Provincia decedens primum Rhodum appulit, inde haesit libenter pristinae desiderio conversationis Athenis. Visis ibi excellentissimis doctrina viris, salutatisque, quos tunc ibi habebat, amicis et familiaribus, celebratus a Graecia eximiis honoribus, tandem ad urbem regressus est, ubi res iam, quasi ex inflammatione quadam, in bellum exarserant civile.

37. Quum vero decerneret ei triumphum senatus

ἥδιον ἂν ἔφη παρακολουθῆσαι Καίσαρι θριαμβεύοντι, συμβάσεων γενομένων. Ἰδίᾳ δὲ συνεβούλευε, πολλὰ μὲν Καίσαρι γράφων, πολλὰ δ' αὐτοῦ Πομπηΐου δεόμενος, πραΰνων ἑκάτερον καὶ παραμυθούμενος. Ὡς δ' ἦν ἀνήκεστα, καὶ, Καίσαρος ἐπερχομένου, Πομπήϊος οὐκ ἔμεινεν, ἀλλὰ μετὰ πολλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν τὴν πόλιν ἐξέλιπε, ταύτης μὲν ἀπελείφθη τῆς φυγῆς ὁ Κικέρων, ἔδοξε δὲ Καίσαρι προστίθεσθαι. Καὶ δῆλός ἐστι τῇ γνώμῃ πολλὰ ῥιπτασθεὶς ἐπ' ἀμφότερα καὶ δυσπαθήσας. Γράφει γὰρ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς διαπορεῖν, ποτέρωσε χρὴ τρέπεσθαι, Πομπηΐου μὲν ἔνδοξον καὶ καλὴν ὑπόθεσιν πρὸς τὸν πόλεμον ἔχοντος, Καίσαρος δ' ἄμεινον τοῖς πράγμασι χρωμένου, καὶ μᾶλλον ἑαυτὸν καὶ τοὺς φίλους σώζοντος· ὥστ' ἔχειν μὲν, ὃν φύγῃ, μὴ ἔχειν δὲ, πρὸς ὃν φύγῃ. Τρεβατίου δὲ, τινὸς τῶν Καίσαρος ἑταίρων, γράψαντος ἐπιστολὴν, ὅτι Καῖσαρ οἴεται δεῖν μάλιστα

malle ait se, facta concordia, Caesaris sequi carrum. Privatim autem consuluit utrique, hinc Caesari multa scribens, hinc obtestans Pompeium: utrumque vero demulcens ac placans. Sed quum esset res deplorata, et, Caesare invadente, Pompeius urbem relinquens cum multis et primariis fugam caperet, huic se fugae non coniunxit Cicero, sed Caesari existimatus est adhaerere. Constat sane, multum eum animo in utramque partem fluctuatum et anxium fuisse. Scribit enim in epistolis: Vtro me convertam? Speciosam habet Pompeius et honestam belli materiam: rem melius gerit Caesar, rectiusque sibi et amicis consulit. Itaque, quem fugiam habeo, non habeo ad quem fugiam. Ceterum, ut Trebatius, unus ex Caesaris familiaribus, significavit ei per literas, Caesarem arbitrari, ipsum esse suarum partium de-

μὲν αὐτὸν ἐξετάζεσθαι μεθ' αὐτοῦ, καὶ τῶν ἐλπίδων μετέχειν· εἰ δ' ἀναδύεται διὰ γῆρας, εἰς τὴν Ἑλλάδα βαδίζειν, κἀκεῖ καθήμενον ἡσυχίαν ἄγειν, ἐκποδὼν ἀμφοτέροις γενόμενον. Θαυμάσας ὁ Κικέρων, ὅτι Καῖσαρ αὐτὸς οὐκ ἔγραψεν, ἀπεκρίνατο πρὸς ὀργὴν, ὡς οὐδὲν ἀνάξιον πράξει τῶν πεπολιτευμένων. Τὰ μὲν οὖν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς γεγραμμένα τοιαῦτά ἐστι.

38. Τοῦ δὲ Καίσαρος εἰς Ἰβηρίαν ἀπάραντος, εὐθὺς ὡς Πομπήϊον ἔπλευσε· καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις ἄσμενος ὤφθη, Κάτων δ' αὐτὸν ἰδὼν, ἰδίᾳ πολλὰ κατεμέμφετο Πομπηΐῳ προσθέμενον· αὐτῷ μὲν γὰρ οὐχὶ καλῶς ἔχειν ἐγκαταλιπεῖν, ἣν ἀπ' ἀρχῆς εἵλετο τῆς πολιτείας τάξιν, ἐκεῖνον δὲ χρησιμώτερον ὄντα τῇ πατρίδι καὶ τοῖς φίλοις, εἰ μένων ἴσα ἐκεῖ πρὸς τὸ ἀποβαῖνον ἡρμόζετο, κατ' οὐδένα λογισμὸν οὐδ' ἐξ ἀνάγκης πολέμιον γεγονέναι Καίσαρι, καὶ τοσούτου με-

bere, et suae consortem spei: sin hoc ei non permitteret aetas, in Graeciam ut conferret se, ibique neutri parti addictus quieti suae consuleret: miratus nihil ipsum ad se Caesarem scripsisse Cicero, cum stomacho respondit: Nihil se indignum rebus suis gestis facturum. Eiuscemodi sunt, quae scripsit in epistolis.

38. Profecto in Hispaniam Caesare, navigavit extemplo ad Pompeium. Ac ceteri quidem gavisi adventu eius sunt: Cato ubi eum vidit, obiurgavit eum graviter, remotis arbitris, quod esset Pompeium sequutus. Sibi quidem parum honestum fore, si, quas a principio probasset, eas reliquisset reipublicae partes: ipsum vero, qui plus profuturus patriae et amicis esset, si domi manens medius rebus ad eventum moderaretur, temere nunc, nulla compulsum necessitate, hostem factum Caesari esse, et ad tanti discriminis illuc venisse

φέξοντα κινδύνου δεῦρ' ἥκειν. Οὗτοι δὲ δὴ τοῦ Κικέρωνος ἀνέστρεφον οἱ λόγοι τὴν γνώμην, καὶ τὸ μέγα μηδὲν αὐτῷ χρῆσθαι Πομπήϊον. Αἴτιος δ' ἦν αὐτὸς, οὐκ ἀρνούμενος μεταμέλεσθαι, φλαυρίζων δὲ τοῦ Πομπηΐου τὴν παρασκευὴν, καὶ πρὸς τὰ βουλεύματα δυσκολαίνων ὑπούλως, καὶ τοῦ παρασκώπτειν τι καὶ λέγειν χάριεν εἰς τοὺς συμμάχους οὐκ ἀπεχόμενος, ἀλλ' αὐτὸς μὲν ἀγέλαστος ἀεὶ περιϊὼν ἐν τῷ στρατοπέδῳ καὶ σκυθρωπὸς, ἑτέροις δὲ παρέχων γέλωτα μηδὲν δεομένοις. Βέλτιον δὲ καὶ τούτων ὀλίγα παραθέσθαι. Δομιτίου τοίνυν ἄνθρωπον εἰς τάξιν ἡγεμονικὴν ἄγοντος οὐ πολεμικὸν, καὶ λέγοντος, ὡς ἐπιεικὴς τὸν τρόπον ἐστὶ καὶ σώφρων· « Τί οὖν, εἶπεν, οὐκ ἐπίτροπον αὐτὸν ταῖς τέκνοις φυλάσσεις; » Επαινούντων δέ τινων Θεοφάνην, τὸν Λέσβιον, ὃς ἦν ἐν τῷ στρατοπέδῳ τεκτόνων ἔπαρχος, ὡς εὖ παραμυθήσαιτο Ῥοδίους τὸν στόλον ἀποβαλόντας· « Ἡλίκον, εἶπεν,

societatem. Cum hae rationes sententiam commutaverunt Ciceronis, tum quod non magnopere eius opera Pompeius uteretur: cuius rei fuit ipse tamen in causa. Quippe aperte prae se ferebat, poenitere ipsum consilii sui. Ridebat etiam apparatum Pompeii, occulte improbans consilia eius, neque a dicteriis et facetiis abstinebat in socios iaciendis: verum quum vultuosus ipse per castra incederet et tristis, aliis non perinde animatis risum excitabat. Operae pretium autem est, nonnulla ex his attexere. Quum Domitius hominem imbellem ad praefecturam proveheret, diceretque, probum virum et modestum esse: Quin igitur, inquit, tutorem hunc liberis tuis servas? Commendantibus quibusdam Lesbium Theophanem, qui praefectus fabrum erat in castris, quod egregie Rhodios, quum

ἀγαθόν ἐστι, τὸ Γραικὸν ἔχειν ἔπαρχον; » Καίσαρος δὲ κατορθοῦντος τὰ πλεῖστα, καὶ τρόπον τινὰ πολιορκοῦντος αὐτοὺς, Λέντλῳ μὲν εἰπόντι πυνθάνεσθαι, στυγνοὺς εἶναι τοὺς Καίσαρος φίλους, ἀπεκρίνατο· « Λέγεις αὐτοὺς δυσνοεῖν Καίσαρι; » Μαρκίου δέ τινος ἥκοντος ἐξ Ἰταλίας νεωστὶ, καὶ λέγοντος, ἐν Ῥώμῃ φήμην ἐπικρατεῖν, ὡς πολιορκοῖτο Πομπήϊος· « Εἶτ' ἐξέπλευσας, εἶπεν, ἵνα τοῦτο πιστεύσῃς αὐτὸς θεασάμενος; » Μετὰ δὲ τὴν ἧτταν Νοννίου μὲν εἰπόντος, ὅτι δεῖ χρηστὰς ἐλπίδας ἔχειν, ἑπτὰ γὰρ αἐτοὺς ἐν τῷ στρατοπέδῳ τοῦ Πομπηΐου λελεῖφθαι· « Καλῶς ἂν, ἔφη, παρῄνεις, εἰ κολοιοῖς ἐπολεμοῦμεν. » Λαβιηνοῦ δὲ μαντείαις τισὶν ἰσχυριζομένου, καὶ λέγοντος, ὡς δεῖ περιγενέσθαι Πομπήϊον· « Οὐκοῦν, ἔφη, στρατηγήματι τούτῳ χρώμενοι νῦν ἀποβεβλήκαμεν τὸ στρατόπεδον. »

amisissent classem, esset consolatus: Quanti interest, inquit, Graecum habere praefectum? Quum essent Caesari proelia fere secunda, et ille ipsos paene obsideret, nuntiari dicenti Lentulo, amicos Caesaris contracto vultu esse, respondit: Narras, male eos Caesari velle? Quum Martius quidam ex Italia recens advenisset, referretque, rumorem Romae increbuisse, obsideri Pompeium: Et tu, infit, huc navigasti, quod tibi fidem oculis faceres? Fuso Pompeio, quum hortaretur ad bene sperandum Nonius: septem enim superesse in castris Pompeii aquilas: Recte moneres, inquit, si pugnandum cum graculis esset. Quum certis fretus oraculis demonstraret Labienus, fore Pompeium victorem: Scilicet, inquit, hoc militari artificio subnixi castra nunc amisimus.

39. Ἀλλὰ γὰρ, γενομένης τῆς κατὰ Φάρσαλον μάχης, ἧς οὐ μετέσχε δι' ἀῤῥωστίαν, καὶ Πομπηΐου φυγόντος, ὁ μὲν Κάτων, καὶ στράτευμα συχνὸν ἐν Δυῤῥαχίῳ, καὶ στόλον ἔχων μέγαν, ἐκεῖνον ἠξίου στρατηγεῖν κατὰ νόμον, καὶ τὸ τῆς ὑπατείας ἀξίωμα προὔχοντα. διωθούμενος δὲ τὴν ἀρχὴν ὁ Κικέρων, καὶ ὅλως φεύγων τὸ συστρατεύεσθαι, παρ' οὐδὲν ἦλθεν ἀναιρεθῆναι, Πομπηΐου τοῦ νέου καὶ τῶν φίλων προδότην ἀποκαλούντων, καὶ τὰ ξίφη σπασαμένων, εἰ μὴ Κάτων ἐνστὰς μόλις ἀφείλετο καὶ διήνεγκεν αὐτὸν ἐκ τοῦ στρατοπέδου. κατασχὼν δ' εἰς Βρεντέσιον, ἐνταῦθα διέτριβε, Καίσαρα περιμένων βραδύνοντα διὰ τὰς ἐν Ἀσίᾳ καὶ περὶ Αἴγυπτον ἀσχολίας. ἐπεὶ δ' εἰς Τάραντα καθωρμισμένος ἀπηγγέλλετο, καὶ πεζῇ περιϊὼν ἐκεῖθεν εἰς Βρεντέσιον, ὥρμησε πρὸς αὐτὸν, οὐ πάνυ μὲν ὢν δύσελπις, αἰδούμενος δὲ, πολλῶν παρόντων, ἀνδρὸς ἐχθροῦ καὶ κρατοῦντος λαμ-

39. At enim secundum proelium Pharsalicum, cui valetudinis causa non interfuit, ut fugit Pompeius, Cato, qui magnas copias et classem habebat Dyrrachii, contendit, ut exercitui Cicero cum imperio praeesset: ita conveniens legibus esse, quod dignitate consulari praecelleret. Cicero, quia repudiaret imperium, planeque detrectaret eorum arma sequi, paene fuit interemtus, Pompeio adolescente eiusque amicis proditorem eum vocantibus et gladios distringentibus, ni obstitisset Cato, qui aegre eripuit eum et castris eduxit. Vt appulit Brundusium, substitit ibi, Caesarem propter occupationes in Asia et Aegypto morantem opperiens. Vbi applicuisse allatum eum est Tarentum, atque illinc pedestri itinere progredi Brundusium, perrexit ad eum, non quidem admodum diffidens, vere-

θάνειν πεῖραν. οὐ μὴν ἐδέησεν αὐτῷ πρᾶξαί τι παρ' ἀξίαν, ἢ εἰπεῖν. ὁ γὰρ Καῖσαρ, ὡς εἶδεν αὐτὸν πολὺ πρὸ τῶν ἄλλων ἀπαντῶντα, κατέβη καὶ ἠσπάσατο, καὶ διαλεγόμενος μόνῳ συχνῶν σταδίων ὁδὸν προῆλθεν. ἐκ δὲ τούτου διετέλει τιμῶν καὶ φιλοφρονούμενος, ὥστε καὶ γράψαντι λόγον ἐγκώμιον Κάτωνος ἀντιγράφων, τόν τε λόγον αὐτοῦ καὶ τὸν βίον, ὡς μαλιστα τῷ Περικλέους ἐοικότα καὶ Θηραμένους, ἐπαινεῖν. ὁ μὲν οὖν Κικέρωνος λόγος, Κάτων, ὁ δὲ Καίσαρος; Αντικάτων ἐπιγέγραπται. λέγεται δὲ καὶ, Κοΐντου Λιγαρίου δίκην φεύγοντος, ὅτι τῶν Καίσαρος πολεμίων εἷς ἐγεγόνει, καὶ Κικέρωνος αὐτῷ βοηθοῦντος, εἰπεῖν τὸν Καίσαρα πρὸς τοὺς φίλους· Τί κωλύει διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος, ἐπεὶ παλαι κέκριται πονηρὸς ἀνὴρ καὶ πολέμιος; ἐπεὶ δ' ἀρξάμενος λέγειν ὁ Κικέρων, ὑπερφυῶς ἐκίνει, καὶ προὔβαινεν αὐτῷ πάθει τε ποικίλος καὶ χάριτι θαυμαστὸς ὁ

cundans tamen, multis praesentibus, inimici animum et victoris experiri. Atqui nihil fuit opus ei vel facere, vel dicere, praeter dignitatem suam. Vt enim longe prae ceteris conspexit Caesar occurrentem, ad pedes digressus salutavit eum, multorumque viam stadiorum cum solo sermocinans processit. Deinceps etiam eum perpetuo et coluit et humanitate sua complexus est, ut, quum scripsit in laudem Catonis Cicero orationem, ipse ex adverso scribens dictionem eius et vitam, sicut Periclis germanissimam et Theramenis extolleret. Oratio Ciceronis, Cato: Caesaris, Anticato titulum habet. Perhibent, quum accusaretur Ligarius, quod hostis Caesaris fuisset, defendente reum Cicerone, dixisse ad amicos Caesarem: Quid obstat, quin Ciceronem tanto intervallo audiamus dicentem, quando istum quidem

λόγος, πολλὰς μὲν ἱέναι χρόας ἐπὶ τοῦ προσώπου τὸν Καίσαρα, πάσας δὲ ψυχῆς τρεπόμενον τροπὰς κατάδηλον εἶναι. τέλος δὲ τῶν κατὰ Φάρσαλον ἀψαμένου τοῦ ῥήτορος ἀγώνων, ἐκπαθῆ γενόμενον, τιναχθῆναι τῷ σώματι, καὶ τῆς χειρὸς ἐκβαλεῖν ἔνια τῶν γραμματίων. τὸν γοῦν ἄνθρωπον ἀπέλυσι τῆς αἰτίας βεβιασμένος.

40. Ἐκ τούτου Κικέρων, εἰς μοναρχίαν τῆς πολιτείας μετεστώσης, ἀφέμενος τοῦ τὰ κοινὰ πράττειν, ἐσχόλαζε τοῖς βουλομένοις φιλοσοφεῖν τῶν νέων, καὶ σχεδὸν ἐκ τῆς πρὸς τούτους συνηθείας, εὐγενεστάτους καὶ πρώτους ὄντας, αὖθις ἴσχυεν ἐν τῇ πόλει μέγιστον. αὐτῷ δ' ἔργον μὲν ἦν τὸ τοὺς φιλοσόφους συντελεῖν διαλόγους καὶ μεταφράζειν, καὶ τῶν διαλεκτικῶν, ἢ φυσικῶν, ὀνομάτων ἕκαστον εἰς Ῥωμαϊκὴν

iamdudum constat improbum hominem et hostem nostrum esse? Postea vero, quam Cicero dicere orsus mirifice eum movit, variisque affectibus et mira gratia eius progressa est oratio, colorem identidem Caesaris faciem variasse, perspicuumque fuisse omnibus, eum animi motibus versatum. Denique, ubi pugnam Pharsalicam orator attigit, fuisse usque adeo permotum, ut toto corpore tremuerit, ac libelli aliquot, quos tenebat manibus, ei exciderint. Ligarium igitur expugnatus crimine absolvit.

40. Hinc Cicero, conversa in regnum republica, reduxit se a publicis actionibus, ac studiosis philosophiae iuvenibus vacavit. Quorum ex consuetudine (erant enim nobilissimi et primi) potentiam paravit denuo in civitate prope summam. Industriam suam ponebat in dialogis conscribendis philosophicis, aliisque interpretandis, et verbis quibusque dialecticis, aut physicis,

μεταβάλλειν διάλεκτον. ἐκεῖνος γάρ ἐστιν, ὥς φασιν, ὁ καὶ τὴν φαντασίαν, καὶ τὴν συγκατάθεσιν, καὶ τὴν ἐποχὴν, καὶ τὴν κατάληψιν, ἔτι δὲ τὸ ἄτομον, τὸ ἀμερὲς, τὸ κενὸν, ἄλλα τε πολλὰ τῶν τοιούτων, ἐξονομάσας πρῶτος, ἢ μάλιστα Ῥωμαίοις, τὰ μὲν μεταφοραῖς, τὰ δ᾽ οἰκειότησιν ἄλλαις γνώριμα καὶ προσήγορα μηχανησάμενος. τῇ δὲ πρὸς τὴν ποίησιν εὐκολίᾳ παίζων ἐχρῆτο. λέγεται γὰρ, ὁπηνίκα ῥυείη πρὸς τὸ τοιοῦτον, τῆς νυκτὸς ἔπη ποιεῖν πεντακόσια. τὸ μὲν οὖν πλεῖστον τοῦ χρόνου τούτου περὶ Τοῦσκλον ἐν χωρίοις αὐτοῦ διάγων, ἔγραφε πρὸς τοὺς φίλους, Λαέρτου βίον ζῆν, εἴτε παίζων, ὡς ἔθος εἶχεν, εἴθ᾽ ὑπὸ φιλοτιμίας σπαργῶν πρὸς τὴν πολιτείαν, καὶ ἀθυμῶν τοῖς καθεστῶσι. σπανίως δ᾽ εἰς ἄστυ θεραπείας ἕνεκα τοῦ Καίσαρος κατῄει, καὶ πρῶτος ἦν τῶν συναγορευόντων ταῖς τιμαῖς, καὶ λέγειν ἀεί τι καινὸν εἰς τὸν ἄνδρα καὶ τὰ πραττόμενα φιλοτιμουμένων. οἷόν ἐστι καὶ τὸ περὶ τῶν

in romanam convertendis linguam. Ille est enim, uti ferunt, qui visionem, assensum, assensionis retentionem, comprehensionem, ad haec corpuscula individua, simplex corpus, vacuum, multaque eiuscemodi alia, vel primus, vel prae ceteris, romano nomine donavit, eaque partim translationibus, partim proprietate alia, in notitiam et appellationem adduxit. Dexteritate in versibus condendis animi gratia utebatur. Dicitur, quum ad id ferretur, carmina facere una nocte quingenta solitus. Tempus hoc paene totum in Tusculano suo transigens, Laërtis se vitam scripsit amicis agere, sive ioco pro more suo, sive prae ambitione ad rempublicam gestiens, et statum pertaesus praesentem. Raro ad urbem, idque salutandi causa Caesaris, commeabat, princepsque erat inter eos, qui Caesaris honoribus suf-

Πομπηΐου λεχθὲν εἰκόνων, ἃς ἀνηρημένας καὶ καταβεβλημένας ὁ Καῖσαρ ἐκέλευσεν ἀνασταθῆναι· καὶ ἀνεστάθησαν. ἔφη γὰρ ὁ Κικέρων, ὅτι ταύτῃ τῇ φιλανθρωπίᾳ Καῖσαρ τοὺς μὲν Πομπηΐου ἵστησι, τοὺς δ' αὑτοῦ πήγνυσιν ἀνδριάντας.

41. Διανοούμενος δ', ὡς λέγεται, τὴν πάτριον ἱστορίαν γραφῇ περιλαβεῖν, καὶ πολλὰ συμμίξαι τῶν Ἑλληνικῶν, καὶ ὅλους τοὺς εἰρημένους λόγους αὐτῶν καὶ μύθους ἐνταῦθα γράψαι, πολλοῖς μὲν δημοσίοις, πολλοῖς δ' ἰδίοις κατελήφθη πράγμασιν ἀβουλήτοις καὶ πάθεσιν, ὧν αὐθαίρετα δοκεῖ τὰ πλεῖστα συμβῆναι. πρῶτον μὲν γὰρ ἀπεπέμψατο τὴν γυναῖκα, Τερεντίαν, ἀμεληθεὶς ὑπ' αὐτῆς παρὰ τὸν πόλεμον, ὥστε καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐφοδίων ἐνδεὴς ἀποσταλῆναι, καὶ μηδ', ὅτε κατῆρεν αὖθις εἰς Ἰταλίαν, τυχεῖν εὐγνώμονος. αὕτη μὲν γὰρ οὐκ ἦλθεν, ἐν Βρεντεσίῳ διατρίβοντος αὐτοῦ πολὺν χρόνον· ἐρχομένῃ δὲ τῇ θυγατρὶ, παιδίσκῃ νέᾳ, τοσαύτην ὁδὸν, οὐ

fragarentur, ac semper novas laudes in illum illiusque facta elaborabat adferre. Vt est, quod de Pompeii statuis dixit, quas eversas et deiectas iussit Caesar reponi, et restitutae fuerunt. Ait enim Cicero, ea humanitate Caesarem, dum Pompeii statuas erigit, suas stabilire.

41. Instituerat, uti fama est, patriam historiam conscribere, et Graecorum multa intexere, simulque complecti integras eorum narrationes et fabulas: at multis publicis, privatis item multis distractus est occupationibus et motibus adversis, quae sibimet ipsum apparet fere accersivisse. Primum uxorem repudiavit, Terentiam, quod neglectus in bello fuisset ab ea, ut dimitteretur sine necessario viatico, et quum recepisset se in Italiam, parum benevola usus. Nam nec Brundusii eum, quum diu illic haereret, invisit: neque

πομπὴν πρέπουσαν, οὐ χορηγίαν παρέσχεν, ἀλλὰ καὶ τὴν οἰκίαν τῷ Κικέρωνι πάντων ἔρημον καὶ κενὴν ἀπέδειξεν ἐπὶ πολλοῖς ὀφλήμασι καὶ μεγάλοις. αὗται γάρ εἰσιν αἱ λεγόμεναι τῆς διαστάσεως εὐπρεπέσταται προφάσεις. τῇ δὲ Τερεντίᾳ καὶ ταύτας ἀρνουμένῃ λαμπρὰν ἐποίησε τὴν ἀπολογίαν αὐτὸς ἐκεῖνος, μετ' οὐ πολὺν χρόνον γήμας παρθένον, ὡς μὲν ἡ Τερεντία κατεφήμιζεν, ἔρωτι τῆς ὥρας, ὡς δὲ Τύρων, ὁ τοῦ Κικέρωνος ἀπελεύθερος, γέγραφεν, εὐπορίας ἕνεκεν πρὸς διάλυσιν δανείων. ἦν γὰρ ἡ παῖς σφόδρα πλουσία, καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῆς ὁ Κικέρων ἐν πίστει κληρονόμος ἀπολειφθεὶς διεφύλαττεν. ὀφείλων δὲ πολλὰς μυριάδας, ὑπὸ τῶν φίλων καὶ οἰκείων ἐπείσθη τὴν παῖδα γῆμαι παρ' ἡλικίαν, καὶ τοὺς δανειστὰς ἀπαλλάξαι, τοῖς ἐκείνης χρησάμενον. Ἀντώνιος δὲ, τοῦ γάμου μνησθεὶς ἐν ταῖς πρὸς τοὺς Φιλιππικοὺς ἀντιγρα-

proficiscenti eo filiae adolescentulae comitatum, aut viaticum, praebuit tam longo itineri honestum. Immo vero domum Ciceroni desolatam et plane inanem reddidit, multoque oppressam et gravi aere alieno. Hae causae praetexuntur speciosissimae divortii. Terentiae vero, quae vel has ivit inficias, defensionem ille ipse egregiam praebuit, quod mox virginem duxerit, ut exprobravit ei Terentia, forma illius captus: ut Tyro memoriae prodidit, Ciceronis libertus, quo illius facultatibus dissolveret creditum. Nam fuit puella locuples admodum, cuius patrimonium administravit Cicero, haeres fiduciarius institutus. Quod vero esset supra modum obaeratus, amici et necessarii induxerunt eum, ut praeter aetatem duceret hanc puellam, dimitteretque eius pecunia creditores. Antonius in orationibus, quas contra Philippicas scripsit, ubi mentionem facit

φαῖς, ἐκβαλεῖν αὐτόν φησι γυναῖκα, παρ' ᾗ ἐγήρασε. χαριέντως ἅμα τὴν οἰκουρίαν ὡς ἀπράκτου καὶ ἀστρατεύτου παρασκώπτων τοῦ Κικέρωνος. γήμαντι δ' αὐτῷ μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἡ θυγάτηρ ἀπέθανε τίκτουσα παρὰ Λέντλῳ. τούτῳ γὰρ ἐγαμήθη μετὰ τὴν Πείσωνος, τοῦ προτέρου ἀνδρὸς, τελευτήν. καὶ συνῆλθον μὲν ἐπὶ τὴν παραμυθίαν τῷ Κικέρωνι πανταχόθεν οἱ φιλόσοφοι· βαρέως δ' ἄγαν ἤνεγκε τὸ συμβεβηκὸς, ὥστε καὶ τὴν γαμηθεῖσαν ἀποπέμψασθαι δόξασαν ἡσθῆναι τῇ τελευτῇ τῆς Τυλλίας.

42. Τὰ μὲν οὖν κατ' οἶκον οὕτως εἶχε τῷ Κικέρωνι. τῆς δ' ἐπὶ Καίσαρα συνισταμένης πράξεως οὐ μετέσχε, καίπερ ὢν ἑταῖρος ἐν τοῖς μαλιστα Βρούτου, καὶ βαρύνεσθαι τὰ παρόντα καὶ τὰ παλαι ποθεῖν πράγματα δοκῶν, ὡς ἕτερος οὐδείς. ἀλλ' ἔδεισαν οἱ ἄνδρες αὐτοῦ τήν τε φύσιν, ὡς ἐνδεᾶ τόλμης, τόν τε χρόνον, ἐν ᾧ καὶ ταῖς ἐῤῥωμενεστάταις φύ-

harum nuptiarum, uxorem eum memorat, apud quam consenuerat, eiecisse, simul festive domi residem, ut ignavum et imbellem, notans. Non diu sub has nuptias filia eius apud Lentulum decessit ex partu: huic enim, priore defuncto viro, Pisone, nuptum data fuerat. Ad Ciceronem consolandum undique concurrerunt philosophi: nam hunc casum tulit acerbissime, ut etiam novam nuptam, quod morte Tulliae videretur exsultasse, repudiarit.

42. Ac domi quidem ad hunc modum Ciceronis res habebant. Conspirationis in Caesarem, quamvis summa esset familiaritate cum Bruto coniunctus, et praesentem rerum statum inique ferre, pristinamque expetere rempublicam, ut nullus alius, existimaretur, non fuit consors. Metuerunt scilicet illi cum eius natu-

σεσιν ἐπιλείπει τὸ θαῤῥεῖν. ὡς δ' οὖν ἐπέπρακτο τοῖς περὶ Βροῦτον καὶ Κάσσιον τὸ ἔργον, καὶ τῶν Καίσαρος φίλων συνισταμένων, αὖθις ἦν δέος ἐμφυλίοις πολέμοις περιπετῆ γενέσθαι τὴν πόλιν. Αντώνιος μὲν ὑπατεύων τὴν βουλὴν συνήγαγε, καὶ βραχέα διελέχθη περὶ ὁμονοίας, Κικέρων δὲ πολλὰ πρὸς τὸν καιρὸν οἰκείως διελθὼν, ἔπεισε τὴν σύγκλητον, Αθηναίους μιμησαμένην, ἀμνηστίαν τῶν ἐπὶ Καίσαρι ψηφίσασθαι, νεῖμαι δὲ τοῖς περὶ Κάσσιον καὶ Βροῦτον ἐπαρχίας. ἔσχε δὲ τούτων τέλος οὐδέν. ὁ γὰρ δῆμος, αὐτὸς μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ πρὸς οἶκτον ἐξαχθεὶς, ὡς εἶδε τὸν νεκρὸν ἐκκομιζόμενον δι' ἀγορᾶς, Αντωνίου δὲ καὶ τὴν ἐσθῆτα δείξαντος αὐτοῖς αἵματος κατάπλεων, καὶ κεκομμένην πάντη τοῖς ξίφεσιν, ἐκμανέντες ὑπ' ὀργῆς, ἐν ἀγορᾷ ζήτησιν ἐποιοῦντο τῶν ἀνδρῶν, καὶ πῦρ ἔχοντες ἐπὶ τὰς οἰκίας ἔθεον, ὡς

ram, ut parum animosam, tum aetatem, qua vel firmissima ingenia deficit audacia. Vt ergo perpetrarunt Brutus et Cassius hoc facinus, et, coitione Caesaris amicorum facta, periculum fuit, ne civili bello denuo implicaretur civitas: Antonius consul, convocato senatu, pauca de concordia disseruit, Cicero vero multa commemorans tempori accommodata, induxit patres, ut Atheniensium exemplo omnium sub Caesare actorum decernerent oblivionem, praeterea ut Cassio et Bruto provincias darent: sed nihil horum effectum habuit. Siquidem populus, sua sponte in commiserationem praeceps, ut efferri per forum cadaver Caesaris conspexit, Antonio inde vestem Caesaris ei ostendente oppletam cruore, et gladiis undique perfossam, ira furens investigavit in foro percussores, et cum ardentibus titionibus ad aedes eorum inflammandas concurrit.

ἀνάψοντες. οἱ δὲ τοῦτον μὲν τῷ προπεφυλάχθαι διέφυγον τὸν κίνδυνον, ἑτέρους δὲ πολλοὺς καὶ μεγάλους προσδοκῶντες, ἐξέλιπον τὴν πόλιν.

43. *Εὐθὺς οὖν ὁ Ἀντώνιος ἐπῆρτο, καὶ πᾶσι μὲν ἦν φοβερὸς, ὡς μοναρχήσων, τῷ δὲ Κικέρωνι φοβερώτατος, ἀναῤῥωννυμένην τε γὰρ αὐτῷ πάλιν ὁρῶν τὴν δύναμιν ἐν τῇ πολιτείᾳ, καὶ ταῖς περὶ Βροῦτον ἐπιτήδειον εἰδὼς, ἤχθετο παρόντι. καί που τι καὶ προϋπῆρχεν ὑποψίας αὐτοῖς πρὸς ἀλλήλους κατὰ τὴν τῶν βίων ἀνομοιότητα καὶ διαφοράν, ταῦτα δείσας ὁ Κικέρων, πρῶτον μὲν ὥρμησε πρεσβευτὴς Δολοβέλλᾳ συνεκπλεῦσαι εἰς Συρίαν. ἐπεὶ δ' οἱ μέλλοντες ὑπατεύειν μετ' Ἀντώνιον, Ἵρτιος καὶ Πάνσας, ἄνδρες ἀγαθοὶ καὶ ζηλωταὶ τοῦ Κικέρωνος, ἐδέοντο μὴ σφᾶς καταλιπεῖν, ὑποδεχόμενοι καταλύσειν Ἀντώνιον, ἐκείνου παρόντος· ὁ δ' οὔτ' ἀπιστῶν παντάπασιν, οὔτε πιστεύων, Δολοβέλλαν*

Verum illi, quod praecavissent, periculum hoc quidem declinavere: sed quia multa videbant et ingentia proposita alia, cesserunt urbe.

43. Hic vero Antonius extemplo sustulit animos, omnibusque fuit terrori, Ciceroni maxime. Nam crescere quum rursus opes eius cerneret in republica, sciens cupidum esse Bruti, praesentiam eius moleste ferebat. Et vero etiam ob utriusque dissimilitudinem et diversitatem morum suberat et ante materia nonnulla inter eos suspicionis. Haec metuens Cicero, statuit primum legatus in Syriam cum Dolobella proficisci. Verum quia consules designati, Hirtius et Pansa, egregii cives atque fautores Ciceronis, ne desereret se precabantur, pollicentes, Antonium se, ipso praesente, oppressuros: haerens Cicero inter spem et metum,

μὲν εἴασε χαίρειν, ὁμολογήσας δὲ τοῖς περὶ τὸν Ἵρτιον τὸ θέρος ἐν Ἀθήναις διάξειν, ὅταν δ' ἐκεῖνοι παραλάβωσι τὴν ἀρχὴν, ἀφίξεσθαι πάλιν, αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν ἐξέπλευσε. γενομένης δὲ περὶ τὸν πλοῦν διατριβῆς, καὶ λόγων ἀπὸ Ῥώμης, οἷα φιλεῖ, καινῶν προσπεσόντων, μεταβεβλῆσθαι μὲν Ἀντώνιον θαυμαστὴν μεταβολὴν, καὶ πάντα πράττειν καὶ πολιτεύεσθαι πρὸς τὴν σύγκλητον, ἐνδεῖν δὲ τῆς ἐκείνου παρουσίας τὰ πράγματα, μὴ τὴν ἀρίστην ἔχειν διάθεσιν. καταμεμψάμενος αὐτὸς αὑτοῦ τὴν πολλὴν εὐλάβειαν, ἀνέστρεφεν αὖθις εἰς Ῥώμην. καὶ τῶν πρώτων οὐ διημάρτανεν ἐλπίδων· τοσοῦτον πλῆθος πρὸς τὴν ἀπάντησιν ἐξεχύθη, καὶ σχεδὸν ἡμερήσιον ἀνήλωσαν χρόνον αἱ περὶ τὰς πύλας καὶ τὴν εἴσοδον αὐτοῦ δεξιώσεις καὶ φιλοφροσύναι. τῇ δ' ὑστεραίᾳ βουλὴν συναγαγόντος Ἀντωνίου, καὶ καλοῦντος αὐτὸν, οὐκ ἦλθεν, ἀλλὰ κατέκειτο, μαλακῶς ἔχειν ἐκ τοῦ κόπου σκηπτόμενος. ἐδόκει

Dolobellam missum fecit, Hirtio aestatem se Athenis acturum, atque ubi magistratum ille inisset, recepit recursurum. Ita solus navigavit. Mora in navigatione intercedente, quum recens Roma, ut solet, nuntiatum esset, plane immutatum esse Antonium, omniaque agere et instituere ex senatus auctoritate, neque deesse quidquam ad rempublicam optime constituendam, nisi ipsius praesentiam: reprehendens ipse metum anxium suum, repetit urbem. Neque vero prima eum spes fefellit. Adeo frequentes ei obviam effusi sunt, salutationesque et amplexus ad portam et ingressum eius prope integrum diem consumsere. Postridie senatum habente Antonio, et ipsum accersente, non venit in senatum, sed decubuit, languere se ex via causans. Apparebat revera, formidinem subesse insidiarum ex

δὲ τἀληθὲς ἐπιβουλῆς εἶναι φόβος, ἔκ τινος ὑποψίας καὶ μηνύσεως καθ' ὁδὸν αὐτῷ προσπεσούσης. Αντώνιος δὲ χαλεπῶς μὲν εἶχεν ἐπὶ τῇ διαβολῇ, καὶ στρατιώτας ἔπεμψεν ἄγειν αὐτὸν, ἢ καταπρῆσαι τὴν οἰκίαν κελεύσας· ἐνστάντων δὲ πολλῶν καὶ δεηθέντων, ἐνέχυρα λαβὼν μόνον, ἐπαύσατο. καὶ τὸ λοιπὸν οὕτως ἀντιπαρεξίοντες ἀτρέμα καὶ φυλαττόμενοι διετέλουν. ἄχρις οὗ Καῖσαρ ὁ νέος ἐξ Απολλωνίας παραγενόμενος, τόν τε κλῆρον ἀνεδέξατο τοῦ Καίσαρος ἐκείνου, καὶ περὶ τῶν δισχιλίων πεντακοσίων μυριάδων, ἃς Αντώνιος ἐκ τῆς οὐσίας κατεῖχεν, εἰς διαφορὰν κατέστη πρὸς αὐτόν.

44. Εκ δὲ τούτου Φίλιππος, ὁ τὴν μητέρα τοῦ νέου Καίσαρος ἔχων, καὶ Μάρκελλος, ὁ τὴν ἀδελφὴν, ἀφικόμενοι μετὰ τοῦ νεανίσκου πρὸς τὸν Κικέρωνα, συνέθεντο, Κικέρωνα μὲν ἐκείνῳ τὴν ἀπὸ τοῦ λόγου καὶ τῆς πολιτείας δύναμιν ἔν τε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ παρέχειν, ἐκεῖνον

suspicione quadam et delato in itinere ad eum indicio. At Antonius tulit acerbe eam calumniam, ac militibus missis, imperare intendit, ut adducerent eum, aut inflammarent domum. Sed quum intercederent frequentes deprecarenturque, pignoribus tantummodo captis, quievit. Deinceps quum inter se occurrerent, praeteribant sine salutatione, et mutua in suspicione agebant, donec Caesar Octavius, Apollonia veniens, dictatoris haereditatem Caesaris cerneret, ambigeretque cum Antonio de millies HS. quod ex haereditate Caesaris detinebat Antonius.

44. Inde Philippus, qui matrem adolescentis in matrimonio habebat, ac, qui sororem, Marcellus, adducentes eum ad Ciceronem pepigerunt, ut illi Cicero eloquentiae praesidio et urbanis opibus in senatu et ad

δὲ Κικέρωνι τὴν ἀπὸ τῶν χρημάτων καὶ τῶν ὅπλων ἀσφάλειαν. ἤδη γὰρ οὐκ ὀλίγους τῶν ὑπὸ Καίσαρι στρατευσαμένων περὶ αὐτὸν εἶχε τὸ μειράκιον. ἐδόκει δὲ καὶ ἀναδέξασθαι προθύμως τὴν Καίσαρος φιλίαν. ἔτι γὰρ, ὡς ἔοικε, Πομπηΐου ζῶντος καὶ Καίσαρος, ἔδοξε κατὰ τοὺς ὕπνους ὁ Κικέρων καλεῖν τινα τοὺς τῶν συγκλητικῶν παῖδας εἰς τὸ Καπιτώλιον, ὡς μέλλοντος ἐξ αὐτῶν ἕνα τοῦ Διὸς ἀποδεικνύειν τῆς Ῥώμης ἡγεμόνα. τοὺς δὲ πολίτας ὑπὸ σπουδῆς θέοντας ἵστασθαι περὶ τὸν νεών· καὶ τοὺς παῖδας ἐν τοῖς περιπορφύροις καθέζεσθαι σιωπὴν ἔχοντας. ἐξαίφνης δὲ τῶν θυρῶν ἀνοιχθεισῶν, καθ' ἕνα τῶν παίδων ἀνιστάμενον, κύκλῳ παρὰ τὸν θεὸν παραπορεύεσθαι. τὸν δὲ πάντας ἐπισκοπεῖν καὶ ἀποπέμπειν ἀχθομένους. ὡς δ' οὗτος ἦν προσιὼν κατ' αὐτὸν, ἐκτεῖναι τὴν δεξιὰν, καὶ εἰπεῖν· Ω Ῥωμαῖοι, πέρας ὑμῖν ἐμφυλίων πολέμων οὗτος ἡγεμὼν γενόμενος. τοιοῦτόν φασιν ἐνύπνιον

populum praesto esset, ille Ciceroni pecunia et armorum propugnaculo. Iam enim manum non contemnendam habebat secum adolescens veteranorum Caesaris. Et sane apparuit, eum cupide Caesaris amicitiam amplecti. Siquidem, Pompeio et Caesare adhuc incolumibus, somnium fuit Ciceroni, accire se in Capitolium nonnullos senatorum filios, ex quibus Iupiter unum designaturus Romanum principem esset: cuius studio contemplandi cives templum cinxisse, pueros praetextatos consedisse tacitos: hinc foribus subito patefactis, singulos ordine exsurrexisse pueros, et in orbem deum praeterisse: deum omnes, ut consideravit eos, remisisse tristes: ubi vero hic accessit, dextram porrexisse ad eum cum hisce verbis: Bellis civilibus hic, Quirites, quum erit principatum adeptus, imponet finem. Ex

ἰδόντα τὸν Κικέρωνα, τὴν μὲν ἰδέαν τοῦ παιδὸς ἐκμεμάχθαι καὶ κατέχειν ἐναργῶς, αὐτὸν δ' οὐκ ἐπίστασθαι. μεθ' ἡμέραν δὲ καταβαίνοντος εἰς τὸ πεδίον τὸ Ἄρειον αὐτοῦ, τοὺς παῖδας ἤδη γεγυμνασμένους ἀπέρχεσθαι, κἀκεῖνον ὀφθῆναι τῷ Κικέρωνι πρῶτον, οἷος ὤφθη καθ' ὕπνον· ἐκπλαγέντα δὲ, πυνθάνεσθαι, τίνων εἴη γονέων. ἦν δὲ πατρὸς Ὀκταουΐου τῶν οὐκ ἄγαν ἐπιφανῶν, Ἀττίας δὲ μητρὸς, ἀδελφιδῆς Καίσαρος, ὅθεν Καῖσαρ αὐτῷ, παῖδας οὐκ ἔχων ἰδίους, τὴν οὐσίαν ἑαυτοῦ καὶ τὸν οἶκον ἐν ταῖς διαθήκαις ἔδωκεν. ἐκ τούτου φασὶ τὸν Κικέρωνα τῷ παιδὶ κατὰ τὰς ἀπαντήσεις ἐντυγχάνειν ἐπιμελῶς, κἀκεῖνον οἰκείως δέχεσθαι τὰς φιλοφροσύνας. καὶ γὰρ ἐκ τύχης αὐτῷ γεγονέναι συμβεβήκει, Κικέρωνος ὑπατεύοντος.

45. Αὗται μὲν οὖν προφάσεις ἦσαν αἱ λεγόμεναι. τὸ

hac oblata in somnio visione Ciceronem ferunt clare pueri effigiem animo impressisse et mente complexum esse, neque, qui esset, cognovisse tamen. Postero die, quum in campum Martium descenderet Cicero, pueros ab exercitatione rediisse, Ciceronique primum illum visum, qualis ei obversatus fuerat per somnium: obstupefactum, qui parentes eius essent, rogasse. Filius fuit Octavii, viri non perinde clari, et Attiae, sororis Caesaris. Qua de causa orbus liberis Caesar haeredem eum testamento scripsit et in familiam adoptavit. Ciceronem deinceps, siquando in puerum incideret, studiose eum salutasse, illique fuisse eam comitatem iucundam: forte fortuna namque acciderat, ut nasceretur, consule Cicerone.

45. Hae ferebantur vulgo causae: at odium pri-

δὲ πρὸς Ἀντώνιον μῖσος Κικέρωνα πρῶτον, εἶτα ἡ φύσις, ἥττων οὖσα τῆς τιμῆς, προσεποίησε Καίσαρι, νομίζοντα προσλαμβάνειν τῇ πολιτείᾳ τὴν ἐκείνου δύναμιν. οὕτω γὰρ ὑπῄει πρὸς τὸ μειράκιον αὐτὸν, ὥστε καὶ πατέρα προσαγορεύειν. ἐφ' ᾧ σφόδρα Βροῦτος ἀγανακτῶν, ἐν ταῖς πρὸς Ἀττικὸν ἐπιστολαῖς καθήψατο τοῦ Κικέρωνος, ὅτι διὰ φόβον Ἀντωνίου, θεραπεύων Καίσαρα, δῆλός ἐστιν οὐκ ἐλευθερίαν τῇ πατρίδι πράττων, ἀλλὰ δεσπότην φιλάνθρωπον αὐτῷ μνώμενος. οὐ μὴν ἀλλὰ τόν γε παῖδα τοῦ Κικέρωνος ὁ Βροῦτος, ἐν Ἀθήναις διατρίβοντα παρὰ τοῖς φιλοσόφοις, ἀναλαβὼν, ἔσχεν ἐφ' ἡγεμονίας, καὶ πολλὰ χρώμενος αὐτῷ κατώρθου. τοῦ δὲ Κικέρωνος ἀκμὴν ἔσχεν ἡ δύναμις ἐν τῇ πόλει τότε μεγίστην, καὶ κρατῶν, ὅσων ἐβούλετο, τὸν μὲν Ἀντώνιον ἐξέκρουσε καὶ κατεστασίασε, καὶ πολεμήσοντας αὐτῷ τοὺς δύο ὑπάτους, Ἵρτιον καὶ Πάνσαν, ἐξέπεμψε· Καίσαρι δὲ ῥαβ-

mum Antonii, deinde natura hominis, plus satis avida laudis, conglutinavit Ciceronem Caesari, sperantem, coniungere reipublicae illius vires.' Vsque adeo enim subiit eum adolescens, patrem ut appellaret. Quare stomachans maiorem in modum in epistolis, quas ad Atticum scripsit, Brutus, Ciceronem reprehendit, quod metu Antonii observans Caesarem, demonstraret, non patriae se libertatem, sed dominum magis propitium sibi quaerere. Brutus tamen filium Ciceronis, qui audiebat Athenis philosophos, duxit secum, deditque ei praefecturam, cuius opera multa ex sententia gessit. Fuit Ciceronis ea tempestate potentia Romae maxima: et quum omnia efficeret, quae vellet, Antonium factione oppressit et expulit urbe. Insuper duos consules, qui bello eum persequerentur, Hirtium et Pansam,

δούχους καὶ στρατηγικὸν κόσμον, ὡς δὴ προπολεμοῦντι τῆς πατρίδος, ἔπεισε ψηφίσασθαι τὴν σύγκλητον. ἐπεὶ δ' Αντώνιος μὲν ἥττητο, τῶν δ' ὑπάτων ἀμφοτέρων ἀποθανόντων, ἐκ τῆς μάχης πρὸς Καίσαρα συνέστησαν αἱ δυνάμεις, δείσασα ἡ βουλὴ νέον ἄνδρα, καὶ τύχῃ λαμπρᾷ κεχρημένον, ἐπειρᾶτο τιμαῖς καὶ δωρεαῖς ἀποκαλεῖν αὐτοῦ τὰ στρατεύματα, καὶ περισπᾶν αὐτοῦ τὴν δύναμιν, ὡς μὴ δεομένη τῶν προπολεμούντων, Αντωνίου πεφευγότος. οὕτως ὁ Καῖσαρ φοβηθεὶς, ὑπέπεμπε τῷ Κικέρωνι τοὺς δεομένους καὶ πείθοντας ὑπατείαν μὲν ἀμφοτέροις ὁμοῦ πράττειν, χρῆσθαι δὲ τοῖς πράγμασιν, ὅπως αὐτὸς ἔγνωκε, παραλαμβάνοντα τὴν ἀρχὴν, καὶ τὸ μειράκιον διοικεῖν ὀνόματος καὶ δόξης γλιχόμενον. ὡμολόγει δὲ καὶ Καῖσαρ αὐτὸς, ὡς δεδιὼς κατάλυσιν, καὶ κινδυνεύων ἔρημος γενέσθαι, χρήσαιτο τῇ Κικέρωνος ἐν δέοντι φιλαρ-

misit. Induxit etiam senatum, ut lictores Caesari, velut pro patria propugnanti, et praetoriam dignitatem decerneret. Postquam vero fusus fugatusque est Antonius, exercitus autem consulum, quum ambo ex proelio occubuissent, coniunxerunt se Caesari, quod timeret senatus iuvenem et insigni nixum fortuna, moliebatur honoribus et praemiis avocare ab eo legiones, viresque eius distrahere, simulans, quia fugatus esset Antonius, non opus esse ad defensionem reipublicae exercitibus. Unde territus Caesar, misit clam certos ad Ciceronem, qui eum rogarent et inducerent ad consulatum utrique simul parandum, ipse omnibus rebus in magistratu moderaretur pro arbitrio, et adolescentem regeret nominis tantum et gloriae avidum. Fassus ipse est Caesar, quum formidaret ruinam, et desertum iri se, consilium in tempore a Ciceronis se ambitione mutuatum fuisse,

χίᾳ προτρεψάμενος αὐτὸν ὑπατείαν μετιέναι, συμπράττοντος αὐτοῦ καὶ συναρχαιρεσιάζοντος.

46. Ενταῦθα μέντοι μαλιστα Κικέρων ἐπαρθεὶς ὑπὸ νέου γέρων, καὶ φενακισθεὶς, καὶ συναρχαιρεσιάσας, καὶ παρασχὼν αὐτῷ τὴν σύγκλητον, εὐθὺς μὲν ὑπὸ τῶν φίλων αἰτίαν εἶχεν, ὀλίγῳ δ' ὕστερον αὐτὸν ἀπολωλεκὼς ᾔσθετο, καὶ τοῦ δήμου προϊέμενος τὴν ἐλευθερίαν. αὐξηθεὶς γὰρ ὁ νεανίας, καὶ τὴν ὑπατείαν λαβὼν, Κικέρωνος μὲν εἴασε χαίρειν, Αντωνίῳ δὲ καὶ Λεπίδῳ φίλος γενόμενος, καὶ τὴν δύναμιν εἰς ταὐτὸ συνενεγκὼν, ὥσπερ ἄλλο τι κτῆμα τὴν ἡγεμονίαν ἐνείματο πρὸς αὐτούς. καὶ κατεγράφησαν ἄνδρες, οὓς ἔδει θνήσκειν, ὑπὲρ διακοσίους. πλείστην δὲ τῶν ἀμφισβητημάτων αὐτοῖς ἔριν ἡ Κικέρωνος προγραφὴ παρέσχεν. Αντωνίου μὲν ἀσυμβάτως ἔχοντος, εἰ μὴ πρῶτος ἐκεῖνος ἀποθνήσκοι· Λεπίδου δ' Αντωνίῳ προστιθεμένου, Καίσαρος δὲ πρὸς ἀμφοτέρους ἀν-

atque adhortatum eum, ut subsidio opum suarum et gratia peteret consulatum.

46. Ita a iuvene Cicero impulsus atque illusus, quod petenti consulatum suffragatus esset, senatumque ei adiunxisset, statim apud amicos male audivit, nec multo post sensit, semetipsum perdidisse, et populi prodidisse libertatem. Quippe evectus adolescens consulari dignitate, Ciceroni salutem dixit, Antonioque et Lepido conciliatus coniunxit cum iis copias, imperiumque instar praedii alicuius inter eos est partitus. Proscripserunt plus ducentos morti destinatos. Maximam inter omnes contentiones praebuit iis disceptationem Ciceronis proscriptio. Nullam enim conciliationem recipiebat Antonius, nisi interficeretur ante omnes Cicero. Antonio assentiebatur Lepidus: Caesar utrique relucta-

τέχοντος. ἐγίνοντο δ᾽ αἱ σύνοδοι μόνοις ἀπόῤῥητοι περὶ πόλιν Βονωνίαν ἐφ᾽ ἡμέρας τρεῖς, καὶ συνῄεσαν εἰς τόπον τινὰ πρόσω τῶν στρατοπέδων ποταμῷ περιῤῥεόμενον. λέγεται δὲ τὰς πρώτας ἡμέρας διαγωνισάμενος ὑπὲρ τοῦ Κικέρωνος ὁ Καῖσαρ, ἐνδοῦναι τῇ τρίτῃ, καὶ προέσθαι τὸν ἄνδρα. τὰ δὲ τῆς ἀντιδόσεως οὕτως εἶχεν. ἔδει Κικέρωνος ἐκστῆναι Καίσαρα, Παύλου δὲ, τἀδελφοῦ, Λέπιδον, Λευκίου δὲ Καίσαρος Αντώνιον, ὃς ἦν θεῖος αὐτῷ πρὸς μητρός. οὕτως ἐξέπεσον ὑπὸ θυμοῦ καὶ λύσσης τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν, μᾶλλον δ᾽ ἀπέδειξαν, ὡς οὐδὲν ἀνθρώπου θηρίον ἐστὶν ἀγριώτερον, ἐξουσίαν πάθει προσλαβόντος.

47. Πραττομένων δὲ τούτων, ὁ Κικέρων ἦν μὲν ἐν ἀγροῖς ἰδίοις περὶ Τοῦσκλον, ἔχων τὸν ἀδελφὸν μεθ᾽ αὑτοῦ· πυθόμενοι δὲ τὰς προγραφὰς, ἔγνωσαν εἰς Αστυρα μεταβῆναι, χωρίον πάραλον τοῦ Κικέρωνος· ἐκεῖθεν δὲ πλεῖν εἰς Μακεδονίαν πρὸς Βροῦτον. Ηδη γὰρ ὑπὲρ αὐτοῦ λόγος ἐφοίτα

batur. Colloquuti soli sunt, remotis arbitris, tres dies iuxta urbem Bononiam. Locus, ubi convenerunt, procul a castris erat amne cinctus. Dicitur primis diebus Caesar decertasse pro Cicerone, tertio cessisse, et eum destituisse. Inierunt autem hanc commutationem: Caesar ex pacto cessit Cicerone, Lepidus fratre, Paulo, L. Caesare, avunculo, Antonius. Ita ira et rabies omnem iis humanam excussit mentem: immo docuerunt, animal esse homine nullum saevius, si libidini habeat potentiam coniunctam.

47. Dum haec aguntur, erat Cicero cum fratre in Tusculano suo. Nuntiata proscriptione, statuerunt villam maritimam Ciceronis, Astyra, petere, illinc transmittere in Macedoniam ad Brutum: illum enim

κρατοῦντος. Εκομίζοντο δ' ἐν φορείοις, ἀπειρηκότες ὑπὸ λύπης· καὶ κατὰ τὴν ὁδὸν ἐφιστάμενοι, καὶ τὰ φορεῖα παραβαλόντες, ἀλλήλοις προσωλοφύροντο. Μᾶλλον δ' ὁ Κοΐντος ἠθύμει, καὶ λογισμὸς αὐτὸν εἰσῄει τῆς ἀπορίας· οὐδὲν γὰρ ἔφη λαβεῖν οἴκοθεν. Ἀλλὰ καὶ τῷ Κικέρωνι γλίσχρον ἦν ἐφόδιον. Αμεινον οὖν εἶναι, τὸν μὲν Κικέρωνα προλαμβάνειν τῇ φυγῇ, αὐτὸν δὲ μεταθεῖν, οἴκοθεν συσκευασάμενον. ταῦτ' ἔδοξε· καὶ περιβαλόντες ἀλλήλους καὶ ἀνακλαυσάμενοι διελύθησαν. Ὁ μὲν οὖν Κοΐντος οὐ πολλαῖς ὕστερον ἡμέραις ὑπὸ τῶν οἰκετῶν προδοθεὶς τοῖς ζητοῦσιν, ἀνῃρέθη μετὰ τοῦ παιδός. Ὁ δὲ Κικέρων εἰς Αστυρα κομισθεὶς, καὶ πλοῖον εὑρὼν, εὐθὺς ἐνέβη, καὶ παρέπλευσεν ἄχρι Κιρκαίου, πνεύματι χρώμενος. Εκεῖθεν δὲ βουλομένων εὐθὺς αἴρειν τῶν κυβερνητῶν, εἴτε δείσας τὴν θάλασσαν, εἴτ' οὔπω παντάπασι τὴν Καίσαρος

iam rumor erat praepollentem esse. Ferebantur lecticis moerore confecti, restitantesque in itinere, coniunctis inter se lecticis, misere lamentabantur. Gravius Quintus afflictabatur, quum cogitaret, omnium rerum inopia destitutum se: nihil enim domo secum attulerat. Immo Ciceroni quoque tenue erat viaticum. Consultius igitur visum, Ciceronem fugam ante capere, illum percurrere ad necessaria domo accipienda. Haec probaverunt. Ita se mutuo complexi et cum eiulatu digressi sunt. Quintus paucis post diebus cum filio, proditus a servis suis quum esset percussoribus, interemtus est: Cicero ad Astyra delatus, et navigium ibi nactus, illico conscendit, provectusque est secundo vento ad Circeios usque. Parantibus inde gubernatoribus extemplo vela facere, sive mare timens, sive nondum deposita omnino de Caesare spe, egressus de

ἀπεγνωκὼς πίστιν, ἀπέβη καὶ παρῆλθε πεζῇ σταδίους ἑκατὸν, ὡς εἰς Ῥώμην πορευόμενος. Αὖθις δ' ἀλύων καὶ μεταβαλλόμενος κατῄει πρὸς θάλασσαν. Κἀκεῖ διενυκτέρευσεν ἐπὶ δεινῶν καὶ ἀπόρων λογισμῶν· ὥστε καὶ παρελθεῖν εἰς τὴν Καίσαρος οἰκίαν διενοήθη κρύφα, καὶ σφάξας ἑαυτὸν ἐπὶ τῆς ἑστίας ἀλάστορα προσβαλεῖν. Αλλὰ καὶ ταύτης αὐτὸν ἀπέκρουσε τῆς ὁδοῦ δέος βασάνων. Καὶ τἆλλα ταραχώδη πάλιν προβουλεύματα τῆς γνώμης μεταλαμβάνων παρέδωκε τοῖς οἰκέταις ἑαυτὸν εἰς Καπίτας κατὰ πλοῦν κομίζειν, ἔχων ἐκεῖ χωρία καὶ καταφυγὴν ὥρᾳ θέρους φιλάνθρωπον, ὅταν ἥδιστον οἱ ἐτησίαι καταπνέωσιν. Εχεῖ δ' ὁ τόπος καὶ ναὸν Απόλλωνος μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης. Εντεῦθεν ἀρθέντες ἀθρόοι κόρακες, ὑπὸ κλαγγῆς προσεφέροντο τῷ πλοίῳ τοῦ Κικέρωνος ἐπὶ γῆν ἐρεσσομένῳ· καὶ καθίσαντες ἐπὶ τὴν κεραίαν ἑκατέρωθεν, οἱ

navi est, ac, quasi urbem peteret, progressus est pedestri itinere duodecim millia quingentos passus. Mox inopia consilii languescens, mutato instituto, mare repetiit. Noctem ibi in mentis agitationibus traduxit acerbis et perplexis. Statuit semel occulte domum Caesaris ingredi, atque, quo ultrices diras in eum concitaret, apud focum eius se ipse interficere. Sed et ab hoc itinere metus repulit eum tormentorum: alia subinde inquieta consilia animi versans, permisit servis ad Capuam se navigio deportandum. Habuit praedia ibi et villam aestivo tempore amoenam, quum gratissime spirant etesiae. Est etiam eo in loco haud procul a mari sacellum Apollinis. Hinc sublatum agmen corvorum magno crocitu ad Ciceronis navem, dum remis terrae appellitur, volavit: qui consederunt utrinque in antennae cornibus, partim crocitantes, partim capita

μὲν ἐθέων, οἱ δ' ἔκοπτον τὰς τῶν μηρυμάτων ἀρχάς· καὶ πᾶσιν ἐδόκει τὸ σημεῖον εἶναι πονηρόν. Απέβη δ' οὖν ὁ Κικέρων, καὶ παρελθὼν εἰς τὴν ἔπαυλιν, ὡς ἀναπαυσόμενος κατεκλίθη. Τῶν δὲ κοράκων οἱ πολλοὶ μὲν ἐπὶ τῆς θυρίδος διεκάθηντο φθεγγόμενοι θορυβῶδες· εἷς δὲ καταβὰς ἐπὶ τὸ κλινίδιον, ἐγκεκαλυμμένου τοῦ Κικέρωνος, ἀπῆγε τῷ στόματι κατὰ μικρὸν ἀπὸ τοῦ προσώπου τὸ ἱμάτιον. Οἱ δ' οἰκέται ταῦθ' ὁρῶντες, καὶ κακίσαντες ἑαυτοὺς, εἰ περιμένουσι τοῦ δεσπότου φονευομένου θεαταὶ γενέσθαι, θηρία δ' αὐτῷ βοηθεῖ καὶ προκήδεται παρ' ἀξίαν πράττοντος, αὐτοὶ δ' οὐκ ἀμύνουσι· τὰ μὲν δεόμενοι, τὰ δὲ βίᾳ λαβόντες, ἐκόμιζον ἐν τῷ φορείῳ πρὸς τὴν θάλασσαν.

48. Εν τούτῳ δ' οἱ σφαγεῖς ἐπῆλθον, ἑκατοντάρχης Ἑρέννιος καὶ Ποπίλλιος χιλίαρχος, ᾧ πατροκτονίας ποτὲ δίκην φεύγοντι συνεῖπεν ὁ Κικέρων, ἔχοντες ὑπηρέτας. Επεὶ

funium tundentes. Id omnibus dirum visum ostentum. Cicero ibi egressus de navi est, villamque ingressus ad quietem composuit se. Hic corvi frequentes consederunt in fenestra, ac diros ediderunt strepitus: unus in grabatum demisit se, togamque, qua opertus erat Cicero, rostro paulatim a facie detraxit. Quod servi contemplantes, ac se ipsi increpantes, si dominum paterentur in conspectu suo trucidari, quum opem ei bestiae ferrent, eiusque curam agerent indigna patientis, ipsi autem non protegerent: hinc precibus, hinc vi sublatum, in lectica detulerunt ad mare.

48. Interea supervenerunt cum manu percussores, Herennius centurio et Popilius tribunus, quem parricidii quondam reum defenderat Cicero. Fores, quas

δὲ τὰς θύρας κεκλεισμένας εὑρόντες ἐξέκοψαν, οὐ φαινομένου τοῦ Κικέρωνος, οὐδὲ τῶν ἔνδον εἰδέναι φασκόντων, λέγεται, νεανίσκον τινὰ, τεθραμμένον μὲν ὑπὸ τοῦ Κικέρωνος ἐν γράμμασιν ἐλευθερίοις καὶ μαθήμασιν, ἀπελεύθερον δὲ Κοΐντου, τοῦ ἀδελφοῦ, Φιλόλογον τοὔνομα, φράσαι τῷ χιλιάρχῳ τὸ φορεῖον κομιζόμενον διὰ τῶν καταφύτων καὶ συσκίων περιπάτων ἐπὶ τὴν θάλατταν. Ὁ μὲν οὖν χιλίαρχος, ὀλίγους ἀναλαβὼν μεθ' ἑαυτοῦ, περιέθει πρὸς τὴν ἔξοδον. Τοῦ δ' Ἑρεννίου δρόμῳ φερομένου διὰ τῶν περιπάτων ὁ Κικέρων ᾔσθετο, καὶ τοὺς οἰκέτας ἐκέλευσεν ἐνταῦθα καταθέσθαι τὸ φορεῖον. Αὐτὸς δ', ὥσπερ εἰώθει, τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τῶν γενείων ἁπτόμενος, ἀτενὲς ἐνεώρα τοῖς σφαγεῦσιν, αὐχμοῦ καὶ κόμης ἀνάπλεως, καὶ συντετηκὼς ὑπὸ φροντίδων τὸ πρόσωπον· ὥστε τοὺς πλείστους ἐγκαλύψασθαι, τοῦ Ἑρεννίου σφάζοντος αὐτόν. Εσφάγη δὲ τὸν τράχηλον ἐκ τοῦ φορείου προτείνας, ἔτος ἐκεῖνο γεγονὼς ἑξηκοστὸν καὶ τέταρτον.

offenderunt occlusas, ruperunt. Non invento Cicerone, negantibusque, qui intus erant, scire, fama tenet, adolescentulum, a Cicerone ingenuis institutum literis et doctrina, libertum Quinti fratris (Philologo nomen erat) lecticam tribuno indicasse per consitas arboribus et umbrosas ambulationes ad mare deferri. Tum tribunus, paucis assumtis, circumcurrit ad exitum. Herennium per ambulationes advolantem quum sensisset Cicero, imperavit servis, ut eo loci ponerent lecticam: ac sinistra mentum more suo contrectans, immotis oculis intuitus est percussores, squalore et situ oppletus, et facie ex curis marcida, ut plerique, dum Herennius eum obtruncat, contexerint oculos. Cervicem ex lectica protendit ad caedem, annos tum natus quatuor et

Τὴν δὲ κεφαλὴν ἀπέκοψεν αὐτοῦ καὶ τὴν χεῖρα, Ἀντωνίου κελεύσαντος, ᾗ τοὺς Φιλιππικοὺς ἔγραψεν. Αὐτός τε γὰρ ὁ Κικέρων τοὺς κατ' Ἀντωνίου λόγους Φιλιππικοὺς ἐπέγραψε, καὶ μέχρι νῦν τὰ βιβλία Φιλιππικοὶ καλοῦνται.

49. Τῶν δ' ἀκρωτηρίων εἰς Ῥώμην κομισθέντων, ἔτυχε μὲν ἀρχαιρεσίας τελῶν ὁ Ἀντώνιος, ἀκούσας δὲ καὶ ἰδὼν ἀνεβόησεν, ὡς νῦν αἱ προγραφαὶ τέλος ἔχοιεν. Τὴν δὲ κεφαλὴν καὶ τὴν χεῖρα ἐκέλευσεν ὑπὲρ τῶν ἐμβόλων ἐπὶ τοῦ βήματος θεῖναι, θέαμα Ῥωμαίοις φρικτὸν, οὐ τὸ Κικέρωνος ὁρᾷν πρόσωπον οἰομένοις, ἀλλὰ τῆς Ἀντωνίου ψυχῆς εἰκόνα. Πλὴν ἕν γέ τι φρονήσας μέτριον ἐν τούτοις, Πομπωνίᾳ, τῇ Κοΐντου γυναικὶ, τὸν Φιλόλογον παρέδωκεν. Ἡ δὲ, κυρία γενομένη τοῦ σώματος, ἄλλαις τε δειναῖς ἐχρήσατο τιμωρίαις,

sexaginta. Caput eius et manus, quibus scripserat Philippicas, Antonii imperio praecidit. Etenim orationes in Antonium ipse Cicero Philippicas inscripsit, quo nomine etiam nunc appellantur.

49. Quum Romam allata sunt haec membra, hâbebat forte comitia Antonius. Re audita et conspecta, tunc finem habere exclamavit proscriptiones. Caput et manus pro rostris in tribunali iussit figi, spectaculum horrendum populo romano, qui non Ciceronis adspicere se faciem existimavit, sed animi imaginem Antonii. Vnum tamen edidit Antonius inter ista laudabile exemplum, quod uxori Quinti, Pomponiae, tradidit Philologum. Quae potestatem eius nacta cum aliis eum diris suppliciis excruciavit, tum carnes suas ipsum

καὶ τὰς σάρκας ἀποτέμνοντα τὰς αὐτοῦ κατὰ μικρὸν, ὀπτᾷν, εἶτ' ἐσθίειν ἠνάγκασεν. Οὕτω γὰρ ἔνιοι τῶν συγγραφέων ἱστορήκασιν· ὁ δ' αὐτοῦ τοῦ Κικέρωνος ἀπελεύθερος, Τίρων, τοπαράπαν οὐδὲ μέμνηται τῆς τοῦ Φιλολόγου προδοσίας. Πυνθάνομαι δὲ, Καίσαρα χρόνοις πολλοῖς ὕστερον εἰσελθεῖν πρὸς ἕνα τῶν θυγατριδῶν· τὸν δὲ, βιβλίον ἔχοντα Κικέρωνος ἐν ταῖς χερσὶν, ἐκπλαγέντα τῷ ἱματίῳ περικαλύπτειν· ἰδόντα δὲ Καίσαρα, λαβεῖν καὶ διελθεῖν ἑστῶτα μέρος πολὺ τοῦ βιβλίου, πάλιν δ' ἀποδιδόντα τῷ μειρακίῳ, φάναι· « Λόγιος ἀνὴρ, ὦ παῖ, λόγιος καὶ φιλόπατρις. » Ἐπεὶ μέντοι τάχιστα κατεπολέμησεν Ἀντώνιον, ὑπατεύων αὐτὸς εἵλετο συνάρχοντα τοῦ Κικέρωνος τὸν υἱὸν, ἐφ' οὗ τάς τ' εἰκόνας ἡ βουλὴ ἀνεῖλεν Ἀντωνίου, καὶ τὰς ἄλλας ἠκύρωσε τιμὰς, καὶ προσ-

praecidere paulatim, eas assare, inde vorare adegit. Nam ita nonnulli scriptores memoriae prodiderunt. Ipsius Ciceronis libertus, Tiro, nullam prorsus mentionem fecit Philologi proditionis. Caesarem accepi longo tempore post ad quendam ex filia nepotem accessisse: illum autem, quod volumen quoddam Ciceronis manibus teneret, consternatum id veste contexisse: Caesarem vero, qui animadverterat, sumsisse volumen, et stantem magna ex parte evolvisse: reddidisse inde puero, ac dixisse: Doctus hic vir, fili, doctus fuit et patriae amans. Non magno inde intervallo, quum debellaret Antonium, consul collegam cooptavit filium Ciceronis: cuius in magistratu Antonii statuas senatus deiecit, omniaque abrogavit eius alia ornamenta. De-

εψηφίσατο, μηδενὶ τῶν Αντωνίων ὄνομα Μάρκον εἶναι. Οὕτω τὸ δαιμόνιον εἰς τὸν Κικέρωνος οἶκον ἐπανήνεγκε τὸ τέλος τῆς Αντωνίου κολάσεως.

crevit insuper, ne quis ex Antoniorum gente Marcus nominaretur. Ita ad extremum ultio Antonii divinitus ad domum fuit Ciceronis reducta.

CICERO
A CALVMNIIS
VINDICATVS

AVCTORE

ANDREA SCHOTTO

CICERO
A CALVMNIIS
VINDICATVS

CAP. I

An gloriae nimis studiosus Cicero? Purgatum crimen, commune cum pueris, militaribus, Poëtis et Philosophis.

Quam laudis cupidus et ad gloriam a primis annis propensus Tullius ignotum nemini arbitror, qui eius aut scripta legerit, aut vitam, resque domi forisque gestas cognoverit. Hic enim veluti stimulus et calcar hominem, ut fit, impulit atque incitavit ad remp. dicendi virtute, ad quam potissimum natus esset, capessendam. Observat illud diligenter M. Fabius lib. XI Instit. Orat. cap. 1, et homo Graecus Plutarchus, Historicus idem ac Philosophus egregius, in vitiis cuiusque notandis cetera temperans ac modestus: qui nimiam ipsius gloriae cupiditatem, et, quae hinc consequi solet, putidam sui praedicationem, vitio vertit. Hoc si a Christi lege alienus reprehendit, quanto iustius Christiano homini et inanis gloriae vere contemtori turpem videri inanem sui ostentationem par est? Colligam de multis pauca testimonia ex ipsius

scriptis ac Plutarcho. Hic enim in eius vita, de adolescentis fama Romae increbrescente, *Graecum* iam tum ac *Scholasticum*, vel, ut alii interpretantur, *otiosum* appellatum ait: Επεὶ δὲ φύσει φιλότιμος ὢν, καὶ παροξυνόμενος ὑπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν φίλων, ἐπέδωκεν εἰς τὸ συνηγορεῖν ἑαυτὸν, οὐκ ἠρέμα τῷ πρωτείῳ προσῆγεν, ἀλλ' εὐθὺς ἐξέλαμψε τῇ δόξῃ, καὶ διέφερε πολὺ τῶν ἀγωνιζομένων ἐπ' ἀγορᾶς. *Qui flagraret natura cupiditate gloriae, atque a patre et necessariis incenderetur, ut contulit se ad causas agendas, non sensim aspiravit ad primas, sed confestim gloria effulsit, longeque ceteris, qui causas agebant, in foro excelluit.* Idemque in comparatione cum Demosthene, graecum oratorem, ut serium semper, gravem et a nimia sui praedicatione abstinentem Ciceroni laudando anteponit. Sic enim, ut latine reddam, *Immodica*, inquit, *Ciceroni praedicatio nimium eius laudis studium arguit, ut exclamaverit identidem*:

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

Quem versum sic graece Plutarchus reddidit, ut etiam observatum lib. V Variarum Lectionum a Petro Victorio cap. 14: Ως τὰ ὅπλα ἔδει τῇ τηβέννῳ καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην: *Denique non res gestas et opera modo, sed et dicta scriptaque et habitas a se orationes depraedicat.* Haec fere Plutarchus. Brutus quoque T. Pomponio Attico de M. Tullio epist. 17 testatum reliquit: *Dum habet a quibus impetret Cicero, quae velit, et a quibus colatur ac laudetur, servitutem honorificam modo non aspernatur; si quidquam in extrema ac miserrima contumelia potest honorificum esse.* Verum quid externa conquiro? Producendus e domo testis est, et, quod aiunt, οἴκοθεν μάρτυρ. Tabulae proferantur. En epistolam ad

P. Corn. Dolabellam, in Tullia filia generum, e libro IX ad Famil. *Sum*, inquit, *avidior, etiam quam satis est, gloriae.* Et post non longe: *Etsi contentus eram tua gloria, satisque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam, tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgi hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus.* T. Attico vero ita scribit lib. I, epist. 10: *Laudis avidissimi semper fuimus, et praeter ceteros φιλέλληνες et sumus et habemur.* Statimque: *Me ambitio quaedam ad honorum studium; te autem alia minime reprehendenda ratio ad honestum otium duxit.* Et lib. II, epist. 17: *Quod est subinane in nobis, et non ἀφιλόδοξον (bellum est enim sua vitia nosse) id afficit me quadam delectatione.* T. Attico item lib. I, epist. 14: *Fuit mihi saepe et laudis nostrae gratulatio iucunda, et timoris consolatio grata.* Et Q. Fratri lib. III, epist. 5, vivere se ambitione ac labore ingenue confitetur. Habes, Lector, quod actori optandum maxime, confitentem reum. Habet tamen vicissim quo se tueatur, et excusatione dignus Orator esse videatur. Sic enim in ea, quam pro Domo sua habuit, oratione: *Quoniam*, inquit, *hoc reprehendis, quod solere me dicas de me ipso gloriosius praedicare; quis unquam audivit, quum ego de me nisi coactus ac necessario dicerem? Nam si, quum mihi furta, largitiones, libidines obiiciuntur, ego respondere soleo, meis consiliis, periculis, laboribus patriam esse conservatam: non tam sum existimandus de gestis rebus gloriari, quam de obiectis non confiteri.* M. Fabius quoque Quintilianus sic Oratori propugnat, ut eloquentiam quidem aliis partium patronis concedat; sibi vero immodice nunquam arroget: idemque Fabius lib. XI, cap. 1, ut sui laudatorem reprehensum quidem ait Tullium, ita

tamen distinguens: quod ingenium suum raro et modeste; sed labores et res suas, ut Consulatum saepe, et interdum non satis, ut quibusdam videtur, modeste commendet. Quod, ut pleraque Fabius e Tullii Bruto, qui de claris est Oratoribus, hausit, *Se non ingenii sui praedicatorem esse, sed laboris*, affirmantis. Quin et ipse in Divinatione in Verrem, quum de accusatore constituendo, in quo multum esset momenti positum, ageretur, Q. Caecilio dicendi facultatem magis detraxit, quam sibi arrogavit. Illius quoque sunt hae voces in Liciniana, seu Orat. pro Archia: *Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio quam sit exiguum.* Et pro Quinctio: *Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparavi.* Sed non hic Tullii substitit ambitio. Rogat L. Luceium lib. V, epist 12 ad Fam. temporum suorum Annales meditantem, suum ut Consulatum praedicando res in maius augere ne vereatur, ut et lib. IV Attic. epist. 9 commemorat. Verba apponam: *Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis.* Addit mox: *Itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut ornes ea vehementius quam fortasse sentis: et in eo leges Historiae negligas, gratiamque illam, si me vehementius commendabis, ne aspernere.* Ain' vero M. Tulli? usque eo tui oblitus es, ut etiam latas abs te Historiae leges migrare iubeas? *Quis nescit*, inquis II de Oratore, *primam esse Historiae legem, ne quid falsi dicere audeat. Deinde ne quid veri non audeat: ne qua suspicio gratiae sit in scribendo.* Immo legem ibidem Luceio praescribis: *Verecundius de se quisque scribat necesse, si quid laudandum; et praetereat, si quid reprehendendum. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas.* Et in Vatiniana: *Nemo*, inquis,

de se satis libenter ac sine multorum invidia loqui potest. Verum enim vero et hic venia dignus Cicero videatur duplici nomine. Laudat enim res suas, vel ut alios ad idem faciendum invitet, vel ut adversariis respondeat. Qui enim Ciceronem hic accusat, alios aequales accuset necesse est, ut M. Varronem, et C. Trebonium, qui a Tullio celebrari vehementer exoptarunt, et aliquid de se honoris gratia scribi, quod apud posteros exstaret, postularunt. Plinius quoque iunior a Corn. Tacito, alii denique innumerabiles eamdem ab amicis laudis praedicationem exegerunt. Et vero non tam ἐγκωμιαστικὰ quam ἱστορικὰ conscribi de suo Consulatu a Luceio postulavit, idque non sine veterum exemplo. Alii enim ab aliis, ut diximus, praedicari studuerunt, ut Themistocles, Alexander et Cn. Pompeius, Magni cognomento, et P. Scipio Africanus. Alii vero, non alienis contenti laudibus, res ipsi a se domi militiaeque gestas literis mandarunt: ut de Graecis Xenophon et Aratus; de Romanis M. Scaurus et Q. Catulus; de Imperatoribus denique Caesar et Hadrianus. Quidam etiam belli duces doctos homines, et in his Poëtas ad se evocatos foverunt, praemiisque, ut res suas stilo aut carmine celebrarent, sponte ornarunt. Ipse enim Africanus, ut in Liciniana Orator commemorat, Q. Ennium Poëtam non honestavit modo, sed et tumulo suo condecoravit. Scribit adhaec idem Tullius, nimis gloriae flagrans ardore M. Catoni, Stoico, id est severo Philosopho, lib. XV ad Fam. epist. 6, dum supplicationem sibi a Senatu eius suffragio decerni, ob velitationem scilicet in Cilicia cum latronibus factam, ambitiose postulat; laudabile ducens a laudato laudari viro: *Ea est profecto iucunda laus, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.*

Quem ego currum, quam lauream cum tua laudatione conferrem? Tibi honorem illum nostrum supplicationis fuisse iucundum, quod scribendo adfuisti, video. Et in Oratore ad Brutum: *Quum a Catone laudabar, a ceteris me reprehendi facile patiebar.* Atqui secum ipse Orator, quum tamen memorem esse deceat mendacem, pugnat, ad eundem Catonem epist. 4 sic se ipse iactans: *Si quisquam fuit unquam remotus et natura, et magis etiam, ut mihi quidem sentire videor, ratione atque doctrina ab inani laude et sermonibus vulgi, ego profecto is sum.* Et post non longe: *Ipsam quidem gloriam per se nunquam putavi expetendam.* Falso, M. Tulli! multus es enim passim gloriam praedicando: qui et de gloria Commentarium a te conscriptum T. Attico miseras, ut epist. 2, lib. XVI, affirmas, qui si ad nostram usque aetatem perdurasset, tua facile ambitio pareret. Sic enim causas perorans pro P. Sextio et C. Rabirio philosopharis: *Quum exiguum nobis vitae curriculum natura circumscribat, gloriae cursum esse sempiternum. Si enim non esset longior, quam haec vita, rerum gestarum memoria, quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret? Trahimur enim omnes,* ais I Tuscul. et Philipp. XIV, *laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Est enim honos, virtutis praemium, iudicio bonorum ad aliquem delatum: et sapiens quisque honorem virtutis praemium non praedam petit.* In Bruto et III de Orat.: *Augusti itaque animi ac plane demissi sit honorem veluti triumphi lauream dignitatemque contemnere. Vt enim levitatis est,* inquis in Pisoniana, *inanem aucupari rumorem, et omnes umbras, etiam falsae gloriae, consectari; sic levis est animi lucem splendoremque fugientis, iustam gloriam (qui est fructus vere vir-*

tutis honestissimus) *repudiare*. Quid? laude ducuntur teneris iam ab annis pueri (V de Finibus) efferunturque laetitia quum vicerint, pudet contra victos esse: et accusari nolunt, sed laudari. Quin et opifices laude ducuntur, qui post mortem nobilitari volunt, ait Tuscul. I: ut Phidias, qui Palladis clypeo similem sui speciem inclusit, quum nomen inscribere non liceret. Ducuntur adhaec Poëtae laudibus; qui et inscriptis elogio tumulis post mortem nobilitari volunt. Militares item homines gloria ad bellum rapiuntur. Themistocles enim (ut ex Archiana clarum) summus Athenis vir, quum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cuius vocem libentissime audiret, respondisse fertur: *Eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.* Idemque somnum oculis noctu capere non poterat, quod Miltiadis ducis trophaeis e somno suscitaretur. Sic Tuscul. IV et Valerius Max. lib. VIII, cap. 15 de gloriae cupiditate. Quid de Philosophis dicam? Nonne in iis ipsis libris, quos de contemnenda gloria inscripserunt, sua nomina, ut a posteris laudentur, apponunt? ut ait pro Archia et Tuscul. I. Igitur communi gentium ac paganorum peccavit vitio Tullius, ut et Philosophi veteres, quibus Christi lux evangelica minime affulsit; ut gloriae supra modum cupidi ac paene ebrii nihil agerent ac dicerent scriptisque mandarent, nisi laude impulsi et se suaque arroganter nimis efferrent. Hinc enim B. Hieronymus, magnum Ecclesiae decus, epist. ad Pammachium, itemque ad Iulianum, Philosophum gloriae animal et popularis aurae vile mancipium appellat. Eiusdemque aequalis ac doctrina par, vel etiam maior B. Augustinus, lib. V Civitatis Dei, cap. 10, arrogantem illam Ethnicorum civitatem refutat: *Adeo*, inquit, *fuerunt humanae gloriae*

avidi, ut huius unius ingenti cupiditate ceteras cupiditates presserint. Plato Diogenem Cynicum (ut alter refert Diogenes lib. VI) sic reprehendit, quod quum popularis aurae gratia captandae in aquis congelatis nudus staret, quo frigoris patientissimus laudaretur, et populum Atheniensem miserari videret: *Si huius hominis*, inquit, *misericordia vos tangat*, *hinc discedite.* Significans nimirum gloriae id studio facere. Alexander quoque, ut militaris, Plutarcho auctore et Valerio Max. lib. IX, cap. 3, laudis praedicatione incredibiliter movebatur, ut et parentis Philippi res gestas a Clyto inter pocula praedicari quum audiret, quasi invidia ductus hasta hominem confoderit. Ab Homero idem res a se, ut ab Achille, militiae gestas celebrari optabat: quumque ad huius ducis tumulum forte assisteret, tali felicem praecone pronuntiavit. Illius autem poëmata, ut Poëtarum prope Dei, in narthecio, quod in Darii spoliis repertum erat, collocari iussit. Forte iam nuncius accurrerat, manum ille tollens eminus ait: *Quid mihi*, *vir bone*, *nunciare maius potes quam revixisse Homerum. Nemo est tam aversus a Musis*, inquit in Liciniana Cicero, *qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur.* Et Venusinus Lyricus:

Dignum laude virum Musa vetat mori.

Hic nimirum dux Aristotelis discipulus extitit, qui Philosophus quanto et ipse gloriae arderet studio ostendit (ut ibidem Valerius Max. refert) quum rhetoricas praeceptiones Theodectis nomine evulgasset, mox laudis cupidus repetens sibi easdem vindicavit. Sic enim in iis ad Alexandrum Rhetoricis ait (si eius modo sunt, abiudicante Pet. Victorio) Ἐν ταῖς ὑπ' ἐμοῦ τέχναις Θεοδέκτει γραφείσαις. Libros vero a se

editos sine vitio arrogantiaeque nota a Cicerone passim recenseri equidem existimo, quod et ab aliis quoque Philosophis, Herodoto, Aristotele, Theognide, Plutarcho, Heliodoro ceterisque praestitum videas. Et vero tantum abest damnari ut debeat recensere quemquam ingenii sui monumenta, ut laudi etiam sit ducendum: in quo haec insit utilitas, ut quae legitima cuiusque scripta sint, vel spuria, hinc elucescat. Quae quum ita sint, efficitur, quod iam disputatum est, puerorum, opificum, poëtarum, militarium ac denique philosophorum hoc gloriae studium cum Cicerone commune fuisse, excusationemque habere nonnullam, ut Gentium vitia. Ceterum de gloria an et cui expetenda nostra memoria Christiani philosophi commentarios edidere, Sebastianus Foxius Hispalensis, Hieronymus Osorius Lusitanus Episcopus, et Flaminius Nobilius, Italus: quos legent, qui plura forte ad hanc profligandam quaestionem requirent.

CAP. II

Consulatum, suaque patria liberata in Remp. merita cur toties Cicero praedicarit?

Vidimus Ciceronem inanis gloriae plus aequo cupidum: audiamus nunc se suasque res supra modum efferentem, quasi rerum a se gestarum defuturum praeconem metueret. Hinc illud iteratum identidem, et a Satyrico irrisum de suo Consulatu carmen:

O fortunatam, natam me Consule Romam!

Quin et de suo ipse Consulatu, sublata Catilinariorum coniuratione, a Sallustio descripta, patria a flammis caedeque civium liberata, Commentarium graece scripserat, et versibus poëta non malus res a se gestas in tres coniecerat libros, ut epist. 16, lib. I T. Attico refert, et lib. II, epist. 3, et I de Divinatione, et Lactantius lib. III, cap. 17. Quem commentarium a Plutarcho lectum apparet in Caesaris vita, titulo περὶ τῆς ὑπατείας, idemque ὑπόμνημα Rhodum Posidonio misit (lib. II ad Attic. epist. 2) ut calamistris veluti inurens ornatius de rebus a se gestis scriberet. At vero tantum abest, ut excitatus ad scribendum Philosophus fuerit, ut plane perterritum se fateatur.

Nunc Plutarchum ipsum de Ciceronis iactantia libere iudicantem, sed latine, audiamus: *Fuit*, inquit, *auctoritas eius in civitate summa, verum invidiam conflavit sibi, nullo ille quidem flagitio, sed quòd se ipse laudaret et celebraret assidue, offendit multos. Vbique enim, sive in Senatu, sive in concione, sive in iudiciis, habuit in ore Catilinam et Consulatum. Libros denique et scripta laudibus complevit suis: iucundissimamque suam et venustissimam dictionem odiosam reddidit, et ingratam auditoribus, hac eum quasi morbo aliquo semper comitante importunitate.* Haec ille. Sed hic quoque ambitionis abesse vitium potuit, quod neminem rerum suarum consiliorumque se uno magis conscium, quique certiora narraret, arbitraretur. Tria enim potissimum in historia spectanda sunt, *consilia* nimirum, *facta et eventa*. Qui exitus, etsi consiliis ob incertos rerum casus non usquequaque respondeant, reprehendi tamen ab aequo rerum existimatore non debeant, ut Poëta vere canat:

— — — — *careat successibus opto*,

Quisquis ab eventu facta probanda putet.

Quatuor autem consideranda vel contemnenda potius iuventuti, Tullianae ἀλαζονείας argumenta. Iactat primo Consulatum, ut iam dicere coepi; dehinc aequalium suorum de eo magistratu obito colligit elogia; tertio reditum ab exilio suum valde praedicat: denique sua ipse scripta nimis in vulgus commendat.

I. Putide igitur nimis, ut ordine singula exsequar, nonas decembres, tanquam conservatae auspices patriae, identidem in ore habet repetitque ad nauseam usque: ut et M. Brutus, homo acutus, T. Attico epist. 17 scribens animadvertit. Lentulo autem ep. 9, lib. I: *Tenebam*, inquit, *memoria nobis Consulibus ea fundamenta iacta ex kal. ian. confirmandi Senatus: ut neminem mirari oporteret nonis decembris tantum vel animi fuisse in ordine illo, vel auctoritatis.* Eidem Attico rursum initio lib. X: *Sextus pater mihi dixit olim (quod saepe soleo recordari) nonis illis decemb. quum ego Sexte: Quidnam ergo? quid? ille apud Homerum (Iliad. χ, vers.* 303)

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

Eidem quoque Attico, ut fratris loco carissimo, misit conscriptum a se de consulatu suo volumen, et graece quidem, quemadmodum et versibus conscripsisse diximus; ut ad eam quoque gentem nominis sui ac magistratus fama perveniret, quo adolescens ipse exercendae eloquentiae gratia se contulisset, sic fere epist. ult. lib. I ad Attic.

II. Alterum vero caput esto de elogiis iudiciisque aequalium Romae virorum illustrium super eius Con-

sulis in Remp. meritis, puta Cn. Pompei, M. Crassi, Q. Catuli, M. Catonis ac denique L. Gellii. Pompeius enim, ut Ciceronem primum e Syria decedens vidit, complexus et gratulans, eius beneficio patriam se visurum esse dixit, ut divina illa Philippica II commemorat, et I Officiorum : *Vir*, inquit, *abundans bellicis laudibus hoc mihi tribuit, ut diceret, frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi meo in Remp. beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus.* M. Crassus (cum quo tamen simultates Cicero aliquando exercuit, ut in huius vita Plut. auctor est) dixit, se, quod esset Senator, quod civis, quod liber, quod viveret, Ciceroni acceptum referre. Quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties eius se beneficium videre (ut Attico scribit lib. I, epist. 9, aliis 2). Quid? *Patrem Patriae* Ciceronem Q. Catulus, Princeps Senatus, et M. Cato pronuntiarunt. Ille quidem frequentissimo Senatu et publici auctor consilii, ut in Pisoniana ipse commemorat, et in Sextiana alios idem iterasse elogium testatur. Plutarchus et Appianus, Graeci Historici, de hoc Catone: quum *Patriae Patrem* appellasset, populi factam acclamationem refert, primumque huic titulum honoris gratia tributum, indeque ad Imperatores Augustos derivatum. Et C. Plinius maior lib. VII Hist. Natur. cap. 30 M. Tullium sic affatur: *Salve primus omnium Parens patriae appellate*; et Satyra VIII Iuvenalis:

— — — *Roma parentem,*
Roma Patrem patriae Ciceronem libera dixit.

Ad haec L. Gellius, vir clariss. in concione dixit: Si Consul Cicero quum fuit non fuisset, Rempubl. funditus interituram fuisse, ut ait Orat. post reditum ad Quirites. Idemque hoc amplius civicam ei

deberi a Rep. coronam censuit (ut in Pisoniana dixit, et Gellius lib. V Noctium Attic. cap. 6) quod eius opera esset atrocissima illa Catilinae coniuratio detecta vindicataque. Octavius praeterea adolescens, Imperii haeres futurus, iactare se solitum, M. Brutus T. Attico epist. 17 refert.

III. Venio ad tertium arrogantiae caput, quo ab exilio sedecim mensium (in quo et muliebriter nimis eiulando, etiam Terentiae coniugi scribens lib. XV se gessit) reditum suum anno post Romam conditam DCXCVI gloriose nimis praedicat, initio lib. IV ad Atticum, ut et de Senatus erga se voluntate, qui P. Clodio pro suo capite iugula ostentarit, lib. I, epist. 11. Item in Pisoniana ac Sextiana. Ad urbem enim ita se venisse ait, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui ipsi obviam non venerit; immo a Brundusio Romam usque agmen perpetuum totius Italiae vidit: neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque praefectura, aut colonia, ex qua non publice ad Ciceronem venerint gratulatum. Magnae erant effusiones hominum ex urbibus; maximi concursus ex agris patrumfamilias cum coniugibus ac liberis; quumque viae multitudine legatorum undique missorum celebrarentur, urbes Italiae festos dies agere adventus eius videbantur. Itaque in Pisonem sic iactat: *Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii. Quum Senatum egressum vidi populumque romanum universum: quum mihi ipsa Roma prope convulsa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum procedere visa est.* Et pro Domo sua: *Ille unus dies, quo die me populus romanus a porta Capena, qua via Appia in urbem ducit, in Capitolium atque inde domum sua celebritate laetitiaque comitatum hone-*

stavit, *tantae mihi iucunditati fuit*, *ut conscelerata illa P. Clodii vis non modo non propulsanda*, *sed etiam emenda fuisse videatur*. Quin et extrema oratione post reditum in Senatu, *humeris se Italiae Romam tunc reportatum fuisse* praedicat. Quod confirmans Plutarchus minus et infra veritatem dixisse ait: Ὥστε τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον, ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας. Quum et Vatinius, Ciceronis hostis, iactanti, quod Italiae humeris ab exilio relatus esset, subiecit: *Vnde ergo tibi varices*? Macrobius lib. II Saturn. cap. 3.

IV. Denique de scriptis suis ac lucubrationibus quanta se pompa effert? T. Attico, lib. II, ep. 1, scribens de Consularibus a se habitis orationibus; de reliquis item ingenii monumentis, praesertim philosophicis atque oratoriis, principio lib. II de Divinatione, ut dicere non dubitet: *Nullum fore philosophiae locum*, *qui non latinis literis a nobis illustratus pateret*. Leptae vero familiari quam arroganter Oratorem suum praedicat? liber VII, epist. 17. Quod ne odio aut invidia affingere videar, appendam: *Oratorem*, inquit, *meum tantopere a te probari vehementer gaudeo*. *Mihi quidem sic persuadeo*, *me*, *quidquid habuerim iudicii de dicendo*, *in illum librum contulisse*. *Qui si est talis*, *qualem tibi videri scribis*, *ego quoque aliquid sum*; *sin aliter*, *non recuso*, *quin quantum de illo libro*, *tantundem de mei iudicii fama detrahatur*. Illud vero quale tandem est, ad Appium Pulcrum? *Quod disertum non fuerit*, *ne meum dixeris*. Quodque alibi iactat, non satis eruditos fore, quibus ipsius cognita non essent. Quid vero de sui consulatus Commentario quam thrasonice apud Attic. lib. II, epist. 1 iactat? *Meus*, inquit, *liber totum Isocratis μυροθήκιον atque omnes eius discipulorum arculas*, *ac*

nonnihil etiam Aristotelica pigmenta consumsit. Moxque, quum de Posidonio ut sua scribere deterrito commemoravit: *Quid quaeris?* ait, *Conturbavi Graecam nationem; ita vulgo qui instabant ut darem sibi quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam destiterunt.* Rursum de magistratibus, quaestura et aedilitate, quibus perfunctus est, quam gloriose iactat Verrina VII, quae de Suppliciis inscribitur: *Vt ego quos adhuc mihi magistratus populus rom. mandavit, sic eos accepi, ut me omnium officiorum obstringi religione arbitrarer. Ita Quaestor sum factus, ut mihi honorem illum tum non solum datum, sed etiam commissum arbitrarer: ut me quaesturamque meam quasi in aliquo orbis terrae theatro versari existimarem: ut omnia semper, quae iucunda videntur esse, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturae ac necesstiati denegarem. Nunc sum designatus Aedilis; habeo rationem quid a populo romano acceperim.*

CAP. III

Avarusne et sordidus M. Cicero? Continentia eius laudata. Praedia utriusque M. et Q. recensita. An eloquentiae ludum Cicero aperuerit?

Ambitionis ac divitiarum comes avaritia est; illa laborasse M. Tullium, quum de consulatus iactatione sermo esset, non inficiabar. Divitem vero fuisse, planum: id est laudis potius quam pecuniae cupidum, et re sua mediocri contentum. Tres enim fundos et domum Romae possedisse fertur, quam a P. Clodio disturbatam Senatus sua pecunia refecit; pro qua et disertam, quae in manibus est, orationem

habuit. Dives itaque videri potest e communi Philosophorum sententia, vel Stoicorum, qui solum sapientem divitem existimarint. Hinc Q. Flaccus epist. 1 de Stoicorum sententia:

Ad summum, sapiens uno minor est Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

Non quo modo M. Crassus, cognomento Dives, iudicabat (lib. II Officiorum et Paradox. ult.), qui ullam satis magnam pecuniam ei, qui in Rep. princeps vellet esse, negabat, cuius fructibus exercitum alere non posset. Hic tamen ipse, nisi auro inhians eguisset, ait III de Finib. Cic. nunquam Euphratem nulla belli causa transire voluisset. Flavius autem Blondus, italicarum rerum scriptor, curiose magis quam vere, duodeviginti villas, seu praedia, M. Ciceroni ex ipsis ad Atticum epistolis attribuit: eiusque insistens vestigiis Ioan. Servilius Belga, Memorabilium, quos libros ad Valerii Maximi imitationem concinnavit, lib. II, cap. 2. Nominatque Marci praedium *Tusculanum*, disputationum philosophicarum opere nobilitatum: item *Formianum*, in quo a Popilio Laenate flagitiose percussus periit: cuius fundi lib. II ad Attic., epist. 14, meminit: *Lanuvinum*, quo ibidem nominat lib. IX, epist. 8, aliis 11, *Asturicense*; *Arpinate*; *Puteolanum*; *Alsiense*; *Pompeianum et paternum*, *etc.* Fundi autem *Frusinatis* meminit lib. XI ad Attic. epist. 4 et 13 editionis Manutianae. *Academiam* Ciceronis villam, ubi et Academicarum Quaestionum lib. IV conscripti, quorum duo tantum reliqui sunt, laudat C. Plinius lib. XXXI Natur. Hist., cap. 2: *Digna*, inquit, *memoratu villa est, ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu ac nemore: quam et vo-*

sabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum: ibi compositis voluminibus eiusdem nominis, in qua et monumentum sibi instauraverat. Huius in parte prima exiguo post obitum illius, Antistio vetere possidente, eruperunt fontes calidi perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureae Tullii, qui fuit e libertis eius: ut protinus noscatur etiam ministerium eius ex illa maiestate. Ponam enim ipsum carmen, dignum ubique, et non ibi tantum legi:

Quo tua, romanae vindex clarissime linguae,
Silva loco melius surgere iussa viret,
Atque Academiam celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
Hinc etiam apparent lymphae non ante repertae,
Languida quae infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ille sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis quae medeantur aquae.

Nominat et M. Tullius praedia in Formiano lib. VII ad Attic. epist. 14, ut emendat quidem, sensu ita flagitante, Seb. Corradus, quam qui maxime de Tullio meritus, ex lib. XIV ad Fam. epist. 14, 18 et 19, sequenti 16, *praedia* legendum coniiciens, ubi *praesidia* in vulgus editur. Sic enim de mulieribus, quas Romae tum manere indecorum iudicabat: *Velim,* inquit, *eas cohortare, ut exeant, praesertim quum ea praedia in ora maritima habeamus, cui ego praesum, ut in his pro re nata non incommode possint esse.*

Quinti vero Tullii fratris fundos duos reperio: *Laterium* quidem lib. IV ad Attic. epist. 7; et lib. X, epist. 1; et ad Q. Fratrem lib. III, epist. 1, ubi

et *Arcanum* alterum nominat: utriusque fortasse velut a latendo derivato vocabulo. De hoc fundo sic Marcus fratri: *In Arcano*, inquit, *a. d. IV id. sept. fui, quam aquam ibi ducebant non longe a villa; belle sane fluentem vidi, praesertim maxima siccitate.* Mox: *Nihil ei restabat praeter balnearia, et ambulationem et aviarium. Villa mihi valde placuit, propterea quod summam dignitatem pavimentata porticus habebat: quod mihi denique apparuit, posteaquam et ipsa tota patet et columnae politae sunt. Cameras quasdam non probavi mutarique iussi: quo loco in porticu te scribere aiunt; ut atriolum fiat.* Post non longe: *Ego locum aestate umbrosiorem vidi nunquam: permultis locis aquam profluentem, et eam uberem. Quid quaeris? Equidem hoc, quod melius intelligo, affirmo, mirifica suavitate te villam habiturum, piscina et salientibus aquis additis, palaestra et silva viridicata.* Subiicit denique: *Quamquam ea villa quae nunc est, tanquam philosophia videtur esse, quae obiurget ceterarum villarum insaniam.* Hactenus M. Cicero. Quae enim ibi *praedia* nominat, *Manlianum, Pufidianum et Bovilianum*, ea Paul. Manutius, optime de Cicerone meritus, in Arcano fuisse existimat, non ab Arcano seiuncta. Haec fere de villis Tullianis, quas tamen Marcus alienando L. Luculli magnificentiam et M. Crassi divitis luxum effugisse videtur. Sic enim Paradoxo extremo, quo in Crassum incurrit: *Capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia: ego centena ex meis.*

De ceteris opibus videamus. Rem enim aut patrocinio augere M. Tullius potuit, aut haereditate. Haereditatem quidem ex testamento crevisse T. Attico scribit lib. XI, epist. 2; Philippica vero II, sestertiûm amplius ducenties acceptum haereditatibus reliquisse ait. Patrocinando autem ea fuit continentia, ut neque

mercedes, neque dona, ne tum quidem quum C. Verrem accusaret, accipere sit solitus. Falso itaque *mercenarium patronum* nominat C. Sallustius, aut quicumque est eius invectivae auctor. Falso quoque Q. Fusius Calenus apud Dionem Cassium lib. XLVI, avaritiae Ciceronem in patrociniis, orationis initio, insimulat: tametsi per legem Cinciam capere a clientibus quid liceret, ut a Papirio Paeto Servii Claudii fratris relictos libros sese accepisse refert T. Attico, extrema epist. lib. I, et I lib. II, ac lib. XI ad Famil. ep. 16. *Cincia* enim et *Titia* legibus Romae de donis ac muneribus antea latis, cautum erat, ne patroni pecunias a clientibus acciperent, neve quis ob causam orandam pecuniam donumve caperet; ut patet e lib. II de Oratore et e Catone maiore: clarius vero e Corn. Taciti lib. XI, XII et XV Annalium, ut explicat ex hoc atque Ausonio Gallo omnis antiquitatis peritissimus Iurisconsultus Ant. Augustinus, lib. de Legibus, et ad Tacitum Lipsius noster, quem honoris causa libenter appello. Huc accedit, ne quid in eas leges committeret, sedulo cavisse Ciceronem, ne, quod Hortensio obiecerat de sphinge domi asservata, Plutarcho et Plinio lib. XXXIV, cap. 8, narrantibus, retorqueri in eum posset. Omni enim culpa, qui in alterum dicit, necesse est vacare. Verum enimvero domesticum testem Q. Fratrem, cuius et proxime meminimus, libello de Petitione Consulatus, audiamus: *Haec tu plane ab iis postulato, ut quoniam nulla impensa per te alii rem honestam, alii salutem ac fortunas omnes obtinuerunt, nec aliud ullum tempus futurum sit, ubi tibi referre gratiam possint, hoc te officio remunerent.* Quid? Ciliciam Proconsul qua abstinentia, Plutarcho auctore, rexit? nullis ut muneribus corrumpi se si-

neret, neque vocationes splendidas coenasve honoris Populi Rom. gratia faceret. Ita enim M. Catoni scribit lib. XIV ad Fam.: *Mihi*, inquit, *ut in huiusmodi re tantoque bello maxime curae est, ut quae copiis et opibus tenere vix possumus, ea mansuetudine et continentia nostra, sociorum fidelitate, teneamus.* Attico vero se ἀδωροδόκητον praebuisse Ariobarzani Regi in Cilicia scribit lib. V, epist. 20. In altera vero epist. nullos honores sibi, nisi verborum, decerni permisisse. Statuas, fana, τέθριππα, id est *quadrigas*, prohibuisse; et ne pecunias quidem ad templum decretas accepisse Q. Fratri refert lib. I, epist. 1. Immo numinum nullum erogari sibi publice privatimque passus est, usque adeo, ut ne Praetorium quidem vectigal acceperit.

De morum autem Tullii facilitate diserte in ea ipsa ultima epist. lib. V ad Attic., et Caesar ipse testatus est, ut eidem Attico lib. XIV sic scribit, *Si quisquam est facilis, hic est.*

Quod vero togam ad talos usque demissam gestare sit solitus, non superbiae gravitatique tribuendum, ut Q. Calenus ille vult apud Dionem lib. XLVI; sed velandarum varicum gratia, ut C. Plinius scriptum reliquit; et Quintilianus ea ratione refellit, quod omnes eo tempore Romani togam, ut pallium Graeci, ad pedes demitterent. Varices autem habuisse Ciceronem patet ex ioco Vatinii apud Macrobium, lib. II Saturnal. cap. 3, et e Sidonio Apollinari Episc. Arvernorum, lib. V *Arpinatem varicosum* appellante, epist. 5; quod ego tamen pace doctorum de Mario Arpinate acute dictum existimo, de quo Plutarchus varices habuisse et curam adhibuisse lepide commemorat.

Hic coronidis vicem appendam: *An eloquentiae*

scholas Tullius habuerit? Dubitandi iusta causa olim etiam eruditis hominibus, in his Philelpho, ut illis temporibus non indocto, nostrisque adeo maioribus visa est. Caesare enim Iulio omnia per vim tenente, et ad unius imperium redactis omnibus, Cicero noster multa salute et foro dicta et curiae; ut Dionysius regno pulsus Corinthi ludum aperuit, sic in Bibliothecam se totum ac literas abdidit; scripsitque partim philosophica, partim oratoria. Illa quidem, ut se, oppressa iam Repub. ipse consolaretur; haec vero, ne dicendi vis orationisque facultas exaresceret, sed saltem in umbra *declamitaret*; quam tunc vocem novam fuisse in Bruto ait. Fabius certe Quintilianus extremo Institutionum Oratoriarum opere discrte ita sensisse videtur. Hortatur enim suo ac Ciceronis exemplo, ut, quem iam informavit, Orator aetate affecta sese colligat abdatque, et vel historiam scribat, non nisi ab ingenio quoque tractari solitam, vel praeceptis eloquentiae formandisque novis oratoribus operam det. *Frequentabunt*, inquit, *eius domum optimi iuvenes, more veterum, et veram dicendi viam velut ex oraculo petent. Hos ille formabit, quasi eloquentiae parens, et ut vetus gubernator, littora et portus, et quae tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid adversis ratis poscat, docebit; non humanitatis solum communi ductus officio, sed amore quodam operis. Nemo enim minui velit id, in quo maximus fuit. Quid porro est honestius quam docere, quod optime scias? Sic ad Caelium se deductum a patre Cicero lib. IX epist. profitetur. Sic Pansam, Hirtium, Dolabellam in morem praeceptoris exercuit, quotidie dicens audiensque.* Haec Fabius. Sed Oratorem ipsum consulamus: qua scribendo, qua docendo aetatem egisse ipse sic affirmat in Planciana: *Ora-*

tiones scripsi ludis et feriis, ne omnino unquam essem otiosus. Subseciva quoque tempora, quae incurrerent, se perire non esse passum lib. I de Legibus et Philippica II diserte ait: ut vigiliae ipsius ac literae, et iuventuti utilitatis, et nomini romano laudis aliquid adferrent. Denique libris de Divinatione: *Quaerenti*, inquit, *mihi multumque et diu cogitanti quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere Reip., nulla maior occurrebat, quam si optimarum artium vias traderem meis civibus: quod pluribus iam libris me arbitror consequutum.* Docendi vero munus aperte significat, quum Volumnio lib. VII, epist. ult., et Papirio Paeto lib. IX, epist. 18, se quasi ludum et discipulos habere, amisso regno forensi sublatisque iudiciis, testatur. Verum enimvero quum particulam *quasi* adiecit, et in illis ipsis Epistolis perpetuo iocatur, credo eumdem non tam scholas habuisse, aut doctoris personam sustinuisse, quam grandes illos praetextatos Hirtium et Pansam, teste Tranquillo, per iocum appellasse, qui sibi dicenti et aures darent, et ipsi etiam declamitarent sequerenturque Ciceronem: ut Crassum et Antonium Oratores Sulpicius et Cotta frequentarunt. In quem morem successisse postea videatur recitandi aut poëmata, aut scripta, priusquam in apertum proferrentur, laudanda consuetudo. Ceterum si ludum Tullius aperuisset, nunquam sic in Oratore scripsisset: *At dignitatem docere non habet, certe si quasi in ludo: sed si monendo, si cohortando, si percunctando, si communicando, si interdum etiam una legendo, audiendo, nescio cur non docendo etiam aliquid aliquando, si possis, meliores facere nolis.* Non igitur iuventutem docebat Republ. gerenda impeditus, sed dicebat non raro ac declamabat, ne muta omnino eloquentia

conticesceret ac langueret. Iam inde enim ab adolescentia, ut in Bruto ipse testatur, commentabatur declamitans saepe cum M. Pisone et Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie : idque faciebat multum etiam latine, sed graece saepius, ad Praeturam usque : vel quod graeca oratio plura suppeditans ornamenta consuetudinem similiter latine dicendi adferebat, vel quod a Graecis, summis doctoribus, nisi graece diceret, neque corrigi posset, neque doceri. Titinnio quoque apud Suetonium in claris Rhetoribus, ubi de Pansa et Hirtio auditoribus commemorat, ita scribit : *Continebar doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant, graecis exercitationibus ali melius ingenia posse.* Verum quanta sit eorum, qui se docere profitentur, auctoritas docendi de superiore loco iuventutem, quantum munus, haec Tullii loca luce meridiana clarius ostendunt: aurea in primis sententia e libro III extremo de Finibus: *Impellimur*, inquit, *naturâ, ut prodesse velimus quam plurimis, in primisque docendo, rationibusque prudentiae tradendis. Itaque non facile est invenire, qui quod sciat, ipse non tradat alteri. Ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum*; et lib. I de Divinatione: *Quod munus adferre Reipub. maius meliusve possumus; quam si docemus atque erudimus iuventutem, his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, etc.* Neque solum vivos ac praesentes discendi studiosos erudire ac docere honestum esse ait lib. I Offic., et II de Divinat.; sed hoc idem etiam post mortem literarum monumentis assequi gloriosum praedicat.

CAP. IV

Inconstantiae nota in Cicerone excusata.

Vt virtutum omnium laus atque perfectio constantia est; sic contra inconstantia levitatis est argumentum ac vanitatis socia; ut mendaces plerumque iidem et sint et habeantur. Fides autem perpetua est dictorum factorumque constantia. Stoicis acutis in vocum originibus explicandis hominibus sic dicta vox, quod *fiat id quod dicitur*, ut ait Orator I Offic. et lib. XVI Tironi epist. 10; in dictis autem inconstantia vanitas sit; in factis autem levitas. A quo vitio tantum abest ut abhorruerit Cicero, ut defendendam etiam purgandamque notam bene longa ad P. Lentulum Spinterem epist. 9 lib. I ad Famil. susceperit: quasi boni intersit civis mutata interdum velificatione, foro, quod aiunt, uti, et prout res cum privata tum publica exigit, aliam interdum personam, ut in scena actores solent, induere. Ita enim de Tullio Seneca Rhetor, ut a nobis est quidem editus, Controversia XII, *In Catone*, inquit, *moderatio; in Cicerone constantia desideratur.* Referam de multis pauca e Tullio, quae inter legendum occurrerunt. In dictis quidem ac studiis quam varius? Iurisprudentiam rei militari longe postponit in Muraeniana, causae nimirum subserviens. At in Officiis sui immemor togam sago, consulatus sui praedicandi gratia, longe iudicat praestantiorem; tritum illum versum adhibens:

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

Latinam linguam idem inopem praedicat Orat. pro A. Cecina, lib. III de Finibus, et I de Nat. Deorum: divitem contra atque adeo Graeca locupletiorem principio lib. I et III de Finibus pronunciat. Epist. quoque

ad Q. Fratrem Graecis accepta fert omnia; Tusculana vero altera Graeciam verborum penuria laborare contendit, ut nos uberius lib. IV Tusculanarum quaestionum cap. 18 disseruimus.

Poëtas vituperare lib. I de nat. Deorum videtur: eosdem in ea, quam pro Archia poëta habuit, sic defendit et laudibus in caelum tollit, ut vel Heracleensem hominem poëticae nomine Romana donandum civitate confirmet. Horum etiam fabulas reiicit lib. III de Nat. Deor. Vtitur tamen non raro, ornatus gratia, fabulosis narrationibus: ut in Verrinis actionibus de Proserpina: item Tusculana III fuse narrat, Nioben in lapidem, Hecubam Priami in canem ob maledicentiam esse conversam.

Peripateticos celebrat pro A. Caecina: contumeliis eosdem vexat lib. Offic. I. Pythagorae ac Platonis peregrinationes ad Chaldaeos excolendi ingenii gratia magnifice praedicat laudatque lib. V, disserens de bonorum ac malorum finibus. Atqui peregrinationem ut sordidam epist. ad Coelium damnat: de qua et B. Gregorii Nysseni epistolam Graece legere memini nuper admodum evulgatam.

In factis vero quanta tua, Marce Tulli, te enim appello, inconstantia? Bello enim civili, Pompeii et Caesaris, partes sic animi dubius passim disceptas, ut quo te vertas ignorare penitus videare. Tua, tua illa vox est: *Ego vero quem fugiam habeo*; *quem sequar non habeo*. Ita lib. VIII ad famil. et Macrob. lib. II Satur. cap. 3, C. Caesarem nunc laudas, nunc vituperas: nempe ex eodem ore calidum pariter et frigidum efflare consuesti: cuiusmodi cum viatore iter facere Satyrus detrectet. Quod et Laberius mimus, quum anguste te in theatro sedere diceres, *duabus te sellis sedere solitum* aiebat

(Macrob. ibidem et lib. VII, cap. 3, Seneca Rhetor Controv. XVIII): male enim audiebas, tanquam nec Pompeio certus amicus, nec Caesari, sed utriusque adulatur: ut et bene longa Orat. Q. Fufius Calenus apud Dionem lib. XLVI Rerum Rom. declamitat. Nonne hinc merito risum esse exortum, vera pronunciante mimo, ne cachinnum dicam, existimas? Equidem nullus dubito. C. Caesarem, ut patriae servatorem et in victoria Pharsalica clementem, in Orat. pro M. Marcello, pro Deiotaro Rege, pro Q. Ligario orans, et T. Attico eidemque Ligario scribens familiariter sic laudibus ornas, nihil ut addi posse videatur. Ab eo autem multa in te benigne profecta studia officiaque commemoras, hoc amplius epistola quadam: *Nihil tibi in mentem venire*, *quod optes*, affirmas, *quin tibi ultro Caesar detulerit* (o hominis levitatem!). C. Cassio Caesaris postea percussori scribens, lib. XII ad Famil. Caesarem appellas impurum, multisque conviciis in Officiis et alibi proscindis. M. Lepidum laude interdum, nonnunquam vituperatione dignum censes. Q. Hortensium summum tunc in Oratoria principem laudibus ornas in Verrinis, Orat. pro Milone et lib. III de Oratore: item prooemio et in extremo Bruti, qui de Claris est Oratoribus. Eundem saepius laceras lib. III ad Attic. Epist. 9, et lib. I ad Q. Fratr. epist. 3. Quid? C. Verrem, quem tot actionibus accusas, eundem in Cluentiana Praetorem Vrbanum sanctissimum vocas et diligentissimum. Verum cur publica commemoro? politica enim haec sunt, et ad civilem in gerendo magistratu dissensionem pertinent. Venio nunc ad oeconomica seu domestica. Terentiam coniugem, ex qua Tullium sustuleras, quam tenere

ac molliter lib. XIV ad Famil. adamare ac praedicare visus es? eandem mox Attico scribens et vituperas, et scelerate fecisse commemoras. Quod dissidium eo usque processit, ut in divortium eruperit, virginemque postea duxeris: ut illa C. Sallustio nupsit. Sed de his infra fortasse copiosius.

Transeo ad excusandi conatum. Affirmari idem modo, et modo negari, inconstantis esse ecquis neget? qualis Gnathonis illa apud Comicum in Eunucho sermo:

Ait quis, aio; negat, nego. Postremo imperavi egomet mihi,
Omnia assentari; is quaestus nunc est multo uberrimus.

Senarius quoque Graecorum exstat:

Τὸν αὐτὸν αἰνεῖν, καὶ ψέγειν ἀνδρὸς κακοῦ.

ac veteri proverbio id genus homines saepius perstringuntur, ut *Polypo ac Proteo mutabiliores, Chamaeleonte versatiliores. Euripo* denique sursum versum recurrente *instabiliores. Quod fretum* (ait in Mureniana Orator) *quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio Comitiorum?* Verum deesse, quo venia dignus ipse videatur, equidem non arbitror. In studiis enim opinionibusque literarum ac philosophiae sententiam interdum migrare quid vetat? Diei enim prioris, ut P. Syri mimus ait, discipulus dies est posterior: idque non sine exemplo summorum in philosophia virorum, Platonis et Aristotelis, qui et secum ipsi pugnant interdum, et ab aliis non raro dissentiunt. Aristoteles etiam, in physica praesertim Auscultatione, priorum

sententias aliter saepe recitat, quam ab ipsis sint pronunciatae, quo refellat pronius ac plausibilius: quod est ibidem a Simplicio, docto interprete, ut observatum, sic etiam explicatum uberius. Fit etiam nonnunquam, ut ex vulgi sensu coram plebe loquendum sit; alias ex sapientum sententia longe sint diversa pronuncianda. Idem etiam vir virtutem vitio commutans, nunc laude, nunc vituperatione dignus esse videatur. Adhuc academicum fuisse Ciceronem quis ignorat? qua in Academia nova illud valuit:

Nullius addictus iuravi in verba magistri:
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.

Igitur in singulis philosophorum sectis, quid placeret potissimum complexus, nunc Socraticus est ac Platonicus, nunc Stoam Zenonis sequitur: Peripateticos etiam nonnunquam, Epicureos quoque minime contemnit, sed ita, ut ipse fatetur, nihil ut affirmet: quaerat omnia, dubitans plerumque et sibi ipse diffidens. Denique, ut Dialogorum mos est, τὸ πρέπον servat religiose, ut personae, quae inducuntur, sectae suae sensum quaeque sequantur. Quo fit, ut peccata dixerit aequalia in Paradoxis, quae M. Bruto Stoico obtulit: nunc imparia peccata pronunciet. Deos idem invisibiles ait lib. I de Natura Deorum C. Velleius Epicuri sectator; quos visibiles contendit e Platonis sensu in Timaeo, quem dialogum latine transcribebat. Divinationem modo tollit, modo confirmat, sed variis inductis personis; disputante libro priore fratre Q. Tullio, Stoico, altero vero libro M. Tullio Academiae causam agente. Exilium pro A. Caecina orans, non supplicium, sed supplicii perfugium portumque nominat; in Paradoxis

vero sceleris poenam vocat. Quo modo et in carcere variatum, poena ne sit, an reorum custodia: qua tota de re et in Catilinae coniuratione Caesaris atque Catonis sententiae discreparunt. Existit et hic nodus, quem supra cap. 1 attingere memini, quod eidem M. Catoni scripserit Tullius, se ex eorum numero esse, qui gloriam contemnendo despicatui ducerent; alibi autem non semel laudis se cupidum studiosumque fateatur. Duplicem enim philosophando III Tusculana gloriam facit, *veram* et *inanem*. Hanc temerariam atque inconsideratam, et plerumque peccatorum vitiorumque laudatricem auraeque popularis nunciam esse; illam contra solidam quandam rem et expressam, non adumbratam, quae sit debita virtuti merces ac praemium. Hanc se minime repudiare profitetur: illam fugere se, veluti umbram capi nesciam, praedicat. Vix enim reperitur (ait I Offic. et pro C. Rabirio perduellionis reo) qui laboribus periculisque aditis non quasi mercedem gestorum veram illam desideret gloriam. Stoicos vero si sequaris, facile haec quaestio profligabitur: neutram esse virtute praedito gloriam spectandam: quod, ut tota Tusculana V disputat, seipsa contenta sibi virtus merces sit, recteque factorum conscientia solatium.

CAP. V

Num dicax Orator? calumnia confutata. Dicacitatis Ciceronis exempla in Philosophos et Historicos libros de iocis M. Tironis videri.

Dicacem quoque Ciceronem et salibus dicteriisque plus aequo delectatum aiunt adversarii; ut et odia sibi multorum inimicitiasque pararit, eorum potissimum, qui vel privatim odissent, vel adeo delicati essent, ut urbanitate etiam, quaeque dentibus ac felle carerent, facetiis offenderentur. Hinc M. Cato iunior severus ipse aut tetricus potius Stoicus (ut in Ciceronis vita Plut. refert) audita eius pro L. Murena actione, qua Stoicorum παράδοξα salse irrisit: *Quam ridiculum*, ait, *Consulem habemus*. L. quoque Papirius Paetus *scurram velitem* nominabat. *Consularis* item *scurra*, teste Macrobio lib. II Saturn. cap. 1. sed ab inimicis, dictus. Plutarchus ad satietatem usque dicteriis abusum refert, ut et κακοηθὴς *malignus* idcirco sit habitus. Verba adscribam: Ἡ δὲ περὶ τὰ σκώμματα καὶ τὴν παιδίαν ταύτην εὐτραπελία, δικανικὸν μὲν ἐδόκει καὶ γλαφυρόν. χρώμενος' δὲ αὐτῇ κατακόρως, πολλοὺς ἐλύπει, καὶ κακοηθείας ἐλάμβανε δόξαν. Iterumque: Κικέρων δὲ πολλαχοῦ τῷ σκωπτικῷ πρὸς τὸ βωμολόχον ἐκφερόμενος, καὶ πράγματα σπουδῆς ἄξια γέλωτι καὶ παιδιᾷ κατειρωνευόμενος ἐν ταῖς δίκαις, εἰς τὸ χρειῶδες, ἠφείδει τοῦ πρέποντος. Quod autem immodice iocando hostes pararit, ibidem commemorat: Τὸ μὲν οὖν πρὸς ἐχθροὺς σκώμμασι χρῆσθαι πικροτέροις, δοκεῖ ῥητορικὸν εἶναι, τὸ δ' οἷς ἔτυχε προσκρούειν ἕνεκα τοῦ γελοίου, πολὺ συνῆγε

μῦθος αὐτῷ· Quo etiam pertinet amarum illud Io. Lascaris, Graeci hominis, in Tullium epigramma, lib. IV Tullianarum cap. 16, a nobis allatum:

Hinc inde, hinc illic sedet is, residetque, vagatur,
Ardelio, Consul ridiculus, levis est.

Verum dicacitatis Tullianae, pace tua Lector, exempla colligam. Officiorum I in Cynicos invehitur, nec immerito fortasse: altero vero in Panaetium, virum apprime doctum, incurrit. III vero libro, in Romulum, urbis Romae conditorem caeloque donatum; de quo sic Ennius accinebat:

Romulus in caelo cum Diis agit aevum.

Vel, ut integre quidam legunt:

—— cum Diis genitalibus aevum
Degit. ——

Quo etiam moriente deficere sol hominibus exstinguique visus est. Sic enim ille: *Peccavit, pace vel Quirini, vel Romuli dixerim. Quum enim visum esset utilius solum quam cum altero regnare, fratrem interemit.* Qui in Vrbis aeternae auctorem adeo iniurius ac maledicus exstitit, quomodo quaeso parceret Philosophis atque Historicis? Socratem enim Tusculana V reprehendit, quod Archelaum, Perdiccae F. qui tum fortunatissimus haberetur, beatum esse negaret. Atqui unum illum Apollo Pythius e tripode sapientissimum mortalium, quod se nihil scire praeter id unum modeste fateretur, praedicavit. Qui e caelo Philosophiam in terras devocavit atque adeo in domos familiasque introduxit: aliis nimirum relinquens mandansque caelestium rerum commentationem, contentus morum philosophiâ, ut hominum usibus maxime necessaria.

Theophrastum Academicarum Quaest. lib. I damnat, virum cum dicendo suavem, tum ita moratum, ut prae se probitatem quandam et ingenuitatem ferret; quod vehementius fregisset veteris disciplinae auctoritatem, virtutemque suo decore spoliasset imbecillamque reddidisset: quodque negavisset in ea sola positum esse beate vivere. Epicurum adhaec, ut indoctum argumentandique rudem, saepius perstringit; asserens summum hominis bonum corporis voluptate, qua sensus titillantur ac permoventur, metiri solitum: quando alii animi voluptatem, non corporis interpretentur: qua tota de re disserere copiose et Laur. Vallam, hominem Romanum, singulari libro memini.

De historicis autem, Herodotum Historiae, quam primus adornavit, Graeciae prope parentem, libro I de Legibus, ut innumerabilibus refertum fabulis, damnat: ibidemque Theopompum, Chium genere, Isocratis cum Ephoro auditorem, vanitatis arguit. Reprehendit et in Oratore, quod vocalium concursum studiose nimis vitaverit: elationeque dicendi (ut in Bruto ait) Philisti ac Thucydidis luminibus sit obstruere conatus. Quod et Photius noster CP. Bibliothecae Cod. CLXXVI, copiose testatum reliquit. Apponam latine, ut nos pridem convertimus: *Ne temere quidem aut praeter rationem primas sibi vindicasse Theopompum, quum demonstrativi generis orationes non pauciores quam viginti millium versuum conscripserit; quin et supra quindecim versuum myriadas, in quibus Graecorum ac Barbarorum res gestas hactenus narratas legere liceat. Adhaec vero nullum ait esse Graeciae alicuius pretii locum urbemve, quo non ipse pervenerit, publiceque perorans magnum decus ac virtutis in dicendo suae monumentum reliquerit. Haec de se ipse pronuncians, eos, qui apud*

saeculum prius dicendo claruerunt, aetatis suae Oratoribus longe postponit, ac ne in secundis quidem subsistere posse affirmat; clarumque id esse vel e scriptis utrorumque et orationibus ad posteros transmissis. Sic Photius. Quamobrem ne quid praevaricari calumniando videar, non iniuria notat Cicero Herodotum quidem, ut fabularum patrem: Theopompum vero ut elatum: utrumque autem fabulosae vanitatis redarguit. Plutarchus quoque de Herodoti malignitate idem singulari libello pronunciavit.

Ceterum de Sophistarum numero Gorgiam Leontinum in Oratore Cicero perstringit, ut numeris abutentem insolentius (numerosa enim oratione maxime delectabatur) atque arrogantius in conventu poscere quaestionem solitum. Ponere enim quemque iubebat, de quo quis audire vellet, ait Tuscul. I, et I de Orat. et II de Finib. Aegyptios autem dementiae M. Tullius insimulat lib. de Nat. Deorum, quos tamen discendi gratia Pythagoras et Plato aliique adierint; ad quos adeo Dii gentium ac Iupiter ille Opt. Max. familiariter diverteret, prandiaque (teste Homero, poëtarum principe, Iliad. A) agitaret. Ridet, nec immerito, Orator noster, ut et Satyra XV Iuvenalis, Aegyptiorum superstitionem et εἰδωλομανίαν: qua et allia ac feles in Diis, sed qui in hortis suis nascerentur (o caecitatem!) numerarint: ita Cicero lib. I et III de Nat. Deor. et Strabo lib. XVII Geograph. Belluas vero eadem natio utilitate consecrabat, et quidem omne fere bestiarum genus. Bos illic sanctus, quem Apin nominabant. Eo denique dementiae prolapsa gens est, ut quamvis carnificinam (teste eodem Geographo atque in Tuscul. V Disput. Tullio) prius subierit, quam ibim, aut aspidem, aut felem aut canem, aut crocodilum violaret, nedum occideret. Redeo ad Ciceronem, cuius

iocorum libros tres Tiro Tullius libertus collegerat, ut auctor est M. Fabius lib. VI Institut. Orator. cap. 3, his verbis: *Vtinam Quintus et libertus eius Tiro, aut alius, quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsisset; et plus iudicii in eligendis quam in congerendis studii adhibuisset, minus obiectus calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, ut in omni eius ingenio, facilius quid reiici, quam quid adiici possit, invenient.* Haec Quintilianus: qui tametsi dubitet, Tironis tamen potius quam Quinti fratris opus fuisse credam. Ille enim eos processus, patroni opera, in literis fecerat, ut et κανὼν et censor scriptorum ipsius fuerit: eiusdemque epistolas suis admiscere non dubitarit; ut ait epist. 18 lib. XVI. Quem etiam Gellius lib. XIII Noct. Attic. cap. 9, liberaliter ab eo, iam inde a puero institutum, socium et administrum studiorum Ciceronis fuisse testatur. Asconius quoque Paedianus auctor est, libros IV de Ciceronis Vita scripsisse Tironem. Quid multa? certe Macrobius Tironis fuisse iocorum libros suis etiamtum temporibus creditum ait. Verum enim vero quoniam illi libri temporum iniuriam effugere non potuerunt, feremus eorum desiderium leviter lectis Ciceronis iocis, quae a Quintiliano lib. VI, cap. 3, a Seneca Rhetore Controversia XVIII, Plutarcho in vita Cic. et Apophthegmatis, ac Macrobio lib. II Saturn. cap. 3, adferuntur: additis et aliorum iocis ac ridiculis, a Tullio ipso lib. II de Oratore ad Q. Fratrem exempli gratia allatis, traditisque praeceptis, ut et a M. Fabio, capite de Risu, veluti Oratori futuro necessariis. Quae quidem Ciceronis de Oratore pars, ut obscura, implicata ac perdifficilis, lucem doctissimi Turnebi commentationibus nuper accepit. De illis autem sic Macrobio II Saturn. cap. 1: *Ani-*

madverto duos, quos eloquentissimos antiqua aetas tulit, Comicum Plautum et Oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum venustatem ceteris praestitisse. Et Tullius ipse Papirio Paeto scribens, lib. IX, epist. 16, pro suis dumtaxat iocis sese ac Caesarem familiarem ea agnovisse, quae leporis multum venustatisque et acuminis haberent: *Caesar*, inquit, *habet peracre iudicium: et, ut Servius frater tuus (quem literatissimum fuisse iudico) facile diceret: Hic versus Plauti non est; hic est: quod tritas aures haberet notandis generibus Poëtarum ex consuetudine legendi; sic audio Caesarem, quum volumina iam confecerit* Ἀποφθεγμάτων, *si quid adferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reiicere solere.* De eodem ipso Caesare salibus et ipsum valuisse I Offic. ait: *bene loquendi de Catulis opinio non minor; sale mero conditus et facetiis Caesar.* Adhaec Volumnius Eutrapeli cognomentum urbanitatis gratia invenit, Oratori nostro perfamiliaris: cui etiam lib. VII, Epist. penult. salium facetiarumque dilectum mandasse apparet. Vrbane enim iocans cum Eutrapelo, salinas, hoc est, ut equidem interpretor, sales non satis diligenter collectas queritur. Omnium enim in se dicta, ex quo discesserat, etiam Sextiana, conferri. Itaque sperabat se reliquisse notata genera dicteriorum suorum, ut cognosci sua sponte possent: qualia lib. II de Orat. sub Antonii persona disputata de Ridiculis ἔντεχνα et arguta reliquisset. Idem Oratione pro Cn. Plancio: *Ego*, inqnit, *quia dico aliquid aliquando, non studio adductus, sed contentione dicendi aut lacessitus: et quia, ut fit in multis, exit aliquando aliquid si non perfacetum, attamen fortasse non rusticum: quod quisque dixit, me id dixisse dicunt. Ego autem si quid est, quod mihi scitum esse videatur, et homine ingenuo dignum atque docto, non aspernor: stomachor*

vero, quum aliorum non me digna conferuntur. Idemque Cicero L. Flaccum repetundarum reum, teste Macrobio lib. II Sat. cap. 3, ioci opportunitate de manifestissimis criminibus exemit. In qua quidem oratione illud ridiculum occurrit: *Quum coronam aureis literis imponebant, revera non plus aurum tibi, quam monedulae committebant.*

CAP. VI

De Ridiculis apud Ciceronem.

Itera-dum eadem ista mihi ut lepida, inquies. Ego vero ac libenter; quod ab urbanitate naturâ minime abhorream, et quidam ex Aristotelis, Peripateticae scholae principis, sensu, eiusque, quo de agitur Ciceronis ac M. Fabii aemuli mente, disseram. Hi enim de ridiculis ad vitae usum et ad Oratoris decorum disserunt. Aristoteles lib. IV Ethic. ad Nicom. cap. 8, urbanitatem in medio collocat: quales faceti homines Graecis *εὐτράπελοι* quasi *εὔτροποι*, id est, *versatili ingenio praediti*, nominantur, idemque *dexteros* appellare videtur, quod dicant audiantque, quae libero atque ingenuo sunt homine digna. Nam quod nimium est aut parum, quia utrimque abest a medio, in vitio cubat. Videtur autem hominum vita requiete, hoc est, animi relaxatione, et iocis ludisque indigere: sine quibus tetrica fit ac tristis hominum conditio; et atrae bili vir quisque *σκύθρωπος ἢ μισάνθρωπος* tabique appareat obnoxius; qualis Timon ille hominum osor et Hippolytus fuisse perhibetur: de quo Homerus, Cicerone interprete:

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Interest igitur, quis et apud quos et quales ac quemadmodum sales iaciat. Qui enim in risu movendo nimii sunt, modumque non servant, scurrae videntur, φορτικοί sunt, hoc est, ut equidem interpretor, *molesti ac pene intolerabiles*. Quo in genere vetus olim Comoedia peccavit, et Latinorum duo, Plautus, teste Horatio in Art. Poëtic. vs. 270, itemque Martialis Bilbilitanus. Contra vero, qui nec ipsi salse quidquam ac ridicule dicere possunt, et dicteriis offenduntur, agrestes, et insulsi homines habendi sunt: ut quibus nihil insit leporis ac venustatis, sed hebetes ac stupidi censendi. Vnde illud a Catullo iactatum:

O seculum insipiens et inficetum.

Et: *Idem inficeto est inficetior rure.*

At qui concinne et lepide salibus ac iocis opportune utuntur, faceti atque urbani nominandi. Nominibus autem variis id genus hominum efferimus. *Vrbani* enim dicti ab urbis sermone, et in his doctorum: cui contraria sit *Rusticitas. Venusti* quoque, quod cum gratia quadam ac severe dicant. Ad haec *salsi*, pro ridiculis, quae salsa esse oporteat; quod Orator Atticorum dicit esse proprium: unde et *merum sal* Hispani hodieque de ridiculo usurpant, ut et Comicus Afer:

Qui salem habeat, qui in te est.

Salsum igitur, quod non insulsum. Vt enim sal in cibis leniter aspersus, si tamen immodicus non sit, palatum afficit voluptatemque affert; sic hi quoque in dicendo sales audiendi sitim faciunt ac recreant. *Facetum* autem non in ridiculis modo domicilium

habet, sed migrationes in alienum locum varias; quas Rhetorum filii *Translationes*, metaphoras Graeci nominant. Elegantiam enim excultam interdum significat, ut in Epistolis Cicero Bruti illud usurpat: *Nae illi sunt pedes faceti!* Tribuit et Q. Flaccus *Molle atque facetum* P. Virgilio.

Iocum autem accipimus, quod est *serio* contrarium. *Dicacitas* vero a dicendo, qui sermo cum risu aliquo incessit. Ideo Demosthenem *urbanum* fuisse aiunt, *dicacem* negant, inquit M. Fabius Quintil. lib. VI, cap. 3; Macrob. lib. II Saturn. cap. 3, et Plut. in comparat. Ciceronis et Demosth. *Ridicula* item generatim dicta, quae a Graecis disputatio περὶ γελοίου inscribitur. De *Vrbanitate* Domitius Marsus diligentissime, quae interciderunt, conscripserat. *Dicteria* denique Cicero noster, Corn. Nepoti familiari scribens apud Macrobium lib. II, cap. 1, quae breviter et acute dicta essent, appellavit. Definit Fabius *Vrbanitatem* virtutem, qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neque sensu, neque verbis, neque ore gestuve posset deprehendi; qualis Graecis Atticismus fuit. Dividit autem *Ridiculum*, ut sit aliud in rebus, aut factis: aliud in verbis, seu dictis. Tertium denique genus, quod e mediis rebus constat, quae risum varie moveant, vel ex nobis, vel ex aliis. Materia vero Ridiculorum est in istis vitiis (ut ait secundo de Oratore), quae sunt in vita hominum, neque carorum, neque calamitosorum, neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi; eaque belle agitata videntur. Est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum. Vitandum itaque Oratori utrumque, ne aut scurrilis iocus sit, aut mimicus. Quapropter ne dicet quidem salse Orator (inquit

Fabius lib. VI, cap. 3) quoties poterit; vitetque propositum illud Ciceroni, ut puto, tributum: *Amicum potius, quam dictum perdidi.* Immo dictum potius aliquando perdet, quam auctoritatem minuat. Nemo enim patronum in miserabili causa iocantem ferat; ac ne in capitali quidem accusatorem. Et sunt interdum iudices tristiores quam ut risum ferant. Solet quoque nonnunquam accidere, ut quod in adversarium iacimus, in nostrum redundet caput. Frangit interdum iram odiumque iocus opportunus: ut Pyrrhum Epirotarum regem, ut in eius vita refert Plutarchus, et Fabius lib. VI, cap. 3 initio, et Val. Maximus lib. V, cap. 1. Audierat enim Tarentinos iuvenes in vino et epulis largius de se locutos: quumque rationem facti reposcerentur, quod negari non posset, neque defendi, risu sunt elapsi. Vnus enim ex iis, *Immo*, inquit, *nisi vinum nobis defecisset, prae illis quae de te dicturi eramus, quae relata sunt, ludus et iocus fuissent. Occidissemus enim te.* Quae simplex veritatis confessio regis iram in risum convertit, eaque urbanitate criminis est periculum depulsum.

Venio nunc ad Ciceronis de multis pauca ridicula, ut in Verrem Actione VI, sed ut ab aliis dictum, *fore ut omnia verreret*, quum diceretur *Verres.* Herculi quoque, quem expilaverat, *molestiorem*, ait, *fuisse apro Erymanthio.* Sacerdotem adhaec malum, cui Verres successerat, *qui tam nequam Verrem sacrificasset*: quasi porcum sacrificasse oportuerit. Quum in eodem Verris iudicio testem roganti dixisset Hortensius: *Non intelligo haec aenigmata. Atqui debes*, inquit Cicero, *quum sphingem domi habeas.* Acceperat autem ille a Verre aeneam ingentis pretii sphingem: ut in Ciceronis vita Plut. et Fabius lib.

VI, cap. 3, commemorant. Et pro A. Caecina in Sex. Clodium Phormionem testem Cicero ait: *Non minus igitur niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus Phormio.* Idemque memorata Vatinii (in quem et peroravit odiumque exercuit) morte, incerto tamen auctore: *Fruamur*, ait, *interim usura.* Quum autem post vivere cognovisset: *Male pereat*, inquit, *qui male mentitus est*, ut refert Plut. in Cic. Et occurrenti Ovinio cum liberto, quum interrogasset: *Satin salvae res?* et dicenti *Salvae: Mortuus igitur est.* Illa quoque M. Ciceroni aliquando, sed non in agendo, exciderunt. Quum coqui filius candidatus prensando suffragium coram eo eblandiretur, subiecit, auctore Fabio lib. VI, cap. 3: *Ego quoque tibi iure favebo.* Quo in ioco etsi Donatus in Adelphos Terentii, *quoque*, pro *coce*, constituat (*q* enim et *c* mutuas invicem interdum operas in pronuntiando praestant) tamen in *iure* ἀμφιβολίᾳ latere dicterii venustatem arbitror. Quale illud apud Plut. de P. Cotta, qui haberi iurisperitus affectabat, quum indoctus esset et iners. Eum Cicero ad testimonium dicendum in quadam causa citavit. Nihil quum diceret se scire: *Putas fortassis*, inquit Tullius, *te de iure interrogari.* Dissimulavit et Cicero quum Sex. Annalis testis reum laesisset, et instaret ei identidem accusator: (ut Fabius ibidem ait) *Dic, M. Tulli, numquid potes de Sex. Annali dicere?* Coepit ille versum de Q. Ennii Annali sexto recitare:

Qui potis ingentes causas evolvere belli.

Obiurgantibus quoque amicis, quod repudiata Terentia sexagenarius Popilliam virginem duxisset: *Cras*, inquit, *mulier erit.* Quumque M. Lepidus in Senatu Patribus Conscriptis dixisset: *Ego non tanti fecissem*

simile factum: subiecit Cicero: *Ego non tanti fecissem* ὁμοιόπτωτον, ait Macrobius lib. II Saturn. cap. 3 Lusit nimirum in schemate *Similiter cadentium*, ut ille propemodum *Desinentium*. Ex his dicteriis (cetera enim non colligo) facile intelligas, cur dicax sit habitus Cicero, ac prae illo severus ac veluti σκύθρωπος Atheniensis Orator Demosthenes.

CAP. VII

Obsoletisne vocibus et quatenus sit usus Cicero?

Exstaret Statilius Maximus de singularibus apud Ciceronem positis, a Fl. Carisio Sosipatro laudatus, nullo negotio profligari haec quaestio posset; sed quia temporum iniuria nobis hos libros invidit, tentandum est aliquid paucis, de multis sive naevis, sive, si mavis, virtutibus Tullianis ordine collectis. Exorti enim sunt non pauci, qui Ciceronis, ut ipsi quidem nominant, naevos diligenter annotarint: virtutes contra, quae illis numero praeponderant, caecutientes non observent. Non secus atque muscas vulneribus iumentorum libenter insidere, sanis autem partibus non item, monent Basilius ille Magnus eiusque contubernalis Gr. Nazianzenus. Totum vero aliquem non naevo aut crepundiis, sed corpore omni velle cognoscere, cordati profecto est viri. Alcaeum quoque Poëtam (ut hoc Orator lib. I de Nat. Deorum; illud vero in Bruto de claris Orat. refert) naevus in pueri articulo, et si corporis macula est, delectabat, lumenque hoc illi videbatur; sic et acutius ii cernunt, qui virtutes ponderum momentis maiores

praepollere existimant vitiaque obtegunt. Talia in P. Terentio optimo latinitatis auctore alii adnotarunt. Verum Oratorem nostrum haec facile purgabunt, cur rariora aut singularia interdum adhibuerit vocabula; nimirum veterum ante se Poëtarum phrases, ut in philosophicis disputationibus Accii et Pacuvii multa occurrunt, aut Hellenismos esse dixeris, aut Archaismos: aut certe hac similive praefatione, ut ita dicam, ab illo molliri, aut denique ius sibi auctoritatemque cudendi novas voces Tullium usurpasse. Singularia autem haec merito videantur:

Abstergebo.
Adulta.
Admirabilitatem facere.
Albatus.
Appetitas et *Lentulitas.*
Beatitas, pro *beatitudine.*
Cernere haereditatem.
Compromissum.
Debitio, pro *debito.*
Desperare saluti.
Dies reliquas, pro *reliquos.*
Domo me tenui, pro *domi.*
Exaggerare rem familiarem, pro *augere.*
Exsorserit, pro *exorta sit.*
Extrahere rem.
Fulviaster, lib. XXII ad Attic.
Hilarus et *Hilara vita.*
Inante diem.
In discrimen et *potestatem esse*, bis in Maniliana.
Indolentia.
Impatibilis.
In frontem inscriptum.
Illudere existimationi.
Intercapedo, lib. IX Epist. 22, qua tamen voce filium usum lib. XVI Epist. videas.
Latere mihi valeat, Catilin. II interpolante Lambino.
Latinienses.
Multissimus, ut *Ipsissimus.*
Nigror, pro *nigredine.*
Non modo, pro *non modo non*: ut in Variis Lect. Muretus lib. X, cap. 7, annotat.
Nummatio.
Opinatio.
Pastio.
Petessunt, pro *petunt.*
Possunt oculi, pro *valent.*
Potiri pacem, pro *pace*, ut Terent. *Potiri commoda.*
Puniuntur, pro *puniunt.*
Quidem certe.
Quatefacio, epist. 4 ad Brutum: ut *vacuefacio* in Catilin.
Rotundare.
Sciscere pro *sancire.*
Semigrare, pro M. Coelio.
Sequestrium, ibidem.

Terminalia.
Tornare.
Victum.
Viridicata silva, pro *viridi*, epist. 1, lib. III ad Q. fratrem.
Vt essem, pro *qualis.*
Vt es, pro *ut facis*, vel *soles*: aut *ignarus* exaudiendum: *Quod si, ut es, cessabis, facessam.*

His subtexam et alia, per saturam a me olim in adversaria relata, et nunc ordine utcumque digesta:

Abortio.
Acervatim.
Actuosus, ut infra, *suspiciosus*, *vultuosus*, *laboriosus*, et *imperiosus.*
Adipale.
Aegrimonia.
Aggregare.
Arbitraretur, pro *crederetur.*
Amandare.
Assentatoria.
Atratum.
Audientia.
Braccati; ut Pomp. Mela: *Totum braccati corpus.*
Cancelli.
Celebrari.
Coaequare.
Commodare.
Conciliatricula.
Confisio.
Conflictio.
Conscelerati.
Contemptio.
Corollarium.
Disceptare.
Discriminare.
Enucleare.
Esseda.
Essedarii.
Expultrix, in Tuscul.
Exulcerare et *exulcerata causa.*
Fistulator.
Furenter.
Hebetabat, id est, *hebes erat.*
Illecebra.
Imperiosus, qui imperium teneat, ut: *Imperiosorum populorum et regum illustrium.*
Interpretata, passive: *in re controversa atque interpretata.*
Laboriosus.
Largiter.
Mastrucati.
Meditatum, passive, ut *conceptum.*
Mensarius.
Mirabiliter et *Mirifice.*
Mirificatio.
Moestitia.
Morigerari.
Navicularia, ut *argentaria.*
Obsolevit.
Opacare.
Ordinare.
Ordinatim.

Ostiatim.
Pacificatoria legatio.
Pedetentim.
Periclitari.
Praesidium stativum.
Praecipitare, passive.
Primoribus labris.
Principatus.
Procrastinare.
Quadrare.
Quotenorum iugerum, ut *ducenorum*. Sic Plaut. *Quotumo die*, ut *septimo.*
Receptum, ut *promissum.*
Relaxare.
Revertissem, pro *reversus essem.*
Sermocinari.
Superbiloquentia.
Suppeditare, passive, pro *suppetere.*
Suspiciosus.
Tibicini modi, ut *Ludus fidicinus.*
Turpificari.
Vultuosus.
Zonarii, ut *Tabernarii* et *Tabellarii.*

Tale illud Ciceronis est in Maniliana orat. quod equidem post Agellium lib. I Noctium Attic. bis ibidem repetitum docui in Nodis Ciceronis, cap. 6: *In potestatem esse.* Quibus nunc plura adiicio: videri simile Plautinum illud: *In mentem fuit*: et Terentianum:

Vbi me videt esse in tantum honorem.

Quin et Orator Divinatione in Verrem: *Quae in amicitiam populi Rom. ditionemque essent.* Et: *Vt in uberrimas Siciliae partes Siciliam quaereremus*, pro, *parte uberrima.* Item: *Tua scelera dii immortales in nostros milites expiaverunt:* et lib. X ad Attic. *Quo die in Tusculanum essem futurus*, pro *venturus.* Praepostera quidam haec, si ad praeceptionum regulas grammaticarum exigantur, sed graeca sunt imitatione expressa: quibus haec usitata ὑπὸ χεῖρα, et ὑπ' ἰσχὺν, *in potestatem esse.* Item: ὑπ' αὐγὰς *in luce* frequens est. Talia sunt: στέλλειν ἐπ' οἴκου; et ἐπῆλθεν ἐπὶ φυλῆς. Itemque Homericum illud Iliad. E, vs. 327, et Iliad. A, vs. 400:

Νηυσὶν ἐπὶ γλαφυρῇσιν ἐλαυνέμεν —
Naves ad concavas currum dirigeret.

Sed illud quale tandem est, quo ut incongrue loquutum M. Antonium graviter Cicero in Philippicis reprehendit. Sic enim ille gravis Oratoris hostis:

An illa contumelia est, quam facit dignus!

Terentium tamen et Plautum *Contumeliam facere* dixisse non raro est observatum. Ille enim:

Quin novo modo ei faceres contumeliam.

Idem etiam *Dicere contumelias* dixit Comicus. M. Plautus vero in Asinaria:

Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?

M. Fabius ita M. Antonii locum accepit, ceterique sunt insequuti: at melior eorum sententia est, merito id exagitatum a Cicerone videri, quod diceret: *quam facit dignus*, pro, *qua afficitur dignus*: ut esset, *Contumeliam facere*, sicut *damnum*, *iacturam*, *flagitium*, *ruinam*, pro *perpeti*, sensitque Antonius, non putandam contumeliam, qua afficeretur, qui ea dignus esset. Quemadmodum et ille apud Comicum male dicere se negat, qui ea diceret, quibus alter dignus esset. Quis autem, obsecro veterum sic loquutus est, ait Cicero, aut nunc audiat loqui? Clara haec explanatio inspicienti cum diligentia locum, assentientibus et Turnebo et Mureto, Galliae ocellis. *Piissimum* quoque, quia Ciceroni displicuit, bonum probumque vocabulum esse non posse existimemus. Addamus, si placet, et alia e Tullio, sed depravate edita singularia. Adfert enim Corn. Fronto e libro I de Repub. Cicer. *Vt ad eam urbem, quam incolas, possis adnare.* Amicus singularis Simon Bar-

ravius Tolosas, ut et literarum, sic et Iuris peritissimus, vetere mihi olim necessitudine coniunctus, legendum videri per epistolam monuit: *utque eam urbem, quam incolas, possis adornare.* At similiter legi queat *adnavigare*, vel *adiuvare*. Difficilius vero illud e lib. XV ad Atticum, epist. 26 considerando mihi proposuit, ut a doctis hominibus plane deploratum, ut et asterisci notam affixerint; Manutius etiam ut depravatum assequi se posse negaret. Atqui desperatis morbis fieri medicinam vetat Hippocrates: tentandum tamen aliquid post tot eruditos, sanari an locus, aut certe sensum elicere queat. Seb. Corradus ita legebat: *Octavam partem tolli luminarium aedium ad Streniae memineris.* Memineris, inquit, nisi res impediatur, tolli octavam partem luminarium earum aedium, quae sunt ad Streniae fanum, et sane Cicerones in Carinis aedes habuisse apparet epist. 3, lib. II ad Q. Fratrem et Pub. Victori regione IV, caput sacrae viae a Carinis oritur ab Streniae sacello. Pet. Victorius ait audisse se qui legeret pro *Tulli luminarium medium*, *Tullianarum aedium*: is vero Dionysius est Lambinus, sed coniectura verius quam librorum ductus auctoritate. Leon. vero Malaspina pro *Tulli* reponebat *tuli*, pro passus sum, et exaudit *tolli*, interpungitque: *memineris cur Caerellia.* Simo Bosius doctiss. I. C. legit et explicat: *Octavam partem tuli luminarium in aedium ἄθυρα. ne memineris cui Caerellia.* Iunius autem Fr. e Glossario, *astranea*, iuncta voce, pro *ad Straneae,* hic comminiscitur ingeniose. Ego vero Barravio propemodum assentior, ut interim aliorum in re dubia solertiam minime contemnam, ita e vestigiis scripturae veteris reponenti: *Octo pedes tolli luminaria aedium ad Streniae memineris*: hoc est, octo pedes altius tolli lumi-

naria aedium mearum ad Streniae aedem memineris. Et vero Iurisprudentes de servitutibus Vrbanorum praediorum disserunt Pandectarum libris, et Barn. Brissonius lib. I Antiquit. Iuris.

Addamus denique et illud e M. Fabii Dialogo de Oratoribus sui saeculi: huius enim potius quam Corn. Taciti videri iam diximus, quod prooemio libri VI Institut. Orator. vindicare sibi Rhetor videatur, quum se librum de causis corruptae Eloquentiae emisisse dicat. *Priores*, inquit, *Ciceronis Orationes non carere vitiis antiquitatis. Lentus in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus. Tarde commovetur, raro incalescit, pauci sensus optimi: ac veluti in rudi aedificio firmus sane paries, sed non satis splendens.* Quae de antiquitatis vitiis notat, eorum pauca accipe. Libris enim de Inventione *Confirmandi genera compluria* dixit, pro *complura*; quod in Terentii Phormionem Donatus annotat. Ex Oratione vero pro M. Tullio Decula (quem Consulem anno post Rom. conditam 672 cum Cn. Dolabella Fasti exhibent) haec Priscianus adfert: *Hoc iudicium sic exspectatur, ut non unae rei* (pro *uni rei*, ἀρχαϊκῶς) *statui, sed omnibus constitui putetur.* Idemque grammaticus adfert ex Orat. pro Vareno (sic enim e M. Fabio legendum, non Varrone): *Ea caedes si potissimum crimini datur, detur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit. Cuia* dixit antique, quod *cuius* longe frequentius; ut *Cuium pecus* Maro dixit rustice potius quam urbane, ut in eius Vita admonet Donatus, seu quis est alius auctor.

Senis adhaec Ciceronis oratio canescere coepit, quum remissius et lenius, ut L. Crassus primus ostendit, dicebat. T. Atticus quoque, libro de Legibus primo, ita ad Ciceronem: *Te ipse*, inquit, *mutasti et aliud dicendi*

genus instituisti, ut quemadmodum familiaris tuus in senectute numeros in cantu reciderat, ipsasque tardiores fecerat tibias, sic tu a contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid, ut iam oratio tua non multum a Philosophorum lenitate absit. Hinc etiam *gradarium* vocari arbitror a L. Seneca epist. ad Lucilium XL. Propria haec nimirum humanarum rerum conditio, ut senio non languescant modo corporis vires, sed et animi vigor fatiscat. Tullii tamen in M. Antonium Philippicae dicendi decus, secunda potissimum, retinere videantur.

CAP. VIII

An Soloecismi in Cicerone?

Romanae principem eloquentiae quis merito, nisi impudens et interiorum literarum ignarus, soloecismi accuset? quo nullum vitium aeque Latinitati contrarium: quod literatores Graeci appellant paulo clementius σολοικοφανὲς, vitiumque est, inquit Aelius Donatus, in contextu partium orationis contra rationem artis Grammaticae factum. Si quid autem perturbatum in Tullio occurrat, neque ad praeceptionum regulas respondeat, non statim damnandum obeloque fodiendum. Hoc enim si permittitur, ποταμῶν χωρῶσι πηγαι, quod vetere verbo dici solet, quum non loqui nos Ciceronem doceamus, sed ab ipso potius discere debeamus. Quare tantum abest ut talia quasi libera et vaga in veterum scriptis reperta soloecismi vocandi sint, ut ornamenta etiam atque flosculi putari debeant. Qualia multa parentum memoriâ audax Grammaticorum cor-

rectorumque ignoratio vel abiecit atque obliteravit, vel mala manu contaminavit. Huiusmodi ut posthac in veterum scriptis occurrentia damnare, quod magnae et intolerabilis audaciae fuerit, desinant, non pigebit in praesens unum et item alterum Ciceronis locum, totidemque Terentii ac Maronis excutere, et probam esse monetam ostendere. Adfert in Ciceroniano Dialogo Desiderius e Ciceronis epistola nescio qua: *Diu commorans Athenis, quoniam venti negabant solvendi facultatem, erat animus ad te scribere.* Rectum erat futurum e Grammaticorum praeceptionibus, et ἀκόλουθον, *diu commoranti Athenis erat animus ad te scribere*; ut oblitus videatur Orator quid antea posuisset, et sic incongrue intulisse: utque festinatio relegendi quae scripsisset facultatem negarit. Verum studio id factum nullus dubito, idque Graecorum frequenti exemplo. Sic enim Plato de Legibus; *Ογε προάγων λόγος. ὅγε μὴ ἀπείργασται, βούλομαι ὑμῖν εἰς τὸ μέσον αὐτὸ θεῖναι.* Rectum erat futurum *Τοῦδε προάγοντος λόγου.* Praetereo Xenophontis, Demosthenis ac de Poëtis Homeri, Euripidis, Sophoclis et Aristophanis plurima loca, quae a C. Budaeo ac Ioachimo Germano allata memini. Nos quum Latina hic tractemus, graecis exemplis ad ostentationem cumulandis supersedemus. Similia appendamus: sic enim Lentulo Tullius: *Cetera quae ad te pertinebunt, quum etiam plus contenderimus quam possumus, tamen faciemus quam debemus.* T. Attico quoque lib. X: *Multas a te accepi literas eodem die omnes diligenter scriptas: ea vero, quae voluminis instar erat, saepe legenda, sicuti facio; in qua non frustra laborem suscepisti.* Vides hic cogitationem a *literis* transisse ad *epistolam*, rescribendumque fuisse: *eae vero, quae voluminis instar erant, saepe legendae.* Et alibi: *Interverso regali hoc dono graviter nos tu-*

lisse: pro *interventum esse regale hoc donum*. Tale est illud P. Terentii, quem lectitasse assiduo Oratorem paret:

> *Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis obiectus labor,*
> *Omne quod est interea tempus, priusquam id restitum est,*
> *Lucro est.*

pro *nobis omnibus*; item:

> *Restitue me in quem accepisti locum,*
> *Et quasi non renunciata tibi haec sint, sic fore.*
> *Mihin' quisquam?*

Tale et hoc Maronis X Aeneidos, quod immutandum negant Critici:

> *Postera lux, mea si non irrita dicta putabis,*
> *Ingentes Danaum spectabis caedis acervos.*

Vulgo enim editur, *spectabit caedis acervos*. Et lib. XI:

> —— *Solium tibi, meque timoris*
> *Argue, tu Drance.* ——

Nec dubium quin transtulerit Graecorum illud: δόξαν δέον εἰωθός. ibidemque vs. 126:

> *Iustitiaene prius mirer belline laborum?*

et rursum vs. 280:

> *Veterum memini laetorque malorum*

Horatianum vero illud lib. IV, Oda 7, quam vagum perturbatumque videatur?

> *Donarem pateras, grataque commodis*

Alii enim *commodus* legendum censent, et lib. I, Oda 37 de Cleopatra:

Fatale monstrum, quae generosius
Perire quaerens ——

Item lib. II, Oda 17:

— *quid moror altera* (*pars*)
Nec carus aequae etc.

Non enim ad verba, sed ad sensum structura aptatur: ut et illo Comici:

Vbi illic scelus est, qui me perdit?

Omitto reliqua, quae iam interpretum diligentia atque industria commode explanat. Mitto et illam olim a doctis agitatam hominibus quaestionem, ab Apollonio, Diomede et Fabio: utrum uno tantum verbo soloecismus esse queat, ut barbarismus: nam de his quidem satis superque.

CAP. IX

An Philosophus Cicero censendus?

Qui Philosophorum numero M. Tullium eximunt, nae illi praeposteri sunt atque iniqui ingeniorum censores: quum primus ille Romanorum, ut passim gloriatur, philosophiam Graecorum propriam latina civitate donarit ad posterosque transmiserit: cuius postea vestigiis insistentes, atque adeo scripta eius illustrantes, ut M. Fabius Victorinus libros de Inventione Rhetorica et Boëthius Severinus Topica

Commentario explananda susceperunt : ut et Aurelius Macrobius, nuperque a nobis e Belgica Bibliotheca erutus Favonius Eulogius, Carthaginensis Rhetor, e sexto de Repub. libro, P. Scipionis Somnium, hoc est Sphaeram prope universam, exposuerunt, Philosophi sane titulo iudicarunt. Lactantius adhaec Firmianus (quo Christianorum ad Ciceronem propius accessit nemo) Tullium modo *perfectum,* modo *summum*, modo *Romanae Philosophiae principem* honoris gratia appellare non dubitat. Quid? M. Fabius, B. Augustinus Hipponensis Episc. parentumque memoriâ Rodolphus Agricola, decus Frisiae, nonne sua ex eius fontibus hauserunt? Augustinus profecto, lecto eius Hortensio, qui liber de laudibus erat Philosophiae, adeo admirari se solitum scribit, nihil ut requireret hic amplius, praeter IESV CHRISTI nomen. Huius etiam libri lectione ad Christianae, hoc est, verae philosophiae contemplationem incensum se fuisse ingenue confitetur lib. III Confess. cap. 4, et lib. VIII, cap. 7, et principio libri de Vita Beata. Idemque Doctor Epist. LVI ad Dioscorum Ciceronis commendat lectionem; ut et literas, quas vocamus Humanitatis, tanquam Aegyptiorum idola, veluti spolia ab iniustis possessoribus, legendo Platonicorum libros, vindicanda censuit lib. VII Confess. cap. 9, et lib. II de Doctrina Christiana, cap. 18 et 40; itemque Hieronymus epistola ad Magnum Oratorem, et nós pluribus supra lib. I Tullianarum Quaestionum cap. 30. Equidem si fas est iudicium interponere, quandoquidem Hortensius Ciceronis malo publico intercidit, de Tusculanis ipsius Disputationibus, quae est de Animi domandis perturbationibus ac virtutis praestantia accurata disputatio, idem cum Augustino pronunciare ausim. Similiter et de Officiorum ad

Filium aureo libello: quem non modo legendum assidue sinuque gestandum, sed ad verbum ediscendum C. Plinius maior prooemio ad Vespasianum suadet. Q. adhaec Catulus olim, teste Lactantio lib. VI, cap. 2, in eo ipso Hortensio loquens, et philosophiam rebus anteponens omnibus, malle se dicit vel unum parvum de Officiis libellum, quam benelongam orationem pro seditioso homine Cornelio. Nunc singula discutiamus.

Quoniam vero Philosophia in tres est distributa partes: in Naturae obscuritatem; in disserendi subtilitatem; in vitam atque mores, ut ait in Lucullo, qui primus est liber Academicarum Quaestionum: et lib. II de Oratore singulas propemodum partes Tullius pertractavit. In dialecticis quidem Topica conscripsit, quibus facit studiose, ut sequatur aureum dicendi flumen Aristotelem, quo modo in eodem ipso Lucullo nominat. Quae Topica quoniam Iuris exemplis in C. Trebatii Iurisconsulti gratiam non passim obviis ornavit, eo sunt visa plerisque difficiliora: leguntur tamen illustrata hodie ab eruditissimis etiam iuris interpretibus Ant. Goveano et Achille Statio, Lusitanis, post Boëthium et Agricolam, ut iam diximus. Est et Sebastiani Foxii Paraphrasis ac Scholia: et Pet. Velleii Guevarae Commentarius. Physica fortasse non plene pertractasse demus, nisi quod Deorum naturam tribus sit libris complexus, ac de Divinatione rerum futurarum cum Q. Tullio fratre duobus libris disseruerit accurate. Verum enimvero principem eam philosophiae partem, quae est de vita et moribus, nemo Romanorum, quum a Cicerone discesseris, copiosius tradidit aut disertius. Clamant quae in manibus sunt, quaeque Oratoriis sese adaequarunt, philosophiae volumina.

In his de expetendis fugiendisque rebus libris duobus disseruit. De Republ. item et optimo civitatis statu, Platonis exemplo, libris sex: etsi magnam partem temporum iniquitate perierunt*; de legibus quoque libris egit tribus, conformatis ad exemplum XII Tabularum, eiusdemque Philosophi Platonis. Sed testem ipsum domesticum audiamus. Sic enim Tusculana V: *Socrates primus Philosophiam devocavit e caelo et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Cuius multiplex ratio disputandi, rerumque varietas et ingenii magnitudo Platonis memoria et literis consecrata, plura genera efficit dissentientium Philosophorum. E quibus nos id potissimum consectati sumus, quo Socratem usum arbitramur: ut nostra ipsi sententiam tegeremus, errore alios levaremus, et in omni disputatione quid esset verisimillimum quaereremus.* Quum igitur disserendi subtilitatem Stoici potissimum ad se raperent, ut hinc etiam dialecticos Orator nominet non raro: naturae vero obscuritatem Physici esse Philosophi in eo studio consenescentis (quam Medicus, auctore Aristotele, excipiat) satis constet; ipse morum Philosophiam sibi reique publicae utiliorem fore iudicavit. Merito itaque, ut lib. de Natura Deorum scriptum reliquit, non mediocrem a prima aetate in hac Philosophiae parte curam operamque consumsit: et quum minime videretur, tum maxime est philosophatus. Quod et orationes declarant refertae Philosophorum sententiis: et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus eius floruit: et principes illi Diodotus, Philo, Antio-

* Horum librorum magna pars, e codicibus palimpsestis cura Clariss. idemque Doctiss. ANGELI MAII eruta, haud amplius desideratur. Prodiit Romae eiusdem Viri Cel. animadversionibus instructa, anno proxime praeterlapso, hac eadem forma. ED. TAUR.

chus, Posidonius, a quibus est institutus. Quo in studio hoc etiam versabatur attentius, quod, ut ait, in Bruto, sublata iam esse ratio iudiciorum videretur. Phaedrum itaque Epicureum principio valde ut Philosophum probavit, ut ait lib. XIII ad Fam., epist. 1; Philonem mox Academicum, qui Mithridatico bello cum Atheniensium optimatibus Romam fugisset, domi audivit: ut in Bruto et I de Natura Deorum refert: quem in Lucullo Clitomachi facit auditorem. Hinc etiam aetate maturior, quum vicesimum iam annum excessisset, *Diodoto Stoico* domi suae in dialecticis operam dedit: quem *suum* nominat epist. 4, lib. IX ad Famil., ut quidem emendat inibi Pet. Victorius, homo in Ciceronis lectione diu multumque cum laude versatus; quum *Diodorus*, diversus ab eo Philosophus, in editis passim vulgaretur; dissentientibus hic etiam inter se Lutetiae Ramo atque Turnebo. Hunc ipsum Diodotum caecum fuisse et Geometriae (quis credat?) peritissimum lineas ut ductarent monstrasse, Tuscul. V commemorat, mortuumque scribit, et centies HS sibi reliquisse testamento, T. Attico lib. II, epist. 20, refert. Mortuum inquam, Caesare et Bibulo Coss. anno post Romam conditam DCXCIV. Auctor est quoque ipse in Bruto et Tacitus, seu potius Fabius Dialogo de Orat., Ciceronem apud Philonem Academicum et Diodotum Stoicum Romae omnes Philosophiae partes penitus hausisse. Audivit et (Plutarcho in eius vita attestante, Strabone item lib. XIV, et I de Finibus, et I de Natura ac de Fato) Rhodi etiam Posidonium Apamiensem e Syria Stoicum: aetatisque anno octavo ac vicesimo Athenas quum venisset, ut idem auctor est, Antiocho Ascalonitae veteris Academiae verbo quidem Philosopho, re autem ipsa,

si pauca mutasset, germanissimo Stoico, operam navavit, ut legas lib. I de Legibus, I de Nat. Deor. in Bruto et in Lucullo. Epicureos quoque ibidem duos cum Attico frequenter audivit, Phaedrum, et Zenonem, ut in libro II de Finibus, et I Tuscul. affirmat. Quae quum ita sint, videtur a Posidonio et Diodoto Stoicam sectam; a Phaedro et Zenone Epicuream; a Philone et Antiocho Academicam; a Cratippo, Stasea Neapolitano, et M. Pisone Peripateticam, ab aliis aliam haeresim hausisse, quas in libros de Finibus bonorum et malorum retulerit, et in Academicis ac Tusculanis Quaestionibus explicarit. Academicum tamen se potissimum professus sic in Orat. scribit: *Fateor me Oratorem, si modo sim, aut etiam quicumque sim, non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse.* Catoni quoque Stoico Philosopho de Stoica disciplina scribens prolixe lib. XV ad Famil., epist. 4, sic praedicat: *Haec, quae mihi tecum communis est societas studiorum atque artium nostrarum, quibus a pueritia dediti atque devincti, soli propemodum Philosophiam illam veram et antiquam, quae quibusdam otii esse, ac desidiae videtur, in forum et in Remp. atque in ipsam aciem pene deduximus.* Grandior iam et sexagesimo secundo aetatis anno, quum unius Caesaris Dictatoris dominatu (verbis ipsius utor perlibenter) omnia Romae tenerentur, ad Philosophiam, cui multum adolescens discendi causa temporis tribuerat, se retulit, et sapientiae studium longo spatio intermissum revocavit: ut copiosius quidem lib. II de Offic. affirmat; brevius vero Tuscul. initio sic profitetur: *Philosophia,* inquit, *iacuit, usque ad hanc aetatem; nec ullum habuit lumen literarum latinarum; quae illustranda et excitanda nobis; ut si occupati profuimus aliquid ci-*

vibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi. Igitur non dicis, quod aiunt, gratia philosophatum M. Tullium per omnem prope aetatem, quantum Reipub. negotia patiebantur, constat; non paucis, ut ille apud Ennium censuit faciendum Neoptolemus, lib. II de Orat. Eant itaque qui hanc Oratori nostro philosophanti laudem auferunt, homines ignari atque obscuri: qui eos demum Philosophos falsa quadam opinione nominant, qui rustice atque adeo barbare loqui id demum philosophari esse iactant, tantumque ab Eloquentia recesserunt,

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Quod si verum esse Philosophum barbarum concedamus, Platonem, quo nemo inter Graecos Attica lingua disertior exstitit, Philosophum fuisse negemus oportet. Si enim, quod res est, Dialecticae Rhetorica ἀντίστροφος est, altera ex parte respondens, et mutuas praestant operas: quod illam pugno, hanc palmae extensae Zeno compararit; certe barbara non toleranda Logica, si deserta Oratoria est. Et sapientiae si coniungenda Eloquentia est, ne infans plane sit ac muta; ut ipse passim Orator omnisque adeo schola decantat; dubitabimus adhuc, an quia dicendi laudem Tullio tribuimus, philosophandi ac ratiocinandi adimere iure possimus? Sunt namque ut virtutes inter se omnes nexae, sic et artes omnes ac disciplinae, ut Liciniana ait, arctissimo vinculo colligatae. Nihil itaque inepti homines efficiunt, qui ita ratiocinantur: Orator est; Philosophus ergo non item: non magis quam si Philosophus fuisse neges Socratem, Platonem et Aristotelem, at Poëtas simul et Philosophos Empedoclem, Parmenidem, Cleanthem, Xenophanem, Timonem et Epicharmum Siculum; quod ut eorum fragmenta

adhuc reliqua ostendunt, versibus philosophica complexi sint, pluresque apud Athenaeum et Clementem Alexandrinum alii existant; apud Latinos T. Lucretius Carus, Ciceronis familiaris, Epicurea dogmata libris sex, qui manibus sunt, pertractavit: ut et medica Nicander, et siderum formas situsque carmine Aratus descripsit. Sed Aristoteleis quoque ac Peripateticis huius quidem aevi brevi respondeam necesse est. Qui dum Aristotelem ut oportet legunt, quin eloquentiam imitantur? quem aureum dicendi flumen Cicero iure nominat, quin divinam eius methodum proponunt, qua via ac ratione et diserte Tullii exemplo de re quavis proposita disserere queant? si enim Academicus (fatendum est enim) Cicero, nihilque certi in rebus pronunciat, nec in unius verba Magistri iuravit; quidni illi concedamus quod sibi licere Stagirita, ut a Platone (quo per annos viginti doctore est usus) per invidiam saepe discederet, existimavit. Quo etiam nomine mulus, qui matrem ferit, identidem est appellatus, ut in Parallelis eius atque Demosthenis, seu de coniungenda Philosophiae Oratoria, olim disseruimus. Sed referent fortasse atque occurrent etiam hodie Graeci, qui cum Argyropylo, teste Politiano, ut Philosophiae ignarum Tullium incessunt, quod ἐντελέχειαν in Tusculanis *perennem quandam ac continuatam motionem* in animae definitione sit interpretatus, odio nimirum adducti; quod fidem Graecae nationis, ut vanae in iudicio, Orat. pro Flacco elevarit. Nimirum

—— Manet alta mente repostum
Iudicium Tulli ——

Verum hanc de Graecis controversiam lib. IV Tullianarum Quaestionum cap. 13 et 21, profligavimus.

CAP. X

An vitiosus Poëta Cicero? Παρήχημα, *Echo et* Echoinus versus, *qui vulgo male* Leoninus *appellatur.*

Poëtam minime malum fuisse Tullium, immo omnes, qui suam antecesserant aetatem, pangendis versibus facile superasse e Plutarcho ceterisque iam docuimus, lib. I Tullianarum cap. 28. Reprehendunt tamen aemuli versum hunc Ciceronis; quin et Iuvenalis Satira X irridere est ausus:

O fortunatam, natam me Consule Romam!

Quae syllabarum iteratio vocis desinentis et inchoantis tantum abest ut Critici vitio dandum existimarint, ut etiam imitandum sibi duxerint, quod posteriores etiam Poëtas mire id affectasse observarint. Vnus enim omnium instar Tibullus, eques romanus, et casti sermonis ac suavis auctor, plerumque syllabas studio geminat: ut, ne longius abeam, statim in limine:

Me mea paupertas vitae traducat inerti.

Qualia M. Ant. Muretus ibidem et Ioannes Garzonius Venetus plura alibi in cultissimo illo Poëta ad calculos revocarunt. Παρήχησιν autem vel Παρήχημα Rhetorum filii Schema nominant ἀπὸ τοῦ παρηχεῖν. Budaeo *Adnominationem*, nobis *Resultationem* nominare latine liceat, ut in Poëtis antiquis, praesertim Marone, Iovianus Pontanus *Alliterationem* solitus est appellare. *Echo* vero a Latinis *Vocis imago* redditur a Marone, Horatio Flacco atque adeo Cicerone: quam sic Aristoteles in Problematis sectione XIX definit ἀφὴ

φωνῆς τῆς νεατῆς ληγούσης. Et Evodus Poëta lib. IV Anthologiae:

> *Ηχὼν μιμολόγον, φωνῆς τρύγα, ῥήματος οὐρήν.*
> *Sum sermonis equa, ac vocis faex, caudaque verbi.*

Virgilius autem, IV Georg. vs. 49, vim Echus eleganter exprimens:

> — — — *aut ubi concava pulsu*
> *Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.*

et Ausonius Gallus ep. XII:

> — *reboat nemorum vocalis imago.*

Horatius vero Oda 12, lib. I Carm.

> — *cuius resonat iocosa*
> *Vocis imago.*

Rursum Oda 20:

> — — — *ut iocosa*
> *Redderet laudes tibi Vaticani*
> *Montis imago.*

Ad quae vetus interpres Porphyrio *Imaginem* quasi *imitaginem* literarum subtractione derivat. Cicero autem Tusculana III de gloria verba faciens: *Ea*, inquit, *virtuti resonat, ut imago.* Sic enim nuper in Nodis Tullianis lib. II, cap. 22 sublato glossemate de membranis antiquissimis, reposuimus. Quidam enim nimis officiose addunt *τὸ voci*: et Turnebus reponendum censuit, *ut imago gloriae*, lib. II Adversariorum cap. 6 pro plausu. Verum ego Varronianum illud hic usurpem: *Cras credam, hodie nihil.* Redeo ad schema, quo et usos video in Epitaphiis sibi, dum viverent, condendis Poëtas duos, Cn. Nae-

vium et M. Accium Plautum, apud Gellium lib. I Noctium Attic. cap. 24. Ille epigramma hoc sibi Campana quadam superbia posuit:

Mortales immortales flere si foret fas,
Flerent Divae Camenae Naeviom Poëtam.

Plautus vero sepulcro inscribendum curavit:

Scena est deserta, dein Risus, ludus iocusque,
Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.

Vbi Turnebus idem lib. X, cap. 12, *Numeros innumeros* pro vincta ac soluta oratione seu prosa accipit, ut Ausonius:

Innumeros numeros doctis accentibus effer.

Sed haec Critici viderint: mihi hic quidem παρήχησις magis placet, quae figura Lucretio ac Maroni et, ut diximus, Tibullo mire placuit. Lucretius enim similiter lib. II de Rerum Natura:

Seminaque innumero numero, summaque profunda,
Multimodis volitent aeterno percitu motu.

Rursum lib. III:

Et spectare immortales mortalia membra
Et numero innumero certareque praeporeranter.

Sunt et alia Lucretiana talia:

—— *vera ratione repulsa.*
—— *et clara loca candida luce.*

Virgilius vero plurima habet, a Pontano singulari Dialogo observata, ut: *Fama malum. Date tela. Stuppea flamma manu.*

Et III Aeneid. vs. 183:

> —— *casus Cassandra canebat.*

Et lib. VII, vs. 192:

> —— *patriaque Latinus*
> *Sede sedens.*

Et lib. XI, vs. 124:

> —— *o fama ingens, ingentior armis.*

Propert. lib. II:

> *Colchis Colchiacis urat ahena focis.*

De Historicis vero T. Livius ab V. C. *Interea dedite prophanos: nos*; in his enim iisdem literis singulae dictiones inchoantur: ut praeter Plautum, qui haec saepe affectat, Terentii illa crebro occurrunt: *Tantam tam improvisam*, et *consilia consequi consimilia.* Rursum:

Mihi ostentatam tam brevem, tam optatam, tam insperatam, item: *Fatue fateor: illa illico: adeam ad eam:*

aliaque. Sed ad Ciceronem, cuius causa agitur, redeamus et e multis pauca notemus. In P. Scipionis Somnio e lib. VI de Rep. sic de luna: *Citima terris luce lucebat aliena.* Et ad M. Brutum, referente Quintiliano lib. IX, cap. 4: *Res mihi invisae visae sunt.* Et alibi: *Statua tua stabat.* Et: *Difficile factu est, est enim. Dicta esse dicebat. Ad eas tres res. Eum qui faceret, facere civibus omnibus.* Et in Caeliana: *Vnquam quemquam.* Rursum in Pisoniana: *Sed ne quo modo fieri quidem posthac possint, possum ullo modo suspicari.* Et primo de Orat. *Hos quos nos*

Oratores vocaremus. Alibi vero : *Omnia quidem praeclara rara.* Non igitur inusitatum id, ut quibusdam visum, quum et in graecis tragicis, Euripide et Sophocle, et Homero consimilia observarit elegantissimus Muretus lib. I Variarum Lectionum cap. 15. Desinant itaque adversarii haec reprehendere :

O Fortunatam natam etc.

et illud lib. I Offic.

Cedant arma togae; concedat laurea laudi.

sic enim e Pisoniana Ciceronis legisse quosdam pro — *laurea linguae* adnotat Pet. Victorius Lib. V Variarum Lectionum cap. 24, pro quo vulgo verius legitur : *concedat laurea linguae*, ut et Quintilianus lib XI Institut. et in Ciceronem Sallustii nomine declamatio atque Plutarchus, ut sup. cap. 1 docere memini, ut nihil repetere sit necesse. Sed hoc agamus : exstat et lepidum hoc Epigramma lib. IV Florilegii, Tit. 1 velut *ἠχοῦς παράδειγμα* Gauradae poëtae :

Αχὼ φίλα μοι συγκαταίνεσόν τι; τι.
Ερῶ κορίσκας, ἁδέ μ' οὐ φιλεῖ; φιλεῖ.
Πρᾶξαι δ' ὁ καιρὸς καιρὸν οὐ φέρει; φέρει.
Τὺ τοίνυν αὐτᾷ κερμάτων τὺ δὸς; τὺ δὸς.
Αχὼ, τί λοιπὸν ἢ ποθοῦ τυχεῖν; τυχεῖν.

De his forsitan Martialis lusit lib. II, Epigram. 86:

Nec retro lego Sotade Cinedum,
Nusquam praecula quod recantat Echo,
Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Ab *Echo* autem *Echoieus* seu *Echoinus versus* de-

rivandus est potius quam inepte, ut vulgo fit, *Leoninus*. Qualis ille Maronis IX Aeneid. vs. 634:

I nunc et verbis virtutem illude superbis.

sic enim appellare malo cum Had. Iunii Nomenclatura, Servium Honoratum de metris sequutus, quam ut *Leonini carminis* rationem reddere cum Iul. Caesare Scaligero, lib. de Poëtica, coner. Equidem ad Ciceronis versus quod attinet, numeris minime vitiosos, quemadmodum adversarii censent, sed probe resultare arbitror. Natam enim Remp. Romanam, quod e L. Catilinae faucibus erepta salva permansisset, initio Catilinariae tertiae praedicat: iurene optimo, an gloriose nimis, supra capite 11 iam dissernimus. Arma vero seu sagum togae cedere I Offic. lib. Tullius contendit: contra vero sui oblitus causaeque subserviens in Mureniana arma togae praeferenda censuit: calidum nimirum et frigidum ex eodem ore efflans: qua de re et cap. 4 disputatum uberius.

Nunc in Homero schema hoc consideremus: quod Hermogeni rhetori subtilissimo est, cum in sermone duae, tres quatuorve dictiones aut nomina aut verba quis efferat, sono quidem affinia, re autem et notione diversa: ut Πείθει τοι Πειθίων. et Ευπείθει πείθοντο, Odyss. Ω vs. 464; et illud apud Suidam: Ανέπλασε Πλάτων πεπλασμένα ὀνόματα: forte de Cratylo Platonis iactatum. Item tritum illud antiqui scriptoris: Σώμια μία ναῦς. Rursumque Homericum, de Bellerophonte Iliad. Z, vs. 201:

Ητοι ὁκαππεδίον, τὸ 'Αλήϊον οἶος ἀλᾶτο:
Ονθυμὸν καθέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνον.

Quos versus M. Tullius III Tusculana sic reddidit:

Qui miser in campis moerens errabat Aleïs,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Tale Hesiodium illud: — φυλέα φίλον μακάρεσσι θεοῖσι. et Theocriti quaedam atque in Odyssea Homero frequentata; ut in Iliad. A Eustathius est auctor, ad illud vs. 404:

Αἰγαίων ὁ γὰρ αὖτε βίᾳ οὗ πατρὸς ἀμείνων.

Bifariam resultare hanc figuram, sic concludens; ὀρθῶς καὶ ἀντιστραμμένως. *Directe*; ut illud: Ευπείθει πείθοντο. *Inverse*; ut inversis literis, θυμὸς καὶ μῦθος: λέπας καὶ πέλας; Lycophr. Horum rursum alia in scriptura, alia in consonantibus: ut ἔδδεισαν, οὐ δέ τ' ἔδησαν Illiad. A, vs. 406. Saepe etiam utroque fieri assolet, Homero Odyss. Λ, vs. 83:

Εἴδωλον δ' ἑτέρωθεν ἑταίρου πολλ' ἀγόρευε.

Siracides capite 35, versu 4: Μὴ ὀφθῇς ἐν προσώπῳ κυρίου κενός. Quod in vulgata est: *Non apparebis ante conspectum Domini vacuus.* Aliter etiam καινὸς legi hic notat Eustathius. Quo ex loco colligere liceat, eius etiamnum aetate αι diphthongum non ut αϊ, sed ut latinus *ae* per *e* efferri solitam, contra atque hodie recentiores, Aldus, Desiderius et Mekerchius disputant. Talia quoque et illa attico ritu constructa, verbo iterato, ut eidem poëtae Iliad. I: — ὅσκεν ἀρίστην βουλὴν βουλεύσῃ. Proverbia et hic Eustathius laudat: Ηλῳ γὰρ ἧλος, κατὰ παροιμίαν: *Clavus clavo pellitur*, quod Aristoteles Polit. emendandum censet: et affine esse: Πάσσαλος πασσάλῳ. Addamus et illud in quo παρήχησις est, adagium: Ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία. *Fervet olla, viget amicitia.* Idem Scholiastes ad illud Iliad. Δ, vs. 168: ἀπάτης κοτέων, resonare illi atque

referri ait, *ὅρκια πάτησαν*. De quo et Aristophanis interpres in Plutum, ibi: *Στεφανώδης κοτίνου στεφάνῳ*: idem observat, quod ut dixi, prolixe ad Iliad. A, vs. 404 Eustathius. Audio et Io. Morisotum, Dolae apud Sequanos Medicum peritissimum, de Parechemate olim literis quaedam consignasse, ut idem Cic. Paradoxa stoica ante Turnebum graece convertit: sed ea videre non contigit.

CAP. XI

Superior an inferior Demosthene Cicero?

Exstaret Caecilius Calantianus domo Siculus, qui, teste Suida, Demosthenis ac Tullii comparationem descripsit, noster hic comparandi labor supervacaneus fortasse videri posset: etsi hoc nomine Caecilium Plutarchus initio Demosthenis, et Photius noster in Bibliotheca audaciae nomine arcessant, quod nimis ubique temere inconsulteque ausus esset collationem Ciceronis cum Demosthene proferre. Quod iudicium ferre Plutarchus de stylo quidem defugit, quamvis Romam, sed affecta iam aetate, commigrarit. Dionysius tamen Longinus, cognomento Criticus, audacior paulo non recusat committere invicem utriusque Oratoris dictionem. Sic enim libro de Sublimi dicendi Genere ad Terentianum, ut nunc editus est limatior, cap. 10 de Cicerone *σύγκρισιν* inchoans ait, quae adscribere, etsi lib. II Tullianarum a nobis allata, non pigebit: *Copiosissime Cicero tanquam pelagus quoddam, in apertam et porrectam multis in locis diffunditur magnitudinem. Vnde credo hic quidem Orator in dicendo affectibus concita-*

tior, ignei vigoris multum retinet; nec non animosae et inflammatae concitationis. Demosthenes vero, in amplitudine et maiestate consistens, non quidem friget, sed neque tam volubilis est et contortus (ut mihi quidem videtur) in nonnullis aliis quam in istis. Haec vero dico, quatenus etiam nobis, ut graecis hominibus, de istis aliqua cognitio et iudicium. Atque Cicero ipse a Demosthene, quoad magnitudinem, differt: huius enim sublimitas brevis et concisa est maiori ex parte: Ciceronis vero fusior et copiosior; et noster quod vi, celeritate, item robore et vehementia veluti incendat rapiatque simul obvia quaeque, procelloso cuidam turbini ac fulmini commode assimilari possit. Cicero autem, mea quidem sententia, ceu ingens quoddam incendium, undique depascitur omnia et sursum volvitur, multam et constantem semper retinens inflammandi vim: alibi tamen aliter apud ipsum distributam, continuatione vero et successione nutritam. Sed de his vos demum ipsi melius iudicare potestis. Demosthenicae porro et sublimi orationi datur commode locus, tum in ipsis exaggerationibus grandioribus, tum in vehementioribus perturbationibus, adeoque quotiescumque auditorem perterrefacere necesse est: fusae contra orationi ubi perfundendus seu fovendus tanquam infusione quadam auditor. Locorum enim tractationibus, perorationibus, item maiori ex parte digressionibus, enarrationibus omnibus, demonstrationibus, historiis et physicis tractationibus, et non paucis aliis partibus, apta et congrua oratio fusior et copiosior. Haec Longinus de utroque Oratore, in quibus Demosthenicae, quae densior est, et Tullianae, quae fusior et copiosior, orationi sit locus. Similem adhaec Deus utrisque naturam indidit, ut e Plutarcho initio Demosthenis, et M. Fabio lib. X, cap. 1 vitisque

a nobis olim comparatis, Olympiade 114, anno III nunc docebimus. Vterque honoris et gloriae cupientissimus; libertatis ambo et Reipub. amantissimi; in periculis et armis timidi; rerum varietati, quae in hac vita accidunt, subiecti, ex obscuris et mediocribus potentes et magni evaserunt; qui regibus et tyrannis sese obiecere: filiam singuli unam habuere et ante obitum amisere; virtutes in ambobus dicendi pleraeque similes; consilium item, ordo dividendi, praeparandi, probandi ratio; omnia demum quae orationi subiiciuntur. Elocutionis tantum diversitas fuit aliqua. Demosthenem enim constat esse densiorem; Ciceronem autem copiosiorem: illum concludere astrictius: pugnare hunc latius: illum acumine; hunc frequentius pondere: illi nihil detrahi posse: huic nihil addi: curae plus in illo; in hoc naturae. Eodem item aetatis tempore in forum progressi causas agere coeperunt; Tullius septimo et vicesimo anno, teste Agellio lib. XV Noct. Attic. cap. 38. Gravem uterque Reipublicae causa adversarium sustinuit: ille Philippum, Macedonum regem; hic in Consulatu coniuratos Catilinae, ac denique M. Antonium, Reip. constituendae IIIvirum, in quem ut ille in Philippum XII, sic XIV Philippicas illius titulo et exemplo conscripsit. Exulavit uterque et revocatus est. Demosthenes ad Chaeroneam: sic Pharsalico proelio fuga salutem sibi Tullius quaesivit. Mors quoque violenta utrique accidit immerenti, eadem prope aetate; ille sexagesimo, noster vero climacterico, tertio et sexagesimo aetatis anno: quos et Iuvenalis Sat. X deplorat:

Eloquio sed uterque perit Orator, utrumque
Largus et exundans letho dedit ingenii fons.

Adhaec Philippicas, ut iam dixi, uterque reliquit:

duodecim ille: hic quatuordecim: ille ad Philippi epistolam in iis semel peroravit; hic ad M. Antonii epistolam Philippica decima tertia verba faciens singula prope verba exagitat. Exterorum iudicia veluti diribitores collegimus: nunc Romanum Oratorem, sed arrogantius sese iactantem, audiamus. *Nobis*, inquit Cic. in Oratore, *non satisfacit ipse Demosthenes, qui quamquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas; ita sunt avidae et capaces, et semper aliquid immensum infinitumque desiderant.* Vnde et Quintilianus ait: *Nec ipsi Ciceroni Demosthenes satis videtur esse perfectus, quem dormitare interim dicit.* Idemque Fabius, diligens Ciceronis ubique defensor, sic utriusque virtutes oratorias comparat lib. X, cap. 1, ut Romanum Oratorem tribus potissimum praeferat: puta salibus atque urbanitate, quod alter tetricus nimis ac rigidus, quo etiam nomine ab Aeschine apud Dionysium Halicarnasseum reprehenditur (lib. extremo de stylo Demosth.) dehinc commiseratione; aculeos enim in peroratione relinquens regnabat Cicero vincebatque aequales. Sic enim in Oratore ait: *In miserationibus, etiamsi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant: in quo, ut viderer excellere, non ingenio sed dolore assequebar.* Sic pro L. Murena, et pro T. Annio Milone, et pro Corn. Balbo peroravit. Denique Epistolis anteponit: in quibus, inquit, etsi exstent utriusque, nulla contentio est; ibidem quoque C. Sallustium Demostheni propiorem facit, ut Thucydidis aemulum: quem Historicum octies sua manu Demosthenes transcribendo edidicerat, ut refert Lucianus lib. in librorum multitudine tumentem, et Agathias lib. II Hist. et Suidas in Stagira. Subiicit idem M. Fabius, rhetor et

censor acerrimus: *Attici, praeclusis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant; tristes ac ieiuni Pollionem aemulantur, otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, iurant Ciceronem ita loquutum fuisse.* Plinius denique minor Calvum Oratorem Demostheni propius accessisse quam Ciceronem pronunciat. In quam sententiam Seneca Rhetor Controversia XIX concedere non dubitat: *Cuius*, ait, *Calvi compositio in actionibus ad exemplum Demosthenis riget: nihil in illa placidum, nihil leve est, omnia excitata et fluctuantia.* Causa in promptu, quod Asianus Cicero, Atticus Demosthenes: hic concisus ac strictus; ille torrentis instar redundans, ut et doctissimus docet Turnebus Advers. lib. XXVIII, cap. 22. Finiam B. Hieronymi comparatione: *In M. Tullium*, inquit lib. de Vita Clericorum, *illud pulcherrimum elogium est: Demosthenes tibi praeripuit, ne esses primus Orator; tu illi, ne solus.*

CAP. XII

Felixne an infelix in uxore et liberis Cicero? Degeneres fere doctorum liberi. Quinti Tullii cum filio interitus.

Mirandum sane quo naturae vitio accidat, praestantium virorum liberos plerumque degenerare, immo, quod Graecorum proverbio iactatur, τῶν ἡρώων τέκνα πήματα, noxios non raro esse probrumque familiae adferre: itemque probis parentibus nasci interdum improbos videas. Ne plura colligam exempla, est domesticum Tullii in manibus, de quo sic Seneca

Rhetor Suasoria VII: *M. Tullius, filius Ciceronis, nihil ex paterno ingenio habuit praeter urbanitatem*; et in Severo Augusto Aelius Spartianus cap. 20: *Reputanti mihi, neminem prope magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse satis claret. Denique aut sine liberis viri interierunt* (ut Romulus, Numa, Camillus, Scipio, Demosthenes, Virgilius, alii), *aut tales habuerunt plerique, ut melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere. Quid de Caesare? quid de Tullio dicam? cui soli melius fuerat liberos non habere. Quid de Augusto? qui nec adoptivum bonum filium habuit, quum illi eligendi potestas fuisset ex omnibus*. Plura eius generis nobis suppeditant cum veteres, tum novae historiae. Pericles, qui eloquentia sua tonare ac fulgurare dictus, duos reliquit filios stupidos, et tertium Cliniam, furiosum etiam. Aristides quoque, Iusti cognomento, nullius rei filium est nactus. Hippocratis quoque filii degeneres in proverbium cesserunt. Thucydidis adhaec filii duo paternae virtuti non responderunt, ut docet apud Platonem Socrates. Demosthenes quoque Orator, quem Tullius ad imitandum proposuit, talibus exemplis commotus, dixit, ut testatur Aristides Rhetor in Cimone: *Τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἱμαρμένη εἴη, φαύλους ἀποβαίνειν υἱούς*. Huc pertinet Theognidis illud:

Εἰδ' ἦν ποιητὸν, καὶ ἔνθετον ἀνδρὶ νόημα,
Οὔποτ' ἂρ ἐξ ἀγαθοῦ πατρὸς ἔγεντο κακός.

Filiolo itaque auctus M. Tullius anno ante Consulatum, qui erat Vrbis cond. 689, L. Iulio Caesare, C. Marcio Figulo Coss. ut T. Attico scribit, salva Terentia coniuge, quam Paedianus *Fabiam*, Plutarchus *Fabiam Terentiam* appellasse videtur: de qua dicen-

dum prius. Cum hac enim annos plurimos sine querela coniunctissime vixerat, laborum adversorumque socia, ut liber ad eam liberosque quartus-decimus Epistolarum Familiarium satis clamat, quaeque cum Tullia filia, Cicerone attestante, Deos castissime coluerit. Falso igitur Declamator (neque enim ille C. Sallustius est) sic in Ciceronem incurrit: *Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos tollit: uxor sacrilega ac periuriis delibuta; filia matris pellex, tibi iucundior atque obsequentior quam parenti par est.* Haec si non calumnia est, quae unquam calumnia visa? Hinc et maledicus ille, credo, Q. Fufius Calenus in suam orationem apud Dionem lib. XLVI probrose inclusit, et Donatus, Maronis interpres (reclamante interim Servio Honorato, longe illo praestantiore ac fideliore) poëtae illud Aeneid. VI, vs. 623:

Hic thalamum invasit natae vetitosque Hymenaeos,

de Cicerone a poëta scriptum esse credere audet; quod tamen flagitium incestus, inter tot tantosque Oratoris nostri aemulos, si verum esset, non nemo evulgasset. Quin et, teste Plutarcho, se cum Terentia curas Reipub. saepius quam Terentia privatas secum communicasse iactare solebat. Haec Brundusii ab exilio revertenti marito officiosa laetaque occurrit: mox tamen, ut Cn. Plancio lib. IV, epist. 14 Cic. scribit, in reditu suo nihilo meliores res domesticas quam Rempub. offenderat; turbatas nimirum, seque alieno aere oppressum. Qua de re variae apud Atticum querimoniae, quasi scelerate fecerit, aesque ingens, cui solvendo non esset, contraxerit, lib. XI, epist. 16 ac 24; et lib. XII, epist. 13. Divortium itaque cum Terentia fecit anno post Rom. cond.

707, M. Aemilio Lepido, C. Iulio Caesare tertium Coss. Quae Terentia Vibio Rufo deinde nupsit, ut refert Dion. lib. LVII mox aliis: et tertium ac centesimum aetatis explevisse annum (quis credat ?) scribit C. Plinius lib. VII Natur. Hist., cap. 40, et Valerius Maximus lib. VIII, cap. 14. Scripsere nonnulli, et curiose observatum ab Hieronymo ep. contra Iovinianum, eloquentiam velut augurio quodam in eius nuptiis paulatim degenerasse: *Illa*, inquit, *coniux egregia, quae de fontibus Tullianis hauserat sapientiam, nupsit Sallustio, inimico eius, et tertio Messalae Corvino, et quasi per quosdam gradus eloquentia devoluta est.* Non enim eadem est, ut falso quidam putant, Terentia, C. Maecenatis uxor, Licinii Proculeii F. quam et *Liciniam* vocari ab Horatio Oda 12 lib. II Carm. doctiss. interpres Torrentius observat, quamque perdite adamatam iurgio post intercedente similiter repudiavit. Taedio vero divortii cum moerore, tum febri triennium Cicero conflictatus somnum capere non potuit, si Plinio eidem lib. VII Natur. Historiae, cap. 51, credimus. Huc respexit, credo, Iavolenus Priscus leg. LXIV de Donat. inter vir. et ux. lib. Pandect. XXIV, tit. 2: *Trebatius inter Terentiam et Maecenatem respondit: Si verum divortium fuisset, ratam esse donationem; si simulatum, contra.* Arbiter nimirum Trebatius controversiarum connubialium Maecenatis ac Terentiae fuit. Respexit huc etiam acute Seneca Epist. CXIV de quotidianis Terentiae cum Maecenate divortiis: hunc esse qui uxorem millies duxerit, quum unam habuerit: innuens reditum in gratiam saepius e quotidianis iurgiis. *Amantium enim irae*, inquit Comicus, *amoris est reintegratio.* Equidem ad Tullium redeo, qui repudiata Terentia virginem uxorem statim duxit,

ut quidem Terentia dictitabat, formae gratia, ut autem M. Tiro Ciceronis libertus scripsit, divitiis eius adductus, ut aes alienum dissolveret. Erat enim puella dives, eiusque bona Cicero fidei commissarius haeres relictus custodiebat. Quamobrem quum permagnum aes alienum haberet, amicorum et familiarum impulsu puellam uxorem praeter aetatem duxit, ut illius facultatibus creditoribus satisfaceret, ut recte Plutarchi locum Franc. Fabricius melius, quam ad eam diem interpretes omnes, convertit. Et certe apud Dionem lib. XLVI Q. Calenus Ciceronem exacta aetate virginem duxisse notat, *ἵνα ἐκ τῆς οὐσίας δανείσματα ἀποτίσῃ*, *ut illius facultatibus se aere alieno liberaret.* Quintilianus quoque lib. VI Institutionum, de ridiculis agens, *Cicero*, inquit, *obiurgantibus quod sexagenarius Popilliam virginem duxisset*, *Cras*, inquit, *mulier erit.* Vbi et illud observa, Popilliam duxisse, qui biennio post capite truncatus est a C. Popillio Laenate, eiusdem gentis Picenae regionis, quem rogatu M. Coelii parricidii reum non minori cura quam eloquentia antea defenderat, quique ultro M. Antonium rogavit, ut ad Ciceronem proscriptum persequendum iugulandumque se mitteret, caputque illud Antonio, impius atque ingratus percussor, attulit, quod pro eius rei capite quondam peroraverat. *Publiliam* tamen nominari hanc secundam Ciceronis uxorem animadverto lib. ad Attic. XII, epist. 27, sed haec scripturae varietas, mea quidem sententia, eadem in *populo* et *poplico*; fuit, et in primo Vrbis Romae Consule *Publicola* et *Poplicola*, quasi *populum colente*, ut Dionysins Halicarnasseus monuit, quasi δημοκηδὴς esset. Etsi *Publicolae* nomen Turnebo magis arrisit lib. XXX Advers., cap. 29, et *Poblilia tribus.* Hanc quoque nuncio remisso repu-

pudiavit, teste Plutarcho: quod visa esset Tulliae filiae Ciceronis morte laetari. Hinc ei negotium cum *Publilio* fuit, de dotis solutione, quantum e lib. XVI ad Attic. docti homines colligunt. Filia autem apud P. Lentulum generum (qui et P. Corn. Dolabella est) e partu discessit, ut idem Plutarchus, et in Pisonianam Asconius et Macrobius lib. II Satur. annotarunt: qui P. Cornelius Dolabella est cum Caesare tunc in Hispania versatus, ut eidem Attico lib. XIII, et Philippica II scribit. Huius Tulliolae mortem, quod tenere parens adamaret, tam molliter tulit, nullius ut consolationem admitteret, vinceretque consolationem amicorum, ut Servii Sulpicii lib. IV, epist. 5, aliorumque familiarium, immensus dolor. Composuit itaque sibi librum, quem Consolationem vel *de luctu minuendo* inscripsit, ut II de Divinatione, et in Tusculanis, et ad Atticum lib. XII et XIII, et Lactantius lib. I, cap. 15 Divinar. Institut. testantur; non eam, quae nostra memoria Ciceronis nomine Consolatio foras data est, eruditi quidem hominis, sive Car. Sigonii, sive, ut ipse dicere soleret, familiaris, at non Ciceronis. Nunc ad Filium revertor, qui septennis parentis exilium doluit: quumque primum sapere coepisset, acerbissimos dolores miseriasque percepit, ut Terentiae coniugi lib. XIV perscripsit. Et vero Quinto fratri sapientiorem quam optare posset puerum nominat. Vide et Orat. pro Domo sua et de Haruspicum Responsis. Huic praeceptorem Dionysium, hominem eruditum, dedit, qui et ipse cum Dionysio Magnete assiduissime versatus operam eloquentiae dedit priusquam in Rhodum proficisceretur. Dubitare autem subit, dum in epistolis ad Atticum laudatum totius eruditionis nomine hunc Dionysium animadvertam, sitne Dionysius

Halicarnasseus, cuius hodie et Historiae exstent rerum romanarum copiosae; Rhetorica item ac critica leguntur. Sed cur nullum in scriptis eius vestigium aut vola, inquies, apparet? An quia simultatem cum parente exercuit, ut ex libro VIII ad Atticum, ep. 4, colligas; aut quia puduit piguitque discipuli a parente summo magno familiae probro degenerantis? ut hinc vel nominare detrectarit. Certe ad Cn. Pompeium et Q. Aelium Tuberonem Romanos diserte scripsit. Sed haec Critici viderint, et nos ad Controversiam quartam Senecae Rhetoris, ubi et huius filius Dionysius quoque dictus, elegans magis declamator quam vehemens; quin et se parentem filium ac Q. Tullium iuniorem subdocere identidem non erubuisse Q. Fratri perscripsit. Sedecim annorum filius quum esset Arpini, C. Claudio Marcello, L. Corn. Lentulo Coss. anno V. C. 704, togam puram accepit, ut T. Attico lib. IX, epist. 20, et ultima scribit. Qua etiam aetate, ut ipse de more acceperat, fratrisque filio Quinto Laodiceae similiter dedit. Deducebantur autem tunc a parente aut propinquis in forum adolescentes ut Tacitus, seu potius Fabius, in Dialogo de Oratoribus, et Plutarchus de Cassii filio, et in Augusto Tranquillus scribunt: togamque sumebant virilem, posita praetexta: quam et *puram* Latini nominabant, et Graeci *ἀπόρφυρον*, quod purpura, quae in praetexta cernebatur, careret. Plutarchus ibidem *ἀνδρεῖον ἱμάτιον* appellat: Dion lib. XLV *ἀνδρικὴν ἐσθῆτα* vocat, ut Romani *virilem togam*. Observatum et eo ipso die in Capitolium deduci, qui togam virilem sumerent solitos, ex Val. Maximo lib. V Memorab. cap. 4 de M. Cotta, de quo idem Dion Cassius lib. XXXVI. Tractabilem autem tunc fuisse, et patri, ut Pompeii partes se-

queretur, auctorem exstitisse, T. Attico scribit, ab eodemque Pompeio bello civili alae alteri praefectum fuisse filium lib. II de Officiis Cicero ostendit. Domum ubi revertit, multum etiam temporis literarum studiis dedit, curabatque parens, ut non minus graece quam latine diceret, suo ut exemplo par esset in utriusque orationis facultate: quod initio Officiorum et in Oratoriis Partitionibus declarat. Hinc Athenas missus, ut Cratippum, Peripateticorum tunc principem, audiret, proh scelus nefandum! seductus a Gorgia Rhetore, non Leontino, voluptate ac poculis corruptus enervatur: de quibus aetatis erratis ad Tironem scribit; notavitque ut ebriosum ac degenerem Seneca Rhetor Suasoria VII: *Cui natura memoriam demserat, et ebrietas, si quid ex ea superrerat, subducebat.* Et Plinius lib. XIV Nat. Hist. cap. 22: *Tergilla*, inquit, *Ciceronem M. Filium binos congios simul haurire solitum ipsi obiicit: Marcoque Agrippae a temulento scyphum impactum. Etenim haec sunt ebrietatis opera. Sed nimirum hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris sui M. Antonio. Is enim ante eum avidissime apprehenderat hanc palmam; edito etiam volumine de sua ebrietate.* Haec Plinius. Observo et M. Antonio familiarem Q. Tullium iuniorem usque eo fuisse, ut dextellam M. Antonii patruus vocaret. Laudatus est autem a M. Bruto, qui eum Athenis inviserat secumque in Macedoniam duxerat, eoque legato usus multa feliciter gessit, ut in Bruto Plutarchus refert; commendavitque per epistolam, quae quarta est, parenti, ut et Messalla atque Trebonius aliique laudarunt, sed quorum patri suspecta commendatio, ut ab amore profecta, esset, ut ad Atticum testatur. Consulatus quoque collegam Octavium habuisse Seneca, Plinius et Plutarchus

affirmant. Addit Graecus hic etiam scriptor, Senatum imagines M. Antonii sustulisse in parentis Ciceronis gratiam honoresque decretos antiquasse; decrevisse denique, ne quis deinceps Antoniorum M. praenomine gauderet. Quam etiam poenam M. Capitolino, regni affectati reo, irrogatam memini. Sic Deus in Ciceronis domum finem Antonii ultionis contulit. Credam autem his quidni testibus promptius quam Appiano Alexandrino? qui ab Octaviano Ciceronem filium Syriae Praetorem factum scribit; nisi si *Praetorem* Graecorum more pro στρατηγῷ, bellique Imperatore dixeris, aut Proconsulem. Seneca enim noster Asiam obtinuisse ait, lepidam hanc de illo ebrioso Suasoria VII historiam narrans: *Erat Cestius nullius quidam ingenii, Ciceroni etiam infestus: quod illi non impune cessit. Nam quum M. Tullius F. Asiam obtineret (homo qui nihil ex paterno ingenio habuit praeter urbanitatem) coenabat apud eum Cestius. M. Tullio et natura memoriam demserat, et ebrietas, si quid ex ea supererat, subducebat: subinde interrogabat, quis ille vocaretur, qui in imo recumberet. Et quum saepe subiectum nomen Cestii excidisset, novissime servus, ut aliqua nota memoriam eius faceret certiorem, interroganti domino, quis ille esset, qui in imo recumberet, ait: Hic est Cestius, qui patrem tuum negabat literas scisse. Afferri protinus flagra iussit, et Ciceroni, ut oportuit, de corio Cestii satisfecit.* Igitur hoc commodi attulit, quod parentem vindicarit Cicero filius: incommodum contra, quod M. Antonii vinolentiam potando superarit, cuius effugere parens violentiam nisi caesus potuit. De exitu vero, quo dignus erat, nihil compertum, nisi obscurum, inglorium degeneremque periisse. Memorabilem vero Q. Tulli patruelis finem Dion ita lib. XLVII prae-

dicat. Q. Ciceronem, Marci fratrem, filius, quum proscripti omnes a M. Antonio essent, abscondit, et quoad eius fieri potuit servavit. Occultavit enim, ut inveniri non posset. Qua de causa quaestionibus omnibus excruciatus, nullum tamen indicium fecit. Q. parens re intellecta, cum filium admirans, tum misericordia motus, ultro prodiit, seque ipse percussoribus tradidit, et una cum filio interfectus est: percussores interim orans, repugnante filio, ne in suis oculis filium iugularent, sed ipse praeverteret, ut Plutarchus et Appianus commemorant. Hic adeo in utrumque parentem pius exstitit, ut quum parens Quintus Pomponiam, Titi Attici sororem, repudiare ut morosam ac difficilem, iurgiis assidue incidentibus, etiam absens cogitaret, filius conciliarit utrumque, ad concordiamque adegerit. Discordiae autem an zelotypiae causa fuerit, quod Statium servum maritus plus aequo dilectum etiam manumiserit, incertum. De his enim et Attico crebro scribit et Q. Fratri. Ex his colligis, ut rem in pauca conferam, infelicem utrumque fratrem in coniuge ac liberis exstitisse. Marcum quidem Terentiam et mox Popilliam repudiasse dotisque solutione impeditum; filium vero a paterno ingenio nimium quantum degenerasse. Tulliam ad haec delicias suas in partu mortuam morosamque domi uxorem Terentiam tolerasse: nihilque propius factum quam ut diverteret Quintus, absque filio fuisset: quem una secum iugulatum cernere debuit. Sors haec dura literatis hominibus, ut rixosa plerumque uxor obtingat, iam inde a Socrate, quem et Xantippe afflixit: sed haec hactenus, aliique copiosius pertractabunt.

PRO CICERONIANIS

CAP. I

Aridos an reddat ac timidos, qui Ciceronem imitantur?

Nascitur, ut in Lernaea hydra, alterum calumniae caput; aridos enim Ciceronianos falso convitiantur, ieiunos, squallidos, exangues, enervos, steriles, meticulosos ac denique imbecillum partum edentes. Quod quam temere adversarii obiiciant, vel me tacente res ipsa clamet. Non longe abiero: Cicero ipse (unde enim potius quam a fonte auspicer calumniamque refellam?) nonne plura longe maioraque ingenii monumenta, si molem spectes, tametsi Reipublicae negotiis ac magistratu gerendo impediretur, reliquit, quam vel Philosophiae principes in suo quique genere summi et in scholis consenescentes, Plato et Aristoteles? Disertissimus ille quidem Plato, ut si graece loqui Musae vellent, non alia usuras lingua iactaretur; hic vero eius viginti ipsos annos auditor, via ac ratione scribendi arte longe omnibus antecelluit, excitatusque Xenocratis seu potius Isocratis dicendi laude, pomeridianis et ipse scholis eloquentiae praecepta ἐξωτερικῶς suis tradidit. Adhaec si Oratori componere Oratores graecos convenit, nonne Isocratem, et qui hoc plures longe reliquit orationes, Demosthenem, Cicerone scriptorum numero inferiorem deprehendas? quorum neuter Philosophica conscripsit, quamvis hic Platonem studiose audierit, non Aristotelem, ut sin-

gulari ad Ammaeum epistola Dionysius Halicarnassens evincit. Ille etiam a forensibus actionibus umbra scholisque contentus metu quodam refugit. Copiosior itaque his omnibus cum Philosophis tum Oratoribus Cicero. Quare ieiunus iniuria appelletur. Qui enim hunc ariditatis accuset, illos merito damnet oportet. Equidem si aridos ac ieiunos eos nominent, qui prudenter ac circumspecte pauca, eaque ad amussim edolata, potius limant et evulgant quam sinuosa volumina et ineptiarum plaustra, fatebor equidem, quod dari sibi volunt, et assentior. At enim non ea aridi notio est, sed in vitio ponitur: qualis Laconum breviloquentia: de tribus vero dicendi generibus Cicero, mea quidem sententia, eiusdemque asseclae, in alterum potius extremum Asiaticum dicendi genus inclinant. Quod si ad medium, Atticum nimirum ac subtile perveniat (de his eum formis in Oratore ad Brutum et de Optimo dicendi genere ipse disseruit), summa ea dicendi laus omnium Rhetorum punctis commendetur. Adde et redundantem M. Fabio in iuvenibus placere rationem prae ieiuna: quod adimere citius quam adiicere proclive sit.

CAP. II

Cur scribant ut limatiora, sic et pauciora; et de extemporali dicendi genere.

De recentioribus Ciceronis aemulis quando urgent adversarii, cur ut pauciora sic et elaborata magis edant, videamus. Demus, quoniam ita volunt, pauciora hoc saeculo, limata tamen ac diserta, Attica qua-

dam venustate, principes illos parentum memoria eloquentiae viros monumenta foras dedisse: Bembum, inquam, Sadoletum, Polum, Cortesium ac Seripandum, purpurei omnes Senatus aeterna in urbe Roma columina; sed quae talia cum in historia, tum in sacris literis scripta reliquerint, quae ut opima vina aetatem ferant, typis saepius transcribantur leganturque a iudicio praestantibus viris. Errant enim, et cum rusticorum vulgo puerili quadam sententia hallucinantur, qui librorum ingenti mole operis bonitatem metiuntur: non secus atque in amicitiae leges peccantes, dum dona non tam donantis animo quam magnitudine praepostere aestimant. Vere enim Callimachum apud Athenaeum dicere solitum existimo: Μέγα βιβλίον μέγα κακόν. Quae enim Petrus Bembus numeris solutaque oratione conscripsit, pauca illa quidem sunt, sed accuratione summa colligata, ea ad veterum gloriam credo pervenisse: Iacobi vero Sadoleti collegae ipsius libri diserte conscripti, nuper denuo simul evulgati, cum Philosophiae eam partem potissimum, quae de Moribus est, illustrant, tum Pauli ad Romanos epistolam perdifficilem sane salebrisque de Gentium ad Evangelium vocatione impeditam; Psalmos item nonnullos Regii vatis paraphrasi quadam explanant. Seripandus quoque, ex Augustinianorum sodalium familia, Senatus eiusdem decus, eandem ipsam Paulinam epistolam, quaeque ad Galatas data est, tractatis interim nodis ac quaestionibus fidei controversis, quam diserte venusteque exposuit? Gregorius Cortesius vero et ipse Cardinalis ad Hadrianum VI Pont. Max. B. Petrum Ecclesiae Catholicae caput Romae fuisse, post Io. Fischerum Roffensem Episc. et Io. Coclaeum contra saeculi huius ac tempestatis depravatas opiniones diserte ostendit. Et Hadrianus Card.

Tit. S. Crysogoni, homo disertus, quam selectis Latini sermonis Formulis veluti e M. Tullii campis floribus mire inclaruit? et in Britannia sedis Apostolicae Internuncius (ut Polydorus Virgilius refert) infelici tandem fato, conscius, nescio cuius, Romae coniurationis, extorris patria in Thracia periisse creditur. Reginaldus vero Polus, ut regii sanguinis, sic et regia dicendi maiestate (quod de Messalla Corvino M.Fabius et de Iulio Caes. Scaligero filius praedicat) praeditus, Apostolicae Sedis auctoritatem omni maior tyrannide in Britannis diserte vindicavit. Vivent vigebuntque eorum scripta, ut omnibus numeris absoluta, dum literae literarumque studiosi in pretio sunt futuri. Tenebriones vero etsi varia temere evulgarint, cadent citius et intermorientur, quo plura, ut a loquacibus solet, inepte falsoque dicta sine dilectu accumularint. Erasmi enim Roterodami, bone Deus, quot quantaque volumina, hac saeculi felicitate, qui Ciceronem delibarit, quotus ea quisque legere extra Proverbiorum opus exoptet? Quis non, si iudicio valeat, Epistolarum Pauli Manutii libellum, eiusdemque in Tullianas scholia magnae illi Operum moli anteponat? Quis vero non Perpiniani nostri graves Orationes, aut iucundas M. Ant. Mureti Panegyricas, Romae habitas, praeferat? Quorum hic unam illius de Deo trino et uno orationem suis omnibus praestare libens confitetur. Taceo interim, pauca illa quidem sed docta Romuli Amasaei, Andreae Naugerii, Iulii Pogiani, Christ. Longolii caeterorumque eleganter scripta; et de sacris rebus copiosius disserentes Hieronymi Osorii, Lusitani Episcopi, Commentarios; ac variis de rebus Io. Genesii, Sepulvedae Cordubensis, Dissertationes. Omitto et disertos illos Corrados Q. Marium et Sebastianum. Fremant igitur omnes licet, dicam quod sen-

tio, rem in pauca conferendo; bonitate ac praestantia non mole doctorum hominum scripta existimanda videri: qui eximiis atque elucentibus animo intenti, omnia in scriptis luci adornandis diligentius intuentur, expendunt ac perscrutantur. Meticulosos adhaec aiunt Κικεροµάστιγες esse solere Ciceronis aemulos: quod laudi potius quam vituperationi sit dandum. Formidanda enim sunt perpetua, quum iam livor atque amor, pessimi rerum iudices, decesserint, posterorum de nobis iudicia. Quae qui negligunt, nae illi ridendos se atque exsibilandos propinant. Recte enim in Eroticis Naso canit:

Pascitur in vivis livor; post fata quiescit.

Et:

Scripta placent a morte fere: qui laedere vivos
Livor, et inviso carpere dente solet.

Demosthenem autem ac Theophrastum, a suaviloquentia sic dictum, trepidasse in dicendo Athenis refert Agellius lib. VIII Noctium Attic. Quin et Oratorem nostrum ingenti interdum ad dicendum metu accessisse ipse in Cluentiana locuples testis. *Semper*, inquit, *magno cum metu incipio dicere. Quotiescumque dico, toties in iudicium videor venire.* Et actione in Verrem prima: *Quum illius temporis in mentem venit, quo citato reo dicendum est, non solum commoveor animo, sed toto corpore perhorresco.* Quid? Milonianae orationis principio quanta trepidatio? Quanto vero iustius fas est trepidare, si quid posterorum oculos subiturum perpetuoque duraturum in apertum proferas, quam si orationes habeas? quarum verba, alata ab Homero dicta, cito praetervolent?

Sed urgent iidem adversarii extemporalem esse dictionem Ciceronianis ademtam.

Egregiam vero laudem et spolia ampla reportant!

Quousque tandem patientia abutentur nostra? quousque illorum nos furor eludet? Quasi vero non multo praestet cunctabundum in dicendo esse quam quidquid in buccam venerit effundere: idemque dicti poenitentia paulo post retractare. Quid vero literis ea mandare ac typis consignare? Nonne aegre ac non sine ingenti rubore vel in ferrea fronte atque ore duro revocentur? Nescit enim vox semel emissa reverti.

Sed hic rursum mihi nodus veluti manum properanti ad exitum iniicit, his ut respondeam, animique sensum aperiam quaerentibus, familiariterne latine ac verba ex tempore fundere expediat? an cunctabundum, quod Ciceronianis isti obiiciunt. Equidem si alterutram in partem peccandum sit, lentos in familiari sermone, in scriptis vero disertos malim; quam aridos contra in scribendo et in familiari colloquio volubilitate sine dilectu effusos. Quo de genere commentatum aliquid esse memini hominem eruditum Nic. Beraldum, Gallum: et Hispanum *παραδοξώτερον* Franciscum Sanctium Brocensem. Aristidem autem Rethorem refert in Sophistarum vitis Philostratus, qui ab extemporanea dictione abhorruit, quum eius ludum audiendi gratia forte M. Antoninus Imp. esset ingressus; utque verba faceret rogatum respondisse *παῤῥησίᾳ* quadam: *Οὐκ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων. Vomentum e numero* se esse negabat, quales qui quidquid in buccam incidisset, ex tempore funderent. Veritus fortassis est reprehensionem Hannibalis, hominis militaris quidem, sed Barbari: qui, ut in secundo de Oratore Tullius commemorat, quum Phormio Philosophus de re militari, etsi privatus, dissereret, delirus ab eo senex est appellatus. Demosthenem vero non nisi meditatum, ut initio Olynthiacae dixit, *ἐσκαμμένον* ad dicendum, nedum scribendum venisse: ac ne Ciceronem quidem nostrum, qui in illius potissimum

vestigiis pedem posuit, accepimus. Hunc etiam servum, quod nunciasset comperendinatam esse causam, manu misisse ferunt. Accidit nimirum extemporaneis istis garrulis, ut, quum ad scribendum se conferunt, animum tam frigide ingeniumque intendant, ut sermoni quotidiano nimium confisi effundant verius quam scribant sensa mentis, sintque elumbes ac sine nervis. Non secus atque Poëtae quidam de plano atque altero in pede stantes, unguibus non admorsis versus ex tempore fundunt ἡμεροβίους florum instar eodem die nascentium ac marcescentium, animantiumque ad Hypanim fluvium. Similes adhaec mihi quidem tales videantur, urinatoribus ac gladiatoribus arti suae nimium confisis. Quo fit, ut hi ferro plerumque pereant; undis illi suffocentur. Verum enimvero cave putes haec, quae diximus, ut minuta, negligenda videri, quod eius accuratae in loquendo ac scribendo imitationis Tullianae usus perpaucorum semper hominum fuerit, eritque dum literae vigebunt. Non enim ideo supervacanea inutilisve ducenda cura: vel nihil rerum omnium bonarum magnopere fuerit capessendum. Quid enim omnium hac saeculi infelicitate iudiciorumque depravatione nunc in honore est ac pretio? aut quid non despectum potius atque contemtum? Comparantur enim doctis hominibus, atque adeo harum rerum intelligentibus vigiliae nostrae lucubrationesque dantur, non indoctae et inconditae plebi, sed eruditis. Quandoquidem:

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Doctorum vero hominum quanta sit raritas, nemo unquam quaerendum sibi putavit; quorum maxime excellentes vix singulos singulae aetates ferant: qui in scenam quidem prodire atque theatrum ingeniorum

(nam de obscuris ac latentibus nihil pronuncio) audeant. Malevolos autem et alienae industriae reprehensores, quum ignavia ipsi diffluant aut tabescant, plorare ac longum valere iubeo. Quare qui scripta foras dare stylo Ciceroniano cogitant, Horatii illud extremo primo Sermonum sibi subiiciant:

Scripturus non te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus. —

CAP. III

Historiam scribere Cicero Ciceronianique num possint?

Calumnia haec errorque gravis est eorum, qui odio occaecati de artibus praepostere iudicant: negant scilicet, Ciceronem eiusque asseclas historiae scribendae aptos videri, propterea quod dicendi character Oratoris atque Historici diversus sit. Quasi vero summum atque excellens Tullii ingenium ac versatile, quod ad omnia, uti Caecina dicebat, armavit, non idem cum laude texere historiam potuerit! Difficilior enim contorta et acris oratio, quae Oratoris propria est, quam tracta quaedam et fluens, quae historicorum est: ut auloedus hic esse, quod proverbio iactatur, queat, qui citharoedus esse nequeat. Longe aliud aequalium Ciceronis de ipso Romae iudicium fuit, qui eum et probe norant, nec ab eo, quod praestare nequiret, postulassent: quique unus pro millibus, ut ille ait, esse queat, T. Pomponius Atticus historiam, libro de Legibus primo, efflagitat. Verba apponam: *Postulatur*, inquit, *a te iam diu, vel flagitatur potius Historia. Hic enim*

putat te illum tractante effici posse, ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. Atque ut audias quid ego ipse sentiam, non solum mihi videris eorum studiis qui literis delectantur, sed et patriae debere hoc munus; ut ea, quae salva per te est, per te eadem sit ornata. Abest enim Historia literis nostris, ut et ipse intelligo, et ex te persaepe audio. Potes autem tu profecto satisfacere in ea: quippe quum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime. Audin vero satisfacere T. Attici iudicio Ciceronem posse, et vero quisquam inficias iverit? Dignum adhaec summo Oratore opus is iudicat, quicum ioca seria communicare, ut cum mortalium nemine libentius, consuevisset; qui et ipse Atticus, teste C. Plinio, Elogia illustrium sui saeculi literis consignarit, cuique sic familiariter rescripsit Cicero: *Hortaris me ut Historias scribam.* Item: *Ardeo studio Historiae: incredibiliter enim me commovet tua cohortatio.* Quam vero pronum illi fuerit ac facile, vel multis Verrinae narrationibus plenae satis ostendunt. Historia enim nihil est aliud quam narratio gestae rei, ab aetatis nostrae memoria remotae, arte contexta mixtaque prudentiae: quam ignorare turpissimum sit ac plane puerile. Tali enim II de Orat. elogio ornatur: *Historia, testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis.* Cuius etiam leges Tullius ipse conscripsit: primum *nequid falsi dicere audeat.* Deinde *nequid veri non audeat*; Denique *ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis.* Quas leges Graecos Latinosque Historicos et Annales assidue legendo Cicero notarat. Caesare enim et Bibulo Coss. hoc est post Romam conditam 694, historiae se totum tradidit, tenebatque rerum romanarum, ut nemo tunc melius, memoriam, M. Varronem semper excipio,

qui sacra ritusque penitus imbiberat monumentisque literarum mandaret, doctius fortasse quam disertius, praedicatque Orator noster Academicarum Quaestionum initio, quas illi προσφωνεῖ: ut huic vicissim M. Varro, togatorum doctissimus, suos de Lingua Latina libros inscripsit. Adhaec de Geographia (quae varietate locorum Historiae alterum lumen alterumque Chronographia, quae temporum descriptio est) scribere rogatus instituerat: sic enim ad eundem T. Atticum scribit lib. II, Ep. 4: *De Geographia dabo operam ut tibi satisfaciam: sed nihil certi polliceor. Magnum opus est, sed tamen, ut iubes, curabo, ut huius peregrinationis tibi opus exstet*: item epist. 6: Γεωγραφικὰ, *quae constitueram, magnum opus est; ita valde Eratosthenes, quem mihi proposueram, a Seraphione et ab Hipparcho reprehenditur.* Plutarchus quoque idem de historia scribenda in Cicerone confirmat, noluisse tamen Graecorum fabulas, conciones laudationesque funebres huc conferre, quorum neutrum in Historia probaret; ut patet in Ciceronis Bruto, qui de Claris est Oratoribus, et libris de Legibus. Historiam enim funebribus orationibus factam ait esse mendosiorem, ut et T. Livius lib. VIII extremo testatum reliquit. Sed cur historiam non absolvit? impeditus nimirum Repub. administranda; satis ut otii Historiae scribendae non suppeteret: ac ne Philosophiae quidem locos omnes, ut inchoarat optaratque maxime, latinis illustrare literis, quia causa gravior obstitisset, pertractavit. Itaque historiae scribendae de suo potissimum Consulatu (quo de et ipse pauca velut commentaria scripserat, et quidem graece, provinciam reiecit in L. Luceium, ut ait lib. V ad Famil. epist 12, et Posidonium Rhodi per epistolam rogarat, ut de suo Consulatu, ornatius quam ipse

fecerat, ὑπόμνημα componeret; sed deterritum se significaret, ut leges lib. II ad Attic. epist. 1. Historia enim, ut ait lib. de Legibus primo, neque occupata opera, neque impedito animo suscipi, nec exiguo tempore absolvi potest. Vtrumque opus est, et cura vacare et negotio, Idem de poëtica Orator affirmat, Q. Fratri ita scribens: *Poëma animum vacuum ab omni cura desiderat.* Quod Naso sic expressisse videtur:

Carmina proveniunt animo diducta sereno.

Et:

Carmina secessum scribentis et otia quaerunt.

Hinc et Poëtae Silenum docentem inducebant, ut Satyrorum praesidem, in silvas se abdentem, hispida et cana barba vinculisque astrictum, ut in Bucolicis Maro, doctoris nimirum personam repraesentando. Nunc de aliis idem artibus brevi dicendum videatur.

CAP. IV

An reliquae Disciplinae tractari Ciceronis verbis queant?

Quaeri hic video, quod dubium amplius esse nequit, datis iis, quae diximus, potuisse Ciceronem et Ciceronianos hodieque posse historiam conscribere, atque adeo geographica: etsi in his ob asperitatem peregrinorum vocabulorum (de qua Melae est ac Plinii iusta expostulatio) tractari aegre res possit: sed quum id accidit, verum illud Manilii est:

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Snnt enim ut virtutes ipsae aptae invicem, quod supra docuimus, sic et artes nexae inter se ac vinctae:

— — — alterius sic
Altera poscit opem res, et coniurat amice.

Si quis tamen forte, ut fieri amat, in repugnando refractarius existat, inductione singula ostendamus, ducto a Philologia, iisque artibus (quae in sermone versantes prima sunt laudatarum artium fundamenta) initio. Illud enim manifestum est, nostra parentumque memoria duos in primis M. Tullii studiosos disertosque homines, post M. Varronem togatorum doctissimum libris de Lingua Latina ad Ciceronem editis, venuste quoque ac copiose de sermonis Latini praestantia verborumque copia edidisse, Bononiae Q. Marium Corradum libros XIII, cuius et Epistolae ad eruditos saeculi sui viros manibus cir.

cumferuntur. Vbertum ad haec Folietam, Ligurem et Historiae Genuensium scriptorem, de linguae Lat. dignitate ea literis mandasse, quae ad antiquorum gloriam aspirent: ut taceam interim M. Ant. Sabellici hac de re Orationem, et Gabr. Barrii, Calabri, tres de latina lingua libros; qui et de aeternae Vrbis atque adeo Italiae laudibus et Patriae antiquitate commentando pertractavit. Et vero unde potius exempla tutiusque Grammatici quam ex eloquentiae fonte hauriant? Poëtica autem et, de qua dictum est postremo, Historia ad hanc referuntur. Tullium autem minime malum Poëtam fuisse itidem a nobis hic et in Tullianis Quaestionibus copiose disputatum est. Arati enim Phaenomena, si integra ad nos pervenissent, nec Caesaris Germanici, nec Avieni Festi versibus admodum indigeremus. Nam quos de suo Consulatu versus lusit, minime perennarunt. Rhetorica sic propria M. Tullii sunt, ut ab hoc uberrimo fonte singula M. Quintilianus et Cornificius (1) hauserint. Ceteri praeterea recentes Rhetores, qui scholis praeceptiones dictarunt, Adr. Barlandus, G. Cassander, et Corn. Valerius, praeceptor quondam meus, a Cicerone sunt mutuati. Aristotelis etiam bene dicendi libros Cyprianus Suarez, nostrae Societatis Rhetor, adiunxit: quos Philosophi libros III post Pet. Victorium, qui commentario illustrat, in Italia Sigonius et Muretus latine converterunt: Portus etiam et Ant. Riccobonus brevius quam Victorius et accuratius explanarunt.

Dialectica vero, quae altera huic ex parte respondet et concisius disserit, a Cicerone in Topicis tracta-

(1) De his, quae sub Cornificii nomine leguntur, deque probabili eorum auctore, vide pereruditam Schützii V. C. dissertationem, Rhetoricae Herennianae praemissam. Ed. Tayr.

tur, etsi Iuris ea exemplis in C. Trebatii gratiam illustrarit. Vnde et Boëtius Severinus, diligens Gothicis illis temporibus Philosophus, qui et Topica illa commentario explicasset, sua de Definiendi ac Dividendi ratione hausit: parentum item memoria Rodolphus Agricola. Imo Hubertus Sussanneus, Gallus, e M. Tullio Definitiones selectas dedit: ut integram disserendi artem e Ciceronis fontibus Ioac. Perionius, elegans quidem dictione, sed non satis diligens ac fidus Aristotelis interpres: cui et Caelius Curio succenturiatus accedit. Si vero de graecis bonis latina facere Ciceronis verbis libeat, habes Timaeum e Platone conversum, ceteraque in Lexico illo Ciceroniano, ab H. Steph. collecta, reperias. Nunc ad graviores disciplinas gradum faciamus.

Ius civile Cicero saepe laudat, et iuris fontes XII Tabularum Leges (quas lib. II et III de Legibus imitando expressit) ut carmen necessarium edisci solitas; et fremerent omnes licet, omnium Philosophorum bibliothecas superasse affirmat. Idemque confidentius forte quam verius, se triduo Iureconsultum fieri posse iactat: et ad artem via ac ratione redigi posse vastum illud immensumque pelagus arbitratur. Tentarunt id nostrae tempestatis politiores Iurisperiti, sed inchoarunt potius quam absolverunt. Pandectae adhaec adeo latine loquuntur, de iure respondentibus disertis prudentibus Papiniano, Paulo, Vlpiano ceterisque, ut ne Cicero quidem, etsi ab inferis existeret nervosque ingenii intenderet, disertius leges conscribere posset.

Artem medicam de Latinis Corn. Celsus et Caelius conscripsere: etsi, ut opinor, Celsus Rhetor magis quam Medicus fuit: quod de Nicandro (cuius sunt Theriaca et Alexipharmaca) et de Arato Solensi,

qui Astrologica reliquit, Cicero et Fabius praedicant, ea versibus, quae minus intelligerent, prodidisse. Sacras vero de fidei rebus Controversias a Ciceroniano quoque, ne nimis modo luxuriet oratio, tractari et posse et solere, satis de multis verum esse ostendant Melchioris Cani, Episcopi, Loci Theologici, diserti et acres, atque oppositi Melanchthonis aliorumque Haereticorum ineptis falsisque commentis. Pau. Cortesium item quondam editum Basileae me videre memini, qui, ut dixi, Sententiarum (quem scholae nominant) Magistrum Pet. Lombardum, nodis quaestionibusque refertum, latine tamen diserteque repraesentarit. Quae quum ita sint, efficitur necessario, maiores etiam disciplinas a Ciceronianis commode pertractari. Desinant itaque hunc ignaviae suae colorem praetexere adversarii, qui Ciceronem temere damnant, et generosos spiritus ab eius imitatione, qua invidia deterrent, qua ignavia refugiunt.

M. TVLLII CICERONIS

RHETORICORVM

LIBRI DVO

QVI SVNT

DE INVENTIONE RHETORICA

CHRIST. GODOFR. SCHVTZ

DE

RHETORICORVM LIBRIS

PROLEGOMENA

Etsi constans multorum opinio fuit, Ciceronem adolescentem artem Rhetoricam quatuor libris complexum esse, quorum priores tantum qui sunt de Inventione aetatem tulerint, reliqui duo perierint, nobis tamen potior eorum sententia videtur, qui Ciceronem haec Rhetorica inchoasse quidem, sed non ad finem perduxisse, statuunt. Illustris de ea re locus est ipsius Ciceronis de Oratore I, 2, ubi diserte ait, hos libros *sibi puero aut adolescentulo ex commentariolis suis inchoatos ac rudes excidisse.* Hic primum verbum *excidisse*, quo Cicero utitur, significat, se istos libros non consulto edidisse, sed casu quodam eos in manus hominum pervenisse. Similiter Antonius, quem Cicero loquentem inducit Orat. I, 21: *Tumque ego — scripsi, quodam in libello, qui me imprudente et invito excidit et pervenit in manus hominum.* Deinde quum Tullius dicit, libros istos Rhetoricos sibi *inchoatos* et *rudes* excidisse, procul dubio significat, se istos libros partim non consummasse, non ad finem perduxisse, partim iis extremam manum haud admovisse. Et negligen-

tiae quidem, in qua limae laborem desideraveris, vestigia in his libris occurrunt quaedam; ut quum locus de partibus iuris bis tractatur, II, 22, et II, 53. Sunt quidem qui putent, vocabulum *inchoata* apud Ciceronem h. l. nihil aliud ac *rudia* significare. Sed cur scriptor in libro omnium politissime scripto bis idem diceret?

Itaque maneat nobis, Ciceronem istis verbis: *quae pueris aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata et rudia exciderunt*, non solum hoc affirmasse, libros Rhetoricos *rudes* i. e. haud satis expolitos sibi videri, sed etiam *inchoatos* tantum, nec ad finem, quem intenderat, perductos esse. Ciceronem enim universam artem rhetoricam his libris complecti voluisse, perspicuum est ex I, 7, et ex clausula libri secundi: *Nunc quoniam omne in causae genus argumentandi ratio tradita est, de inventione, prima ac maxima parte rhetoricae, satis dictum videtur. Quare quoniam et una pars ad exitum hunc ab superiore libro perducta est, et hic liber non parum continet literarum, quae restant, in reliquis dicemus.*

Sed eum vel omnino consilium reliquos libros perficiendi abiecisse, vel saltem eos in vulgus haud edidisse, gravissimum hoc est argumentum, quod neque Quintilianus unquam alios Rhetoricorum Ciceronis libros, praeter duo priores, quos habemus, laudavit, nec Fabius Marius Victorinus in plures quam duo istos libros, qui sunt de Inventione, commentarium edidit.

Libros rhetoricos Quintilianus diserte his locis laudat. Instit. or. III, 6, 50: « Posuerat et Cicero in libris rhetoricis *facti*, *nominis*, *generis*, *actionis*; ut in facto *coniectura*, in nomine *finitio*, in genere *qualitas*, in actione *ius* intelligeretur. Iuri subiecerat *translationem*. » Hic Quintilianus respicit Cic. de Inv. I, 8.

Ibid. III, 11, 10: « At ubi causa tractatur, negant eodem loco esse iudicationem, quo quaestionem. Idque et in *Rhetoricis* Cicero et in Partitionibus dicit. Nam in coniectura est quaestio ex illo: *Factum*; *non factum*; *an factum sit*? Ibi ergo iudicatio, ubi quaestio: quia in eadem re prima quaestio, et extrema disceptatio. At in qualitate, *Matrem Orestes occidit; recte; non recte; An recte occiderit*? quaestio, nec statim iudicatio. Quando ergo? *Illa patrem meum occiderat; sed non ideo tu matrem debuisti occidere; An debuerit*? .... Firmamentum autem verbis ipsius ponam: « Si velit Orestes dicere, eiusmodi animum matris suae in patrem suum, in se ipsum ac sorores, in regnum, in famam generis ac familiae, ut merito ab ea poenas liberi sui potissimum petere debuerint. » Hic locus est apud Ciceronem de Inv. I, 14 (quem Quintil. etiam paulo post III, 11, 18 tangit, ubi ait Ciceronem in Rhetoricis Hermagoram sequutum esse.) Vocabulum *merito*, quod in textu librorum Ciceronis rectius abest, vel Quintilianus adiecit, vel potius, ut equidem opinor, librarii.

Quintil. III, 5, 14 seq. « Sunt tamen inscripti

nomine Hermagorae libri, qui confirment illam opinionem, sive falsus est titulus, sive alius hic Hermagoras fuit. Nam eiusdem esse quomodo possunt, qui de hac arte mirabiliter multa composuit, quum, sicut ex Ciceronis quoque *rhetorico primo* manifestum est, materiam rhetorices in theses et causas diviserit? quod reprehendit Cicero, ac thesin nihil ad oratorem pertinere contendit, totumque hoc genus quaestionis ad philosophos refert. Sed me liberavit reprehendendi verecundia, et quod ipse hos libros improbat, et quod in Oratore, atque iis, quos de Oratore scripsit, libris, et Topicis praecipit, ut a propriis personis ac temporibus avocemus controversiam. » Locus, quem tangit Quintilianus, est apud Cic. de Inv. I, 6.

Quintil III, 6, 57: « Nec me fallit, in *primo Ciceronis Rhetorico* aliam esse loci negotialis interpretationem, quum ita scriptum sit: Negotialis est, in qua, quid iuris ex civili more et aequitate sit, consideratur, cui diligentiae praecesse apud nos iurisconsulti existimantur. Sed quod ipsius de his libris iudicium fuerit, supra dixi. Sunt enim velut regestae in hos commentarios, quos adolescens deduxerat, scholae; et si qua est in his culpa, tradentis est, sive eum movit, quod Hermagoras prima in hoc loco posuit exempla ex quaestionibus iuris, sive quod Graeci πραγματικοὺς vocant iuris interpretes. Sed Cicero quidem his pulcherrimos illos de Oratore substituit, ideoque culpari, tamquam falsa praecipiat, non potest. » Locus est de Inv. I, 11.

Paullo post eodem capite Quintil. addit: « Et M. Tullius non dubitavit aliquos iam editos libros aliis postea scriptis ipse damnare, sicut Catullum atque Lucullum, et hos ipsos, de quibus modo sum loquutus, *artis rhetoricae.* »

Quintil. II, 14, 4: « Denique quum M. Tullius etiam ipsis librorum, quos hac de re primum scripserat, titulis Graeco nomine utatur, profecto non est verendum, ne temere videamur oratori maximo de nomine artis suae credidisse. » Significat, Ciceronem libros, quos vulgo de Inventione appellant, Rhetoricorum nomine inscripsisse.

Quintil. III, 1, 20: « Praecipuum vero lumen, sicut eloquentiae, ita praeceptis quoque eius dedit, unicum apud nos specimen orandi, docendique oratorias artes M. Tullius, post quem tacere modestissimum foret, nisi et *rhetoricos* suos ipse adolescenti sibi elapsos diceret, et in *oratoriis* haec minora, quae plerique desiderant, sciens omisisset. »

Quintil. II, 15, 6: « Cicero pluribus locis scripsit, oratoris officium esse: *dicere apposite ad persuadendum.* In *rhetoricis* etiam, quos sine dubio ipse non probat, finem facit *persuadere.* » Scilicet de Inv. I, 5.

Aliis locis Quintilianus ita vel respexit libros Ciceronis rhetoricos, vel etiam quaedam ex iis excerpsit, ut expresse eos haud nominaverit. Et hi quidem iam sequuntur.

Quintil. II, 17, 2: « Transeamus igitur ad eam quaestionem, quae sequitur, an rhetorice ars sit.

Quod quidem adeo ex iis, qui praecepta dicendi tradiderunt, nemo dubitavit, ut etiam ipsis librorum titulis testatum sit, scriptos eos de arte rhetorica: Cicero vero etiam, quae *rhetorica* vocetur, esse *artificiosam eloquentiam* dicat. » Locus est apud Cic. de Inv. I, 5.

Quintil. V, 10, 6: « Quidam *epicherema* rationem appellarunt, Cicero melius *ratiocinationem;* quamquam et ille nomen hoc duxisse magis a syllogismo videtur. Nam et statum syllogisticum *ratiocinativum* appellat, exemplisque utitur philosophorum. Et quoniam est quaedam inter syllogismum et epicherema vicinitas, potest videri hoc nomine recte abusus. » *Ratiocinationis* vocabulo utitur Cicero de Inv. I, 31, et saepius; status autem *ratiocinativus* occurrit ibid. I, 13.

Quintil. V, 10, 78: « Illa quoque, quae ex rebus mutuam confirmationem praestantibus ducuntur, quae proprii generis videri quidam volunt et vocant ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα Cicero *ex rebus sub eandem rationem venientibus*, fortiter consequentibus iunxerim. « Si portorium Rhodiis locare honestum est, et Hermacreonti conducere. » Locus est apud Cic. de Inv. I, 29.

Quintil. V, 11 init. « Tertium genus ex iis, quae extrinsecus adducuntur in causam, Graeci vocant παράδειγμα, quo nomine et generaliter usi sunt in omni similium appositione et specialiter in iis, quae rerum gestarum auctoritate nituntur. Nostri fere *similitudinem* vocare maluerunt, quod ab illis

παραβολὴ dicitur, hoc alterum *exemplum*, quamquam et hoc simile est, et illud, exemplum. Nos quo facilius propositum explicemus, utrumque παράδειγμα esse credamus, et ipsi appellemus exemplum. Nec vereor, ne videar repugnare Ciceroni, qui *collationem* separat ab *exemplo.* Nam idem omnem argumentationem dividit in duas partes, *inductionem* et *ratiocinationem* etc. » Respicit Quintilianus Ciceronis de Inv. I, 29 et 31. Locum de *collatione* iterum tangit V, 11, 23.

Quintil. V, 14, 5: « Epicherematos etc. » Hoc loco, quem in notis ad cap. 34 lib. I exscripsimus, Quintil. respexit ad Cic. de Inv. loc. cit.

Ex horum locorum inductione manifestum est, Quintilianum nunquam alium Ciceronis Rhetoricorum librum excitare, quam primum et secundum, quos auctori superstites habemus. Vnus tamen superest locus Quintiliani, qui dubitationem afferre possit; nimirum III, 3, 6, ubi agit de quinque artis rhetoricae partibus, inventione, dispositione, elocutione, memoria, pronuntiatione. « His, inquit, adiecerunt quidam sextam partem, ita ut iudicium inventioni subnecterent, quia primum esset *invenire*, deinde iudicare. Ego porro ne invenisse quidem credo eum, qui non iudicavit; nec enim contraria, communia, stulta invenisse dicitur quisquam, sed non vitasse. Et Cicero quidem in Rhetoricis iudicium subiecit inventioni; mihi autem adeo tribus primis partibus videtur esse permixtum (nam neque dispositio sine eo, neque elocutio fuerit, ut pro-

nuntiationem quoque vel plurimum ex eo mutuari putem. Quod hoc audacius dixerim, quod in *partitionibus oratoriis* ad easdem, de quibus supra dictum est, quinque pervenit partes. Nam quum dupliciter primum divisisset, in inventionem atque elocutionem, res ac dispositionem inventioni, verba et pronuntiationem elocutioni dedit, quintamque constituit communem ac velut custodem omnium memoriam. Idem in *Oratore* quinque rebus constare eloquentiam dicit; in quibus postea scriptis certior eius sententia est. » Hic primum optime nuper Spaldingius post Regium, quum Quintilianus dicat: *Cicero in Rhetoricis iudicium subiecit inventioni*, cum nullum alium librum (si modo vera sit lectio) quam libros de arte rhetorica, quos adolescens scripserat, intelligere potuisse. Nam Gesnerus quidem et nuper Io. Theoph. Ernesti in lexico rhetorico errabant, quum id, quod Quintilianus affert ex Rhetoricis, in Oratore ad M. Brutum quaerendum esse putabant. Sed si vera est apud Quintilianum lectio: *in Rhetoricis*, memoria sine dubio lapsus est. Primum enim Cicero in his libris I, 7, diserte quinque partes artis rhetoricae facit, nulla mentione iudicii iniecta. Deinde nec alibi in libris de Inventione uspiam occurrit locus, ubi iudicium inventioni subiecerit. Nempe illud *subiicere* apud Quintil., quod recte Spaldingius monuit, non est i. q. *secundam partem numerare*, sed potius tanquam speciem sub genere comprehendere; sicut postea Hermagoram dicit iudicium, partitionem, or-

dinem, quaeque elocutionis sunt, *oeconomiae subiecisse.* Restaret igitur, ut Cicero in reliquis Rhetoricorum libris, quos vulgo deperditos opinantur, tale aliquid dixerit. Qui autem hoc fieri potuit, quum Cicero totum locum de *inventione* prioribus duobus libris absolvisset, et protinus libro tertio ei de altera rhetoricae parte, nempe de dispositione, agendum fuisset? Itaque hic aut prorsus errasse Quintilianum, aut lectionem *in Rhetoricis* falsam esse necesse est. Si legamus in *Oratoriis*, quo nomine Quintil. III, 1, 20 libros de Oratore appellat, Quintiliano dicamus licet obversatum locum illum I de Oratore c. 31: « quumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum, quid diceret, deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare atque componere. » In quo tamen alium memoriae errorem illusisse Quintiliano necesse esset, quum Cicero h. l. *iudicium* non *inventioni*, sed *dispositioni* potius subiecerit. Nisi forte Quintilianum istum libri de Oratore locum ita in codice suo legisse nobis persuadeamus: *ut deberet reperire primum et iudicare*, *quid diceret* (sicut in Oratore ad M. Brutum c. 14 ait oratorem *invenire* et *iudicare*, quid dicat), *deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam dispensare atque componere.* Ita quum Quintilianus huic loco Partitiones Oratorias et Oratorem opponat, *in quibus*, seu, ut legendum videtur, *in quibus libris postea scriptis certior eius sententia sit*, habemus

locum similem, Instit. Or. IX, 3, 90: « Nam in primis M. Tullius multas in tertio de Oratore libro posuit, quas in Oratore *postea* scripto transeundo videtur ipse damnasse. » Quidquid sit, nam liquido affirmare hic nihil possumus, hoc saltem certissimum est, ex illo loco Quintiliani haud effici, eum tertium aut quartum Rhetoricorum Ciceronis librum legisse.

Maximus autem argumento e Quintiliani silentio cumulus accedit *Fabii Marii Victorini* auctoritate, qui quum in libros duo Ciceronis, quos *de Inventione* habemus, commentarium scriberet, nuspiam se plures quam istos duo oculis usurpasse significavit.

Quae quum ita sint, Ciceronem adolescentem statuimus Rhetorica scribere aggressum, totam quidem dicendi artem complecti voluisse, sed opus inchoatum haud perfecisse, certe plures quam duo priores libros, qui sunt de Inventione, nunquam editos in manus hominum venisse; cumque auctoris ad Herennium seu libros ipsos, sive dictata quaedam his libris multis partibus similia sic adhibuisse, ut quaedam ex iis describeret, quaedam amplificaret, nonnulla corrigeret, plurima vero vel suopte ingenio excogitata, vel apud alios scriptores reperta addidisse, atque hoc modo, ut ipse senex dixit, in incunabulis puerilis disciplinae quendam ordinem praeceptorum instituisse, in quibus ex omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videretur, excerpserit, et ex suo quoque nonnihil in commune contulerit.

PRAEFATIO

IO. AVGVSTI ERNESTI

DE RHETORICIS LIBRIS

M. T. CICERONIS

Librorum Ciceronianorum ii, qui sunt de arte dicendi, longe minus caeteris experti sunt artis illius curam, quae scripta antiqua liberare a vitiis et corruptelis, et integritati restituere conatur. Eius rei causa non una commemorari potest.

Quum primum libri antiqui e tenebris et situ erui coepissent, id factum est inprimis propterea, ut homines, qui se studiis doctrinae dedidissent, et rerum antiquarum scientiam et facultatem bene latine dicendi ex iis comparare possent. Itaque et ii maxime sunt quaesiti ac descripti, in quibus et antiquitatis memoria esset conservata, et exempla bene dicendi proponerentur: hi maxime, ac prope soli sunt lecti, et iuventuti studia liberalia aemulanti ad imitandum sunt in scholis explicati. Sed quum interpretatio sine emendata lectione procedere non posset, hoc in primis actum est, ut textus eorum, conferendis pluri-

bus exemplis, et adhibita idonea linguae, ac rerum scientia corrigeretur. Videmus, eos, qui, ut in Cicerone maneamus, praestantissimi eius correctores et interpretes optimi extitere, Petr. Victorium et Paullum Manutium omnium diligentissime Epistulas Ciceronis, in primis eas quae sunt ad diversos scriptae, tractasse; quod per eas maxime aditus iuventuti ad latinitatem cognoscendam, et bene scribendi facultatem patefieri solebat; proxime post has, orationes; caeteris libris, qui vel ad artem pertinerent, vel ad philosophiam, quorum lectio eruditioribus servaretur, leviter modo in utroque genere tractatis, praeter unum de Officiis opusculum, quod et ipsum iuventutis studiis accommodatum putabatur. Atque etiam in illis maior facultas dabatur emendandi, quod maior copia exemplorum veterum reperiebatur, quam caeterorum: cuius rei eandem causam fuisse, nemo ambigat. Ea igitur res fecit, ut horum librorum, rhetoricorum et philosophicorum, textus ad nostrum usque tempus minus correctus manserit, quam superiorum illorum; estque in iis etiam haud paullo difficilior emendandi ratio. Id quum a multo tempore animadverterimus, existimavimus, nos, in Operibus Ciceronis tractandis et castigandis, id in primis agere debere, ut his libris integritatem, si possemus, restitueremus; si vellemus novae recensionis Ciceronianae melius exemplum conficere. Quam rem quomodo, in his quidem rhetoricis libris, quibus praesidiis instructi, egerimus, age explicemus. Et quoniam in hoc librorum rhetoricorum corpore, libri incerti auctoris ad Herennium solent collocari, etiam in exemplis plerisque primo loco, ab his dicendi initium faciemus.

Nullius autem alius libri rhetorici tot exempla scri-

pta reperiuntur in bibliothecis. Causa est, quod in iis tota ars rhetorica ad usus discentium breviter et subtiliter descripta est, suntque praeterea, ad docendum quidem, et ad artem universam cognoscendam caeteris accommodatiores. Nos quidem in eorum textu castigando quatuor Codicum Excerptis proprie usi sumus: nam de iis, quibus superiores editores usi sunt, dicere non attinet. Primum suppeditavit Bibliotheca nostra Paullina; alterum Bibliotheca Vinkleri V. Ill. qui eum in Italia emerat, utrumque membranaceum; tertium Bibliotheca Guelferbytana, hunc quoque in membrana scriptum: quarti Excerpta in exemplo Verburgiano, ignota nobis manu scripta, habuimus, quod olim e bibliotheca Cortiana emeramus. Horum lectionibus accessere excerpta librorum scriptorum, quae ab Oudendorpio e MSS. pluribus magna diligentia collecta edidit P. Burmannus Secundus V. C. ad calcem exempli recensionis Graevianae, quod ab eo ante annos non multos editum est.

Sed scriptis libris, quae formulis typographicis facta exempla adiunxerimus, eaque ipsa qualia cognoverimus, dicendum videtur: sed seclusis exemplis operum universorum. Primus, quod quidem repererimus, hos libros, cum Ciceronianis *de Inventione*, edidit formulis suis Nic. Ienson Venetiis 1470. f. cuius editionis exemplum fuit in Bibliotheca V. C. de Boze. Curam concinnandi textus habuit Omnibonus, ut versus subiecti, quos in Catalogo Bibliothecae suae prodidit ille vir doctus, demonstrant. Ex huius autem editionis exemplis caetera fluxere. Nam et saepe repetitum est Iensonianum exemplum, sine ulla mutatione, subiectis etiam versibus iisdem, et sine alicuius novi boni accessione, ut 1474, Me-

diolani, et 1476 sine loci et anni nota etc. Venetiis 1479, 1487, aut adiecto Omniboni Commentario, ut Venet. 1488, 1490, etc. nec ulli alii libri tam saepe repetiti sunt typographicis formulis, quam hi ipsi, atque eandem, propter quam saepius caeteris descriptos diximus, causam. Itaque Omnibonianus textus fuit basis omnium editorum prima aetate exemplorum. Atque hoc est in libris commune cum libris Ciceronis de Inventione. Reperiuntur tamen et exempla, quae solos illos ad Herennium libros habent; quorum vetustissimum est sine dubio, quod Romae factum est, per Vendelinum de *Wila* in artibus Magistrum, a 1474. f. Ex his nos maxime usi sumus et hoc ipso Vendelini exemplo, et Omniboniano 1476, e quo lectiones etiam excerpserat Oudendorpius. Facile autem intelligitur, in his libris, propter illam ipsam multitudinem exemplorum utriusque generis, permagnam esse lectionis varietatem: quae etsi optabilis est ei, qui ad textum castigandum accedit, tamen negotium ipsum facit difficilius ac molestius. In quo hoc minus est, a quo sustentari laborantis animus possit, quod ille labor fere sine fructu ad alios exhauritur. Nam hi libri omnium minime hodie leguntur ab studiosis artis omninoque doctrinae liberalis: adeo conversa sunt hominum iudicia et studia! Itaque nullius alius facile laboris in hoc quidem genere iucundior nobis finis fuit, quam qui in horum librorum textu constituendo est a nobis consumtus.

Non multo secus fuit in libris *de Inventione*, qui et ipsi hodie valde negliguntur. In iis nobis praeter Excerpta Codicum Oudendorpiana, et edd. commemoratas etiam profuere variae lectiones libri Cassellani, quas Cortius V. C. in margine Verburgiano

scripserat, itemque Codex scriptus qui e Bibl. Guelferbytana nobis est suppeditatus. In utroque opusculo communiter etiam contulimus editiones sec. XVI principio factas, primum Iuntinam anni 1508, 8; deinde Aldinam a. 1514, 8. Et Iuntinam quidem reperimus in libris ad Herennium saepe, etiam plerumque bene, discedere a superiorum exemplorum, ut Mediolanensis, lectione, libros autem *de Inventione* prope ad verbum ex ea ductos esse. Ei editioni praefuit Laurentius Romuleus Florentinus. Aldina autem, sicut et in ceteris libris rhetoricis, adeo multis locis lectiones ante usitatas, saepe non bene, mutavit, ut hic proprie novi textus exemplum reperiatur, quod deinde propter auctoritatem officinae Aldinae pro basi fuit iis, qui hos libros, vel separatim, vel inter cetera Ciceronis opera, vellent edere.

Haud paulo libentius, atque, ut speramus, etiam utilius et felicius, laboravimus in libris ceteris: primum in iis, qui sunt *de Oratore*, et altero qui *Orator* inscribitur. Nam et plus erat, quod in iis ageretur, et nullus labor potest esse tantus, qui aut non bene collocatus sit in istis libris, aut non iucundus esse debeat atque adeo sit ei, qui hos libros cognorit, quos inter perfectissima artis Ciceronianae opera iure suo numeramus. Nobis autem ille labor etiam hac de causa iucundus fuit, quod in iis plura egregia adiumenta contigerant, quam ceteris animadvertimus suppeditasse: quae nobis eo gratiora venere, quod vix alii Ciceronis libri magis criticam operam nobis videbantur desiderare.

Primum oblatus est nobis liber scriptus operis *de Oratore*, ut primum consilium nostrum de nova editione Ciceronianorum librorum patefactum est,

qui in Bibliothecam Academiae Erlangensis e monasterio Heilbronnensi venit. Auctor beneficii fuit Harlesius V. C. litterarum humaniorum in illa Academia Professor eruditissimus, qui nobis usum eius impetravit. Est autem codex ille scriptus saeculo decimo. Clara res est non modo e scriptura, sed etiam e subscriptione Codicis: *Venerando Gerberto Abbate philosophante, suus placens Ayrardus scripsit.* Nam hic est Gerbertus Ottonis III magister intelligendus, et Ayrardus monachus ille, ad quem Gerberti exstat epistola, inter Gerbertinas s. Silvestri II Pontif. Max. (T. II Script. Gall. Quercetani) septima; in qua rogatur a Gerberto, ut Plinium emendandum curet etc. isque adeo liber scriptus est ab Ayrardo, quum Gerbertus adhuc Abbatis Bobiensis munere fungebatur. Agebat autem hoc Gerbertus diligenter, id quod ex multis eius epistolis intelligitur, v. c. 44, 105, 130, aliisque, ut libri veteres latini, eruti undique, sibi accurate describerentur. In his, quorum in ea re opera utebatur, fuit hic Ayrardus, quem Monachum Auriliacensem fuisse, colligi videtur posse ex epistola Silvestri 17, in qua ad eius monasterii Abbatem Geraldum ita scribit de Ayrardo, ut *Vestrum* dicat *Ayrardum.*

Hic ergo tantae vetustatis Codex, qua fortasse nullus ex iis fuit, quibus usi sunt viri docti in hoc Ciceronis opere castigando, suppeditavit nobis lectiones bonas, etiam novas, quibus bonitas libri iudicari potest. Lib. I, 22 hodie est in libris, *ut est in cretionibus.* Haec lectio debetur P. Victorii iudicio, qui ex re iudicabat, sic esse scriptum a Cicerone, quum in edd. et scriptis omnibus esset vel *cognitionibus* vel *cogitationibus.* Sed hic Gerbertinus liber habet plane *cretionibus.* L. II, c. 14, ut primum

legimus verba: *sentio, orationem meam illorum (librorum) cantu quasi colorari:* verbum *cantu*, in quo neminem haesisse vidimus, vitiosum iudicavimus, quod id cum *colorare* nullo modo consentiret. Putavimus corrigendum esse *contactu*: alius de disciplina nostra melius *tactu*. Id est in hoc codice etc. Atque ut ille liber nobis lectiones novas suppeditavit, sic veteres bonas saepe firmat. Quo magis dolendum est, eum esse tam multis locis lacunosum. Nam desunt haec: a lib. I, c. 27 verbis *invenieb. duas* ad usque L. II, c. 5 ad verba: *Tum Catulus, ne Graeci quidem* etc. Secunda est a lib. II, c. 57, *foenum esse oportere* ad c. 71, ubi redit antiqua manus in verbis *colliguntur a Graecis*. Tertia est lib. III, c. 5, ubi manus vetus desinit in verbis *imusne sessum*: redit in verbis: *nec genera proponunt* c. 28 extr. Quarta denique incipit c. 37 a verbis: *omnis igitur oratio*, desinit c. 43 in verbis: *rhetoricoteros tu sis*. Apparet autem easdem lacunas fuisse in libro, unde suum Ayrardus descripsit. Nam interdum in media pagina incipit notata lacuna: item reditus textus est in pagina aversa. Manus autem quae explevit lacunas, est seculi quinti decimi, nec ea supplementa e libro contemnendo ducta sunt, etsi non comparando cum Ayrardino. Tantum hic de Codice Erlangensi, ad quem post etiam per aliam occasionem redibimus.

Veniamus ad exempla horum librorum typographica, de quibus satis accurate nondum dictum est ab aliis. Prima per artem typographorum facta sunt a Sweinhemio et Pannartio Germanis, anno quintidecimi seculi, primum septimo et sexagesimo, in claro monasterio Sublacensi, mox anno sequente iterum Romae, ut bene demonstratum est a Mermanno p. 246 eruditi operis de Origg. typogr. Eos secutus est

in eadem urbe Roma Vlricus Han Vindobonensis a. duodeseptuagesimo: cuius exemplum fuit in eiusdem de Boze Bibliotheca. Neutram mihi videre uspiam contigit: qui autem vidisse se profitentur, qui sunt valde pauci, ii, de more superiorum temporum, nihil, quod cuiquam prosit, de iis tradunt, contenti de forma externa, h. e. modulo, chartis, figuris literarum prodidisse. Proxima ab his facta sunt exempla Veneta Waldarferi 1470, 1473, itemque Mediol. 1477 per Lavagniam, Andr. Catharensis 1478, quo usus est Pearcius. Inter haec collocanda exempla sunt ea, quae sine loci et anni nota exstant. Eius generis exemplum se vidisse ait Maettarius tom. IV Ann. typ. p. 750, in cuius fine adscriptum esset, eam editionem factam Venetiis 1485 per Andr. Ascul. quod ille recte repudiat, illamque hac priorem iudicat. Nam haec Veneta, cuius exemplum ipsi habemus, plane diversa est, habetque, praeter libros de Orat. cum Omniboni Commentario, ceteros minores libellos; de quibus suo loco dicemus. Illa vero est superioribus longe correctior, et repetita a Minutiano in Mediolanensi operum universorum editione, inde ab Ascensio 1511. Adiecere deinde Iuntae animum ad novam editionem, cui et ceteri minores Ciceronis libri oratorii additi sunt, eaque facta est a. 1514, eodemque adeo anno, quo Aldina prodiit, de qua supra dictum Ei se praefuisse Lucas Robia profitetur brevi praefatione, sed quos libros secutus sit, qua ratione emendandi usus sit, non tradit. Basin quidem textus sui fecisse Mediolanensem animadverti, sed eum passim correxisse: quomodo, exempla in notis nostris prodita indicabunt. Differt ille quidem saepe ab Aldino, in quo nimis multa de coniectura mutata sunt, ple-

rumque non bene, ut nobis videtur. Et tamen hic textus Aldinus, ut supra diximus, auctoritatem primam apud sequentes editores tenuit. Sed ii fuerunt qui universa Ciceronis opera dedere, de quibus separatim hic dicere non est necesse.

Separatim inter hos edidit Philippus Melanthon Hagenoae 1525, 8, cum notis quibusdam et scholiis pertinentibus ad illustrationem rerum difficiliòrum. Non videtur usus esse scripto libro, sed in delectu tamen lectionum iudicium suum adhibuisse. Decem annis ante Lipsiae e Tanneri officina exierunt iidem libri eleganter et nitide, incertum quo curante. Is textum Ascensii basin fecisse videtur: nam ex eius textu et margine quaedam reperi assumta, quae non sunt in prioribus. Inter ceteros in edendis his libris operae pretium fecit Lud. Strebaeus, qui et de iudicio suo delegit lectiones, quas optimas putaret, et commentario egregio textum illustravit. In fine superioris seculi hos libros Oxonii separatim edidit Th. Cockmannus, subiectis lectionibus variis e MSS. quinque Oxoniensibus et edd. quibusdam: textus ipsius emendationem non tentavit, nec omnino multum profuit his libris. At annos ante plures, a. 1716, iterum et melius 1732, Zach. Pearcius Britannus, post Episcopus, vir insigni doctrina et eleganti iudicio hos libros ita edidit, ut textum e MSS. tribus et edd. antiquis, sed tantum duabus Mediolanensi 1498, et Veneta 1478, corrigeret, tum vero etiam iudicium suum secutus, in quo latinitate et rebus niteretur. Itaque haec quidem editio ad hoc usque tempus longe optima fuit. Nos quidem in textu horum librorum constituendo usi sumus editionibus, quae quidem hos libros solos habent, his, Waldarferi 1470, ea, quae est *sine loci*

et temporis nota, Venet. 1485 Iuntina, Aldina, Philippica, Lips. Strebaei, Pearcii.

Minus quam in his et ceteris felices fuimus in *Bruto*: qui inter opera Ciceronis subiicitur iis, qui de *Oratore* dicuntur: et sic voluisse videtur ipse Cicero de Divin. II, 1. Minucianus *Oratorem* volebat iis subiicere ante *Brutum*: sed quum exspectaret libros, quibus in eo adiuvaretur, *Brutum* priorem posuit, ut in nota adiecta monuit lectorem. Exemplum scriptum huius libelli nullum nobis contigit; nec reperire uspiam potuimus, quamquam diligenter per multis locis quaesitam, editionem primam Romanam, h. e. corpus librorum Ciceronis oratoriorum, a Sweinhemio et Pannartio factum. De quo video non consentire virorum doctorum traditiones. Nam vidi, qui editionem minorum libellorum oratoriorum ab editione librorum *de Oratore* distinguerent; item qui ei tantum *de Oratore*, *Oratorem* et *Brutum* tribuerent. Sed in Epistola nota horum artificum ad Paullum II, inter libros ab se editos diserte *Ciceronis de Oratore cum ceteris* commemorant: unde coniicere licet, etiam *Topica*, et *Partitiones* in iis exemplis esse. Sed qui ipsum opus viderint, decernant. Nam quod Decembrius Polit. liter. p. 33 ait: *Brutum* inventum esse, et primum publicatum a Guarino Veronensi, id non ad typographicam rationem pertinet, sed ad exempla, quae scribendo fiunt. Ceterum arbitror, me illius Romani exempli textum habuisse in eorumdem opusculorum, ceterorumque libellorum rhetoricorum Ciceronis, exemplis Venetis, ab Andr. Asculano 1485 curatis. Nam primum, quum nullam aliam intermediam eorum editionem factam esse constet, haec autem Veneta tantum typographi opus sit, necesse

est, ut in ea sit mera repetitio superioris exempli Romani. Deinde reperi, lectiones a Rivio in Castigg. in Brutum et Oratorem commemoratas e Romano exemplo, esse prope omnes in hoc Veneto: has, in quibus abit hoc ab illo, esse vitia puto operarum, ut in Or. 39, ubi e Romano Rivius commemorat *sine conformatione sententiae dicitur*, hoc habet *edicitur*, quod ex eo in sequentes editiones omnes venit: in quo, non dubito, litteram illam primam temere e fine praecedentis verbi repetitam esse. Ceterum nullam editionem huius libelli, praeter eas, quae sunt communes caeteris oratoriis, habuimus, nisi *Corradinam*, cuius tamen textus ad criticam rationem parum prodest.

In ceteris libellis, praeter editionum communium exempla, nacti sumus primum ex Bibliotheca Academiae Vitebergensis, per veterem amicum nostrum Ritterum, iuris veteris et historiae omnis omnium, qui uspiam sunt, doctissimum, librum scriptum chartaceum, in quo essent *Orator*, *Topica*, *Partitiones*, et *praefatio Orationum Demosthenis* et *Aeschinis de optimo genere oratorum*. Ad eius libri calcem scripta sunt haec: *Ego Milo de Carraria, Patavinus, e Magnatum genere, scripsi Romae anno a nativitate Domini MCCCCXXXII.* Iam libri, qui Orator dicitur, exemplum, primum inventum est a Gerardo Landriano, Laudis Pompeiae Episcopo. Nam quod Sabellicus in Dial. de latinae L. reparatione, et Blondus, atque inde P. Victorius praefat. Castigg. ad rhetoricos libros, ipse denique scriptor nuperus vitae Barzizianae, Furiettus pag. XXXVI, libros *de Oratore* nominant, in eo manifestus error est. Ipse Barzizius in epistola ad Gerardum Landrianum, qua ei gratias agit, quod sibi Codicem repertum

misisset, pag. 215, *Oratorem*, eumque unum, appellat. Ille autem Codex, qualis fuerit, optime ipsis Barzizii verbis intelligitur. Scribit autem de eo in eadem epistola sic: *Feci autem, ut pro illo vetustissimo, ac paene ad nullum usum apto, novum, manu hominis doctissimi scriptum* (Cosmum Cremonensem appellat Blondus lib. IV *Romae instauratae*) *ad illud exemplar correctum alium Codicem haberes: quem ad te pro tuo is defert, qui primus munus hoc a tua in eum benevolentia impetravit.* Ex eo porro exemplo, quod ad Gerardum misit, sibi aliud descriptum esse a librario suo dicit.

Ex hoc igitur Barziziano exemplo fluxere alia omnia, et scripta, et typographicis formulis expressa. Sed Gerardus ille Laudensis Episcopus creatus erat a Martino V, a. 1419. Barzizius autem mortuus est a. 1431. Vnde patet exemplum Vitebergense esse e primis, quae de Barziziano descripta sint, et eius adeo non minorem atque adeo parem aut maiorem esse auctoritatem, quam Romani exempli, quod per typographos ex eiusmodi apographo multis annis post factum est. Atque id etiam ad ceteros libellos pertinet, qui pariter a Sweinhemio e tali Codice, qualis est Vitebergensis, ducti videntur. Atque etiam comparandis lectionibus didicimus, Romanas, quas quidem novimus, cum Vitebergensibus fere consentire.

Huic libro accessit aliud adiumentum ab exemplo nostro Venetae editionis, de qua ante diximus. Nam in eo totus hic *Oratoris*, itemque *Partitionum Or.* liber manu docti hominis correctus est. Forma scripturae est saeculi sexti decimi ineuntis. Putabamus ab initio, eas correctiones factas esse ad exemplum aliquod editionis posterioris, quod fere cum recen-

tioribus lectionibus, per editores sequentes inductis, consentiebant. Sed tamen reperimus quasdam, quae in nullo, quod quidem repererimus, exemplo edito exstent.

Habemus etiam exemplum *Oratoris* Lipsiense, factum in hac urbe nostra per Herm. Tulichium a. 1515, in quo ille concinnando editionem, sive Romanam, sive Venetam, secutus est maxime, sed adhibitis etiam aliis exemplis, et variis lectionibus in margine positis; in quibus videntur esse quaedam coniecturae, sive ipsius, sive aliorum, quas quidem literis proditas reperisset. E nostratibus huic libro etiam profuere Philippus Melanthon et Io. in primis Rivius; hic quidem comparandis editionibus primis. Nam et Romanum exemplum habuit, ut supra diximus, et aliquot locis etiam commemorat veterem editionem Venetam; quae est ipsa Andr. Asculani: denique coniectura interdum assecutus esse veram lectionem iudicatus est, unde eae in textum postea tacite sunt receptae. Ac profecto vix alio in ullo Ciceronis libro magis locus est coniecturis, quam in hoc, nec minus in caeteris oratoriis, qui ex uno libro scripto fluxere. Sed quid commentarii et observationes virorum doctorum nobis profuerint, in singulis locis reperietur.

In *Topicorum* libello nihil nobis praeter exemplum scriptum Viteb. de quo ante diximus, contigit novi adiumenti: sed ille liber pluribus in locis profuit: nec exemplum typographicum antiquius illo Veneto habuimus. Exemplorum huius generis nullum antiquius anno 1472 novimus; sed de eo nihil praeter Maettarii traditionem habeo, ipse meis oculis usurpavi nunquam. Sed si *Topicorum* et *Partitionum* libelli non exstant in corpore Sweinhemii, eiusmodi aliquod

exemplum eius aetatis exstet necesse est, quod in illo Andr. Asculani corpusculo repetitum sit.

In *Partitionibus oratoriis* castigandis profuit nobis primum Vitebergensis liber, deinde alius antiquior Codicis Erlangensis. Nam in eo libris *de Oratore* subiectum est eiusdem Ayrardi manu: *Remmii Fannii* Carmen de *ponderibus et mensuris*, et *Prisciani* liber *de figuris numerorum*, in quo *Ayrardi* manus desinit: eique subscriptum est id, quod supra commemoravimus. Sed volumen claudit hic *de Partitionibus orat.* libellus, scriptus eadem manu, qua supplementa librorum *de Oratore*: subiectum est nomen scriptoris, *Henricus Hond.* Lectiones a nobis ex eo commemoratae docebunt, id exemplum e Codice non malo descriptum esse.

Denique in praefatione Ciceronis *de optimo genere oratorum* profuit nobis aliquot locis liber Vitebergensis.

Haec habuimus, quae de libris diceremus, quibus in hoc rhetorico volumine recensendo et castigando usi sumus. Quid autem nobis in ea re profuerint, res ipsa docebit et periti iudicabunt. Scr. m. Maio a. C. CIↃIↃCCLXXII.

M. TVLLII
CICERONIS
RHETORICORVM *
LIBER PRIMVS

SVMMARIVM

Prooemium *de eloquentiae ad rempublicam utilitate*, Cap. 1. *eiusque inventae et perfectae causis*, Cap. 2. *deinde de invecto eius abusu, disserit*, Cap. 3. *nihilo secius tamen eloquentiae studendum eamque cum sapientia coniungendam esse, docet*, Cap. 4.

Huic prooemio subiungitur brevis disputatio de artis oratoriae genere, officio, fine, materia *et* partibus, Cap. 5—7. *Ac materia quidem secundum Aristotelem tribus orationum generibus*, demonstrativo, deliberativo, iudiciali *definitur*, *et Hermagoras, qui oratoris materiam in* causam *et in* quaestionem *diviserat, reprehenditur*. Cap. 6. *Partes autem rhetoricae numerantur quinque*, inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Cap. 7.

Sequitur locus de inventione; *ubi primum quid sit* constitutio, *quaeque sit constitutio* coniecturalis, definitiva, generalis, translativa, *exponitur*. Cap. 8, 9. *Obiter Hermagoras refutatur, qui constitutioni generali partes quatuor supposuerat, deliberativam, demonstrativam, iuridicialem, negotialem*. Cap. 10. *Tum generalis constitutio dividitur in* iuridicialem *et* negotialem. *Iuridicialis in duas distribuitur partes*, absolutam *et* assumtivam. *Assumtivae sunt partes quatuor*, concessio, *remotio criminis, relatio criminis, comparatio. Translativam constitutionem, Hermagorae inventioni tributam, perperam a multis reprehensam esse affirmatur.*

Constitutione causae reperta videndum esse, utrum causa sit simplex *an* coniuncta, *et si coniuncta fuerit, utrum sit ex pluribus quaestionibus iuncta, an ex aliqua comparatione;* Cap. 12. *deinceps esse videndum, quae quaestio, quae ratio, quae iudicatio, quod firmamentum causae sit.* Cap. 13.

His repertis ordinandas esse partes orationis, quae omnino sint sex, exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, conclusio. Cap. 14.

Primum igitur praecipitur de exordio, *quod quum debeat auditorem benevolum, attentum, docilem facere, consideranda esse genera causarum quinque,* honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum; *quorum in unoquoque dispari ratione exordiendum esse.* Cap. 15. *Ipsum autem exordium dividitur in* principium *et* insinuationem. *De principio exponitur* Cap. 15, 16. *de insinuatione* Cap. 17. *deinde* Cap. 18 *de communibus exordiorum virtutibus et vitiis.*

Secundo loco de narratione *praecipitur ita, ut generibus narrationum expositis,* Cap. 19, *fusius pertractetur narratio, quae causae continet expositionem.* Cap. 20. *Hanc oportere tres res habere, ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit.* Cap. 20. *deinde cavendum esse, ne aut quum obsit narratio, aut quum nihil prosit, tamen interponatur, aut non loco, aut non, quemadmodum causa postulat, narretur.* Cap. 21.

Tertio loco agitur de partitione, Cap. 22. *cuius duae partes sunt, una quae, quid cum adversariis conveniat, et quid in controversia relinquatur, ostendit, altera quae rerum, de quibus orator dicturus est, distributam continet expositionem. Alteram hanc partitionem brevitate, absolutione, paucitate laudari; ordinemque partium in dictione eundem esse debere, qui fuerit in partitione, docetur.* Cap. 23.

Quarto agitur de confirmatione, Cap. 24 sqq. *ubi primum ostenditur, omnes res argumentando confirmari, aut ex iis quae personis sint attributa, qualia sunt nomen, natura, victus, fortuna, habitus, affectio, studia, consilia, facta, casus, orationes:* Cap. 25. *aut ex iis quae negotiis attributa sint, quae partim sint continentia cum ipso negotio, partim in gestione negotii considerentur,* Cap. 26. *partim adiuncta negotio sint, partim gestum negotium consequantur.* Cap. 27. *Deinde docetur omnem argumentationem aut necessariam aut probabilem esse. Genus argumentandi necessarium tractari in dicendo aut per complexionem, aut per enumerationem, aut*

per simplicem conclusionem. Cap. 28. *Probabile autem esse id, quod fere fieri soleat, aut quod in opinione positum sit, aut quod habeat in se ad haec quandam similitudinem. Omne autem probabile, quod sumatur ad argumentationem, aut signum esse, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile.* Cap. 29 extr. *Sequuntur praecepta de ratione inventas argumentationes exornandi,* Cap. 30. *ubi primum disseritur de argumentatione per inductionem,* Cap. 31—33. *deinde de ea quae fit per ratiocinationem.* Cap. 34. *Hic primum quaeritur, utrum ratiocinatio in quinque partes, an in tres rectius distribuatur, ubi postquam ostensum est, quae sit quinquepartita, quae autem tripartita, quinquepartitam maxime probandam esse docetur.* Cap. 35, 36. *Eius partibus, propositione, propositionis approbatione, assumtione, assumtionis approbatione, complexione, enumeratis,* Cap. 37, *agitur de argumentatione per ratiocinationem quadripartita et tripartita,* Cap. 38, 39. *et an ex duabus quoque partibus vel una constare possit argumentatio quaeritur.* Cap. 40, 41.

Quinto loco agitur de reprehensione, *seu confutatione argumentorum adversarii, eiusque fontibus.* Cap. 42 sqq. *Nimirum argumentatio reprehenditur, si aut ex iis, quae sumta sunt, non conceditur aliquod unum plurave,* Cap. 43—46, *aut his concessis, complexio confici ex his negatur,* Cap. 47, 48, *aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur,* Cap. 49, 50, *aut si contra firmam argumentationem alia aeque firma aut firmior ponitur,* Cap. 51.

Vltimo loco Cicero, (postquam obiter de Hermagorae ratione, qui degressionem *in partium orationis numero posuerat,* Cap. 52, *dixit*) conclusionem *pertractat, eiusque partes tres,* enumerationem, Cap. 53, indignationem, Cap. 54, conquestionem, Cap. 55, *uberius explicat.*

1. Saepe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia di-

* *De Arte Rhetorica,* fere praescriptum his libris omnium editionum reperimus: sed alicubi tamen, *De Inventione,* non *de Arte Rhetorica,* quod et Venetum exemplum secutum est. Aliqui *artem veterem* hanc vocarunt. De his omnibus nihil magnopere retulerit, quodcumque reti-

cendi, ac summum eloquentiae studium. Nam quum et nostrae reipublicae detrimenta considero, et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines invectam partem incommodorum. Quum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex literarum monumentis repetere instituo, multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intelligo cum animi ratione, tum facilius eloquentia comparatas. Ac me quidem diu cogitantem, ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem, sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam. Quare si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriae civis alitur; qui vero ita sese armat eloquentia, non ut oppugnare commoda patriae, sed pro his propugnare possit, is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus, atque amicissimus civis fore videtur.

2. Ac si volumus huius rei, quae vocatur eloquentia,

nere voluerimus. Nam et Rhetoricae certe artis praecepta his libris traduntur, et ea inventionis, non collocationis, neque dispositionis, aut pronuntiationis. Et ante alios libros rhetoricos hoc scriptum a Cicerone compositum fuisse dubium non est. CAMER.

Invectam) Additur *esse* Venet. Camer. Lallem. Oliv.

Animi ratione) Ernestio non placet *animi* h. l. Et poterat sane abesse, ut infra *rationem* et *orationem* occurrit c. 2.

Perniciosus patriae civis alitur) Sic plerique edd. et codd. MSS. recte. Gruterus et qui eum sequuntur, *perniciosus civis dicitur*.

Non ut) Vulg. *ut non*. Sed transponendas iudicavi has particulas, quia sensus est hic: *qui vero se armat eloquentia, non hoc consilio, ut oppugnare — possit.*

Propugnare) Hoc legitur in MSS. Erf. Duisb. Voss. 1, Leid. 3, et est concinnius, quam *pugnare*, quod est in aliis.

Atque amicissimus) Haec absunt MSS. Ox. ω. 4.

sive artis, sive studii, sive exercitationis cuiusdam, sive facultatis a natura profectae considerare principium, reperiemus id ex honestissimis causis natum, atque optimis rationibus profectum. Nam fuit quoddam tempus, quum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, et sibi victu fero vitam propagabant; nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur; nemo nuptias viderat legitimas; non certos quisquam aspexerat liberos; non, ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atque inscientiam caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam, magnus videlicet vir et sapiens, cognovit, quae materia, et quanta ad maximas res opportunitas inesset in animis hominum, si quis eam posset elicere, et praecipiendo meliorem red-

Optimis) Ernesti addidit *ab*, quod in edd. abest, quod sic scilicet sit consuetudinis Ciceronianae. Sed ita secundum membrum *ab optimis rationibus profectum* nihil aliud diceret, quam quod iam dictum erat priore *ex honestissimis causis natum*. Contra si legitur *optimis rationibus profectum*, hoc significat, id, quod ex honestissimis causis natum esset, optima quoque ratione excultum esse. Vnde forsan suspicari liceat, *perfectum* potius, quam *profectum* legendum esse.

More) Hoc tenent libri probatissimi, Erf. Duisb. Cauch. et edd. Steph. Victor. Hervag. Manut. Lambinus etc. *bestiarum modo*.

Victu fero) Sic MSS. Cauch. item Victorin. Alteram lectionem *victu ferino* minus aptam esse, docuit Ernesti.

Legitimas viderat nuptias) Hunc verborum ordinem vulgato *nuptias viderat legitimas* concinnitatis causa cum Lambino praetulimus. *Legitimas* enim est notio sententiae primaria.

Aspexerat) Sic Erf. Duisb. Cauch. et edd. pr. Vulg. *inspexerat*.

Inscientiam) Hoc praebent codd. Duisb. Erf. quatuor Bruti codd. MSS. Ox. ω, 1, 2 et Lambin. *inscitiam* ed. Omnib. cum aliis.

Quae materia) Hic vulgo add. *esset*.

In animis inesset) Sic legendum Oudendorpius et MSS. testimoniis, et aliorum Ciceronis locorum exemplis docuit. Vulg. *in animis esset*. Vtrumque hic delevit Ernesti, servato *esset* post *materia*.

dere; qui dispersos homines in agris, et in tectis silvestribus abditos, ratione quadam compulit unum in locum et congregavit, et eos in unamquamque rem inducens utilem atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes, ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos. Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subito converteret, et ad diversas vitae rationes traduceret. Age vero, urbibus constitutis, ut fidem colere, et iustitiam retinere discerent, et aliis parere sua voluntate consuescerent, ac non modo labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent, qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent? Profecto nemo, nisi gravi ac suavi commotus oratione, quum viribus plurimum posset, ad ius voluisset sine vi descendere; ut, inter quos posset excellere, cum iis se pateretur aequari, et sua voluntate a iucundissima consuetudine recederet, quae praesertim iam naturae vim obtineret propter vetustatem.

3. Ac primo quidem sic et nata et progressa longius eloquentia videtur; et idem postea maximis in rebus pacis et belli cum summis hominum utilitatibus esse versata. Postquam vero calliditas quaedam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii, dicendi copiam consequuta est, tum ingenio freta malitia, pervertere urbes, et vitas hominum labefactare assuevit. Atque

Converteret) Ernesti mavult *averteret;* quoniam *converteret* iam lateat in *traduceret*. At hoc secus est.

Ad diversas vitae rationes) Leid. 1 a pr. manu omittit *vitae*.

Calliditas) Ita rescripsi e conj. Ernest. pro *commoditas*, quod, ut ille monuit, sensum h. l. aptum non praebet. Sic postea, *fusse non incallidos homines*.

huius quoque exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus.

Verisimillimum mihi videtur, quodam tempore neque in publicis rebus infantes et insipientes homines solitos esse versari, nec vero ad privatas causas magnos ac disertos homines accedere; sed quum a summis viris maximae res administrarentur, arbitror alios fuisse non incallidos homines, qui ad parvas controversias privatorum accederent. Quibus in controversiis quum saepe a mendacio contra verum homines stare consuescerent, dicendi assiduitas aluit audaciam, ut necessario superiores illi propter iniurias civium resistere audacibus, et opitulari suis quisque necessariis cogerentur. Itaque quum in dicendo saepe par, nonnunquam etiam superior visus esset is, qui, omisso studio sapientiae, nihil sibi praeter eloquentiam comparasset, fiebat, ut et multitudinis et suo iudicio dignus, qui rempublicam gereret, videretur. Hinc nimirum non iniuria, quum ad gubernacula reipublicae temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant.

4. Quibus rebus tantum odii atque invidiae suscepit eloquentia, ut homines ingeniosissimi, quasi ex aliqua turbida tempestate in portum, sic ex seditiosa et tumultuosa vita se in studium aliquod traderent quietum. Quare mihi videntur postea cetera studia recta atque honesta, per otium concelebrata ab optimis, enituisse; hoc vero a plerisque eorum desertum obsolevisse eo tempore, quo multo vehementius erat retinendum, et

Gereret) Leid. 1, *regeret.*

Non iniuria) Ernesti hic sensum commodum desiderat, vultque interpunctionem sic mutari: *non iniuria quum — iis rebus.* Sed hoc minime admittendum. *Non iniuria fiebant naufragia, quum — accesserant*, idem est ac: *aequum et consentaneum erat ex audacia gubernatorum naufragia fieri.*

studiosius adaugendum. Nam quo indignius rem honestissimam et rectissimam violabat stultorum et improborum temeritas et audacia, summo cum reipublicae detrimento, eo studiosius et illis resistendum fuit, et reipublicae consulendum. Quod nostrum illum non fugit Catonem, neque Laelium, neque horum (vere dicam) discipulum Africanum, neque Gracchos Africani nepotes; quibus in hominibus erat summa virtus, et summa virtute amplificata auctoritas, et, quae his rebus ornamento, et reipublicae praesidio esset, eloquentia. Quare, meo quidem animo, nihilo minus eloquentiae studendum est, etsi ea quidam et privatim et publice abutuntur, sed eo quidem vehementius, ne mali magno cum detrimento bonorum, et communi omnium pernicie, plurimum possint; quum praesertim hoc unum sit, quod ad omnes res, et privatas et publicas, maxime pertineat; hoc tuta, hoc honesta, hoc illustris, hoc eodem vita iucunda fiat. Nam hinc ad rempublicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum praesto est sapientia. Hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honor, dignitas confluit; hinc amicis quoque eorum certissimum ac tutissimum praesidium comparatur. Ac mihi quidem videntur homines, quum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis praestare, quod loqui possunt. Quare praeclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines bestiis praestant,

Vere dicam) Recte sic edidit Ernest. pro vulg. *ut vere dicam*. Sic in cod. Pal.

Publice abutuntur) Vulgo *publice perverse abutuntur*. Sed *perverse* abest a duobus codd. Voss. Leid. 3, pluribusque Graev. et Gronov.

Maxime bestiis) MS. Leid. 1, *maxime belluis*, quod placuit Ernestio, ne in tribus versiculis idem verbum bis esset. Hic autem vis consequentiae postulat, ut idem verbum repetatur.

Praestant) auctore Oudend. praetuli vulg. *praestent*.

ea in re hominibus ipsis antecellat. Hoc si forte non natura modo, neque exercitatione conficitur, verum etiam artificio quodam comparatur, non alienum est videre, quid dicant ii, qui quaedam eius rei praecepta nobis reliquerunt.

5. Sed antequam de praeceptis oratoriis dicamus, videtur dicendum de genere ipsius artis, de officio, de fine, de materia, de partibus. Nam his rebus cognitis, facilius et expeditius uniuscuiusque animus ipsam rationem ac viam artis considerare poterit.

Civilis quaedam ratio est, quae multis et magnis ex rebus constat. Eius quaedam magna et ampla pars est artificiosa eloquentia, quam rhetoricam vocant. Nam neque cum his sentimus, qui civilem scientiam eloquentia non putant indigere; et ab iis, qui eam putant omnem rhetoris vi et artificio contineri, magnopere dissentimus. Quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam civilis scientiae partem esse dicamus. Officium autem eius facultatis videtur esse, dicere apposite ad persuasionem; finis, persuadere dictione. Inter officium autem et finem hoc interest, quod in officio, quid fieri; in fine, quid officio conveniat, consideratur. Vt medici officium dicimus esse, curare ad sanandum apposite; finem, sanare curatione: item oratoris quid officium, et quid finem esse dicamus, intelligemus, quum id, quod facere debet, officium esse dicemus, illud, cuius causa facere debet, finem appellabimus.

Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars, et ea facultas, quae conficitur ex arte, versatur. Vt si

Quid dicant) Sic Ern. ex edd. pr. Aldus, et qui eum sequuntur, *quae dicant*.

Nam neque cum his) *N. n. cum iis* vulg. Illud recepimus e codd. Oudend. et edit. Omniboni.

medicinae materiam dicamus morbos ac vulnera, quod in his omnis medicina versetur: item, quibus in rebus versatur ars et facultas oratoria, eas res materiam artis rhetoricae nominamus. Has autem res, alii plures, alii pauciores existimaverunt. Nam Gorgias Leontinus, antiquissimus fere rhetor, omnibus de rebus oratorem optime posse dicere existimavit. Hic infinitam et immensam huic artificio materiam subiicere videtur. Aristoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta atque ornamenta subministravit, tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit, demonstrativo, deliberativo, iudiciali. *Demonstrativum* est, quod tribuitur in alicuius certae personae laudem aut vitu-

Eas res) *Res* addidit Graevius e MSS. et edd. pr. Eum sequutus est Ernesti.

Gorgias Leontinus) Charmantidae filius, Rhetor, Empedoclis discipulus fuit. Quum Rhetoricam docere coepisset, non minus, quam centum minas a singulis exigebat: unde tantum nummorum acquisivit, ut Delphis in templo statuam sibi, et quidem aureum posuerit. Athenis, quo legatus cum Tisia venisse dicitur, et Larissae in Thessalia diu commoratus est. Hunc purpureis vestibus usum fuisse testatur Aelianus: nec desunt, qui scribant, eius orationes Atheniensibus usque adeo admirabiles visas fuisse, ut dies, quibus habitae fuissent, ἑορτάς, et orationes ipsas *lampadas* vocarint. In hunc etiam tanquam patrem Philostratus artem sophistarum refert. Hic, ut est apud Platonem et Ciceronem, de omni re, quaecumque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum profitebatur. Vixit Gorgias annis centum et quinque, ut ait Pausanias: centum et novem, ut Quintilianus, Diogenes et Suidas scribunt: centum et octo, ut Plinius, Lucianus et Philostratus arbitrantur: centum et septem, ut vult Cicero: quamquam loquitur ita (de Senect. cap. 5), *centum et septem complevit annos*, ut eum quasi ostendat ad centum et octo annos pervenisse. Quo quidem tempore cum debilitate quadam correptus, aliquantulum somni cepisset, a necessario quodam rogatus, ecquid ageret: *Somnus*, inquit, *venit*, *ut me fratri commendet*; nec ita multo post inedia vitam finivit (CORRAD. in *Brut.* cap. 8).

Adiumenta) Voss. 1 a m. pr. habet *commincula*, superscripto *adiumenta*.

In generibus rerum) Lamb. conj. *in generibus causarum*. Aristoteles Rhet. I, 3, ait: ὥστ' ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν. Ex h. l. intelligitur, Ciceronem aeque bene *rerum* atque *causarum* scribere potuisse. Ad Herenn. I, 2, est *causarum*.

perationem; *deliberativum*, quod positum in disceptatione et consultatione civili, habet in se sententiae dictionem; *iudiciale*, quod positum in iudicio, habet in se accusationem et defensionem, aut petitionem et recusationem.

6. Et, quemadmodum nostra quidem fert opinio, oratoris ars et facultas in hac materia tripartita versari existimanda est. Nam Hermagoras quidem, nec quid dicat, attendere, nec quid polliceatur, intelligere

Deliberativum — iudiciale) Vtrobique vulgo addebatur *est*, quod recte delevit Ern. auctoritate MSS. et edd. pr.

In disceptatione, et consultatione) Oudend. *consultatione* deleri volebat, quia a tribus MSS. Graevii abfuit. Quod Ernesti iure quidem improbavit; caussam tamen attulit parum idoneam. « Non omnis, inquit, consultatio est disceptatio; illa est in curia, haec in foro ». Imo sic se res habet. Disceptatio est, ubicunque de aliqua re statuitur aliquid; disceptatores (cf. Orat. Partit. c. 3) sunt rei ac sententiae moderatores. Disceptatur autem vel in deliberationibus, sive in senatu, sive in concione ad populum; idque fit, quum agitur de futuris; vel in iudiciis, ubi agitur de rebus praeteritis. Itaque h. l. est ἓν διὰ δυοῖν, ut bene intellexit Io. Theophil. Ernesti in lexico technologiae Romanor. rhetor. v. *deliberatio*.

Habet in se sententiae dictionem) Plenius esset *concionem et sententiae dictionem*. Cicero enim plerumque, ubi de genere deliberativo agit, deliberationes in senatu, et coram populo diserte nominatas coniungit. Itaque h. l. tanto minus videri potest omisisse *concionem*, quanto magis hic, in definitione generis, necesse erat plene enumerari res generi subiectas. Sic de Orat. II, 9: *Huius* (oratoris) *est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia; eiusdem et languentis populi incitatio et effrenati moderatio*. Ibid. c. 82, ubi item de genere deliberativo agitur: *Atque haec in senatu minore apparatu dicenda sunt — concio capit omnem vim orationis*. Eodem modo Quintilianus, ubi de genere deliberativo agit, coniungit suasorias in *senatu* et in *concionibus*, III, 8, 7: item eiusd. cap. §. 65, *Ciceronis sententias et conciones*, h. e. *suasarias* in senatu et coram populo distinguit. Attamen *sententiae dictio* nonnullis locis generatim pro genere deliberativo a Cicerone ponitur; et de Inv. lib. II, c. 4, et Partitt. oratt. c. 24.

Hermagoras) Floruit post Aristotelis et Theophrasti tempora, ut ex Quintiliano lib. III, c. 1, intelligi potest: *fecitque*, ut idem tradit, *velut propriam* in oratoriis institutionibus *viam*, *quam plurimi secuti sunt*. Hic ipse est, quem corrupto, ut opinor, nomine, *Hermetem* saepius vocat Cornificius ad Herennium. PRVSTEVS. Vide Quintilianum, lib. III, cap. 5, ubi ab Hermagora stat contra Tullium. MVR.

videtur; qui oratoris materiam in causam et in quaestionem dividat. *Causam* esse dicit rem, quae habeat in se controversiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione; quam nos quoque oratori dicimus esse attributam. Nam tres ei partes, quas ante diximus, supponimus, iudicialem, deliberativam, demonstrativam. *Quaestionem* autem eam appellat, quae habeat in se controversiam in dicendo positam, sine certarum personarum interpositione, ad hunc modum: *Ecquid sit bonum praeter honestatem? verine sint sensus? quae sit mundi forma? quae solis magnitudo?* Quas quaestiones procul ab oratoris officio remotas esse, facile omnes intelligere existimamus. Nam, quibus in rebus summa ingenia philosophorum plurimo cum labore consumta intelligimus, eas, sicut aliquas parvas res, oratori attribuere, magna amentia videtur. Quod si magnam in his Hermagoras habuisset facultatem, studio et disciplina comparatam, videretur fretus sua scientia, falsum quiddam constituisse de oratoris officio, et non quid ars, sed quid ipse posset, exposuisse. Nunc vero ea vis est in homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quam philosophiam concesserit. Neque id eo dico, quod eius ars, quam edidit, mihi mendosissime scripta videatur; nam satis in ea videtur ex antiquis artibus ingeniose et diligenter electas res collocasse, et nonnihil ipse quoque novi protulisse; verum oratori minimum est de arte loqui, quod hic fecit; multo maximum ex arte dicere; quod eum minime potuisse omnes videmus.

Qui oratoris — dividat) Ad h. l. respexit Quintilian. III, 5, 14, 15.

Esse) Addidimus hoc, nam *intelligere quaestiones remotas* aliud est, atque *intelligere quaestiones remotas esse.*

Neque id eo dico) Inserui *id*, quod in hac phrasi Cicero non omittit. Quod autem in compluribus MSS. omittitur *dico*, hoc prorsus non est imitandum.

7. Quare materia quidem nobis rhetoricae videtur ea, quam Aristoteli visam esse diximus; partes autem hae, quas plerique dixerunt, inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. *Inventio* est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quae causam probabilem reddant. *Dispositio* est rerum inventarum in ordinem distributio. *Elocutio* est idoneorum verborum, et sententiarum ad inventionem accommodatio. *Memoria* est firma animi rerum ac verborum perceptio. *Pronuntiatio* est, ex rerum et verborum dignitate, vocis et corporis moderatio.

Nunc his rebus breviter constitutis, eas rationes, quibus ostendere possimus genus et officium et finem huius artis, aliud in tempus differemus. Nam et multorum verborum indigent, et non tantopere ad artis descriptionem et praecepta tradenda pertinent. Eum autem, qui artem rhetoricam scribat, de duabus reliquis rebus, de materia artis, ac partibus scribere oportere existimamus. Ac mihi quidem videtur coniuncte agendum de materia ac partibus. Quare inventio, quae princeps est omnium partium, potissimum, in omni causarum genere qualis debeat esse, consideretur.

Partes autem hae) Recte Ernesti auctoritate cod. Erf. Dulsb. delevit *sunt* post *hae*. Nam *materia quidem videtur* opponitur alteri membro *partes autem hae*, scil. *videntur*. Ceterum, quum h. l. Cicero diserte quinque partes enumeret eloquentiae, mirum est, quid sit quod Quintilianus Inst. or. III, 3, 6, Ciceronem in Rhetoricis *iudicium* subiecisse *inventioni* dicat. Sed de hac re disputavimus in Prolegomenis.

In ordinem) *Per ordinem* edd. pr. Sed illud, quod induxit Aldus, sensus requirit.

Sententiarum) Τῶν διανοιῶν, vulgo *des pensées*; non autem τῶν γνωμῶν, quas vocamus *sentences*, *maximes* etc. Latina vox utrumque significat. Capper.

Memoria est — verborum perceptio) Delendum esse *ad inventionem*, quod vulgo inculcatur inter *verborum* et *perceptio*, iam Lambinus viderat, et nuper monuit Purgoldus. Nec opus est, ut pro eo substituatur *idoneorum*, quod Lambino in mentem venit. Librariorum vitio hic repetitum est ex antecedentibus. Lallemandus edidit *ad eloquutionem*.

8. Omnis res, quae habet in se, positam in dictione ac disceptatione, aliquam controversiam, aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis continet quaestionem. Eam igitur quaestionem, ex qua causa nascitur, constitutionem appellamus. *Constitutio* est prima conflictio causarum ex depulsione intentionis profecta, hoc modo: *Fecisti; — Non feci*, aut: *Iure feci*. Quum facti controversia est, quoniam coniecturis causa firmatur, constitutio *coniecturalis* appellatur. Quum autem nominis, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio *definitiva* nominatur. Quum vero qualis sit res, quaeritur, quia et de vi, et de genere negotii controversia est, constitutio *generalis* vocatur. At quum causa ex eo pendet, quod aut non is agere videtur, quem oportet, aut non cum eo, quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua poena oportet, *translativa* dicitur constitutio; quia translationis et commutationis actio indigere videtur. Atque harum aliquam in omne causae

Ac disceptatione) Ita rectius cod. Erf. et Cauch. Vulg. *aut disceptatione*. At enim vero *dictio* et *disceptatio* hic non disiunguntur, sed copulantur.

Aut facti — continet quaestionem) Comparandus est Quintil. Inst. orat. III, 6, 49, ubi ad h. l. respexit.

Ex depulsione) Id est, refutatione, quae et *deprecatio* quandoque dicitur, ut mox patebit cap. 10. Fortunatianus Rhetor (p. 39 Rhet. Pith.) ἀπόφασιν vocat, id est *negationem*. Cap.

Intentionis) Id est, accusationis, sive actionis, qua crimen cuipiam intenditur. Fortunatianus Rhetor (p. 39 Rhetor. Pith.) κατάφασιν appellat, hoc est *affirmationem*. Capper.

Constitutio generalis) A Latinis Rhetoribus vocari solet status qualitatis, vel qualitas, ἡ ποιότης. Apud nos quaestio iuris vel de iure appellatur. Capper.

Quod aut non is) Sic e MSS. recte reposuit Graev. Vulgatum *quod non aut is* minime aptum sequentibus.

Translativa dicitur constitutio) Quintiliano translatio, transsumptiva, transpositiva, graece μετάληψις, et aliquando παραγραφή, *praescriptio*; vulgo dicimus exceptionem iudicii, vel fori declinatoriam. Capp.

Quia translationis — actio indigere videtur) Hic ordo verborum, quem tenet cod. Erf. concinnior et efficacior est, quam vulg. *quia actio translationis — indigere videtur*.

genus incidere necesse est. Nam in quam rem non inciderit, in ea nihil esse poterit controversiae. Quare eam ne causam quidem convenit putari.

9. Ac facti quidem controversia in omnia tempora potest distribui. Nam ecquid factum sit, potest quaeri, hoc modo: *Occideritne Aiacem Vlysses;* ecquid fiat, hoc modo: *Bonone animo sint erga populum Romanum Fregellani;* ecquid futurum sit, hoc modo: *Si Carthaginem reliquerimus incolumem, num quid sit incommodi ad rempublicam perventurum.*

Nominis est controversia, quum de facto convenit, et quaeritur, id quod factum est, quo nomine appelletur. Quo in genere necesse est esse controversiam, non quod de factum non constet, sed quod id, quod factum sit, aliud alii videatur esse, et idcirco alius alio nomine id appellet. Quare in huiusmodi generibus definienda res erit verbis, et breviter describenda; ut, *si quis sacrum ex privato surripuerit, utrum fur, an sacrilegus sit iudicandus.* Nam id quum quaeritur, necesse erit definire utrumque, quid sit fur, quid sacrilegus, et sua descriptione ostendere, alio nomine illam rem, de qua agitur, appellari oportere, atque adversarii dicant.

In quam rem non inciderit) *Rem* pro more Ciceroniano ex codd. Erf. Duisb. Cauch. et quibusdam edd. addiderunt Graev. Gronov. Ernesti.

Ecquid factum sit — ecquid fiat — ecquid futurum sit) Ita legendum esse, divinavit Lambinus. Vulgo: *num quid factum sit — et quid fiat — et quid futurum sit.* Illud est descriptioni causae coniecturalis aptius.

Ad rempublicam) Olivet. ad *populum romanum.*

Quo in genere necesse est esse controversiam) Vulgo editur: *quo in genere necesse est ideo nominis esse controversiam, non quod de re ipsa non conveniat;* sed verba a nobis eiecta iam Ernesti uncis inclusit, et sunt haud dubie spuria. Lambinus alteram locutionem, *non quod de facto non constet,* sustulerat, tanquam illorum, *non quod de re ipsa non conveniat,* glossema. Illa tamen aptius cum proxime sequentibus connectuntur.

Atque adversarii dicant) Vulg. *a. a. dicunt.* Coniunctivum recte reposuit Ernesti.

10. *Generis* est controversia, quum ecquid factum sit, convenit, et quo id factum nomine appellari oporteat, constat; et tamen, quantum, et cuiusmodi, et omnino quale sit, quaeritur, hoc modo: *Iustum*, *an iniustum*; *utile*, *an inutile;* et omnino, in quibus, quale sit id, quod factum est, quaeritur, sine ulla nominis controversia.

Huic generi Hermagoras partes quatuor supposuit, deliberativam, demonstrativam, iuridicialem, negotialem. Quod eius, ut nos putamus, non mediocre peccatum reprehendendum videtur; verum brevi, ne, aut si taciti praeterierimus, sine causa non sequuti eum putemur; aut si diutius in hoc constiterimus, moram atque impedimentum reliquis praeceptis intulisse videamur.

Si deliberatio et demonstratio genera sunt causarum, non possunt recte partes alicuius generis causae putari. Eadem enim res alii genus esse, alii pars potest; eidem genus esse et pars non potest. Deliberatio autem, et demonstratio, genera sunt causarum. Nam aut nullum causae genus est, aut iudiciale solum, aut et iudiciale et demonstrativum et deliberativum. Nullum dicere causae esse genus, quum causas esse multas dicat, et in eas praecepta det, amentia est; unum autem iudiciale solum esse qui potest, quum deliberatio et demonstratio, neque ipsae similes inter se sint, et ab iudiciali genere plurimum dissideant, et suum quaeque finem habeat, quo referri debeat? Relinquitur ergo, ut omnino tria genera sint causarum. Deliberatio igitur, et de-

Quum ecquid) Ita convenienter superioribus cum Lambino edidimus. Vulg. *quum et quid.*

Ne aut, si) Vere hoc restituendum e MSS. censuerunt Oudend. et Ernesti. Nam vulg. *ne si aut* sententiae consecutioni repugnat.

Vt omnino) Sic, latinitate postulante, auctore etiam Graevio rescripsimus. Et sic iam Lambinus ediderat. Vulg. *ut omnia tria sint genera causarum.*

monstratio, non possunt recte partes alicuius generis causae putari. Male igitur eas generalis constitutionis partes esse dixit.

Quod si generis causae partes non possunt recte putari, multo minus recte partis causae partes putabuntur. Pars autem causae est constitutio omnis. Non enim causa ad constitutionem, sed constitutio ad causam accommodatur. At demonstratio et deliberatio generis causae partes non possunt recte putari, quod ipsa sunt genera; multo igitur minus recte partis eius, quod hic dicit, partes putabuntur. Deinde si constitutio, et ipsa, et pars eius quaelibet, intentionis depulsio est: quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio, nec pars constitutionis est. At si, quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio, nec pars constitutionis est: demonstratio et deliberatio neque constitutio, nec pars constitutionis est. Placet autem ipsi, constitutionem intentionis esse depulsionem; placeat igitur oportet, demonstrationem et deliberationem non esse constitutionem, nec partem constitutionis. Atque hoc eodem urgebitur, sive constitutionem primam causae accusa-

Est constitutio omnis) Sic ordine lucidiore cod. Erf. Vulg. *constitutio est omnis.*

At demonstratio) Ita recte Lambin. Nam particulae *at* in assumtionibus syllogismorum solemnis est usus. Vulg. *Sed demonstratio*, minus bene, quia statim praecesserat *sed.*

Et pars eius quaelibet) Vulg. *Sed pars eius constitutionis quaelibet.* Sed *constitutionis* hic recte omittit cod. Erf.

At si, quae — demonstratio et deliberatio, neque constitutio, nec pars constitutionis est) Post haec verba vulgo inculcantur ista: *Si igitur constitutio et ipsa et pars eius intentionis depulsio est; deliberatio et demonstratio neque constitutio, nec pars constitutionis est*; quae quum sint ex antecedentibus temere repetita, et ordinem ratiocinationis turbent, iure nostro delevimus.

Placet autem ipsi, constitutionem) Vltimum verbum iure restituit Graevius e MSS. et edd. vett.

Vrgebitur) Si cum Graevio e cod. Erf. addamus *incommodo*, quod legitur etiam in Ald. Lamb. Rob. Steph. et al. valde friget, quod post dicitur: *nam cum eadem omnia incommoda*

toris confirmationem dixerit, sive defensoris primam deprecationem. Nam eum eadem omnia incommoda sequentur.

Deinde coniecturalis causa non potest simul ex eadem parte, eodem in genere, et coniecturalis esse et definitiva. Rursus nec definitiva causa potest simul ex eadem parte, eodem in genere, et definitiva esse et translativa. Et omnino nulla constitutio, nec pars constitutionis, potest simul et suam habere, et alterius in se vim continere; ideo quod unaquaeque ex se, et ex sua natura, simpliciter consideratur; altera assumta, numerus constitutionum duplicatur, non vis constitutionis augetur. At deliberativa causa simul ex eadem parte, eodem in genere, et coniecturalem et generalem et definitivam et translativam solet habere constitutionem, et unam aliquando, et plures nonnunquam. Ergo ipsa neque constitutio est, nec pars constitutionis. Idem in demonstratione solet usu venire. Genera igitur, ut ante diximus, haec causarum putanda sunt, non partes alicuius constitutionis.

11. Haec ergo constitutio, quam generalem nominamus, partes nobis videtur duas habere, iuridicialem et negotialem. *Iuridicialis* est, in qua aequi et iniqui natura, praemii aut poenae ratio quaeritur; *negotialis* est, in qua, quid iuris ex civili more, et aequitate sit, consideratur; cui diligentiae praeesse apud nos iurisconsulti existimantur. Ac iuridicialis quidem ipsa in duas distribuitur partes, absolutam et assumtivam. *Absoluta*

sequentur. Itaque praestat, id e contextu excludere; intelligendum nempe est *argumento.* Vrgebitur eodem argumento, nam omnia cum incommoda sequentur, quae exposita sunt in argumentatione superiore.

Neque) Gronov. et Graev. e MSS. Vulg. *nec.*

Vsu venire) Sic rectius cod. Erf. Cauch. Leid. 2. Vulg. *usu evenire.*

Negotialis est — existimantur) Hunc locum commemorat et reprehendit Quintilian. Inst. or. III, 6, 57.

est, quae ipsa in se continet iuris et iniuriae quaestionem: *assumtiva*, quae ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationem, foris autem aliquid defensionis assumit. Eius partes sunt quatuor, concessio, remotio criminis, relatio criminis, comparatio. *Concessio* est, quum reus non id, quod factum est, defendit, sed ut ignoscatur, postulat. Haec in duas partes dividitur, purgationem et deprecationem. *Purgatio* est, quum factum conceditur, culpa removetur. Haec partes habet tres, imprudentiam, casum, necessitatem. *Deprecatio* est, quum et peccasse et consulto peccasse reus se confitetur, et tamen, ut ignoscatur, postulat; quod genus perraro potest accidere. *Remotio criminis* est, quum id crimen, quod infertur, ab se et ab sua culpa, vi et potestate in alium reus removere conatur. Id dupliciter fieri poterit, si aut causa, aut factum in alium transferetur. *Causa* transfertur, quum aliena dicitur vi et potestate factum: *factum* autem, quum alius aut debuisse aut potuisse facere dicitur. *Relatio criminis* est, quum ideo iure factum dicitur, quod aliquis ante iniuria lacessierit. *Comparatio* est, quum aliud aliquod alicuius factum rectum aut utile contenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur esse commissum.

In quarta constitutione, quam *translativam* nominamus, eius constitutionis est controversia, quum aut quem, aut quicum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo iure, aut quo tempore agere oporteat, quaeritur, aut omnino aliquid de commutatione, aut infirmatione actionis agitur. Huius constitutionis Hermagoras inventor esse existimatur, non quod non usi sint ea

Aliud aliquod alicuius) *Alicuius* addidit Ernesti e cod. Erf. et al.

Non quod) *Non quia* Oliv. Vulg. *non quo*. Sed h. l. debet esse *non quod*.

veteres oratores saepe multi, sed quia non animadverterunt artis scriptores eam superiores, nec retulerunt in numerum constitutionum. Post autem ab hoc inventam multi reprehenderunt, quos non tam imprudentia falli putamus (res enim perspicua est), quam invidia atque obtrectatione quadam impediri.

Et constitutiones quidem, et earum partes exposuimus: exempla autem cuiusque generis tunc commodius expositari videmur, quum in unumquodque eorum argumentorum copiam dabimus. Nam argumentandi ratio dilucidior erit, quum et ad genus et ad exemplum causae statim poterit accommodari.

12. Constitutione causae reperta, placet considerare, utrum causa sit simplex, an coniuncta; et si coniuncta erit, utrum sit ex pluribus quaestionibus iuncta, an ex aliqua comparatione. *Simplex* est, quae absolutam in se continet unam quaestionem, hoc modo: *Corinthiis bellum indicamus, an non?* *Coniuncta* ex pluribus quaestionibus, in qua plura quaeruntur, hoc pacto: *Vtrum Carthago diruatur, an Carthaginiensibus reddatur, an eo colonia deducatur.* Ex *comparatione*, in qua per contentionem, utrum potius, aut quid potissimum sit, quaeritur, ad hunc modum: *Vtrum potius exercitus in Macedoniam contra Philippum mittatur*,

Animadverterunt — retulerunt) Vulg. *animadverterint — retulerint.* Sed nulla hic est obliquitas sententiae, quae coniunctivum postulat. In formula *non quod — sed quia* prius membrum, quod ut incertum aut falsum removetur, coniunctivum, alterum autem, quod affirmative enuntiatur, indicativum assumit.

Placet considerare) Vulg. *statim placet considerare.* Sed hoc *statim*, ut h. l. supervacuum et ex versu superiore a librariis temere repetitum, expunximus.

Coniuncta; et si coniuncta) Sic Voss. 1, Leid. 3 et Victorin. sequentibus convenientius, quam ut in Erf. Cauch. Pall. al. *iuncta; et si iuncta.*

Vtrum potius) *Potius* addidimus e cod. Erf. antecedentibus aptum.

Contra Philippum) Non Alexandri Magni patrem, sed alium Macedoniae regem, qui tempore belli Punici secundi, foedus cum Annibale

qui sociis sit auxilio, an teneatur in Italia, ut quam maximae contra Hannibalem copiae sint.

Deinde considerandum est, in ratione, an in scripto sit controversia. Nam *scripti controversia* est ea, quae ex scriptionis genere nascitur. Eius autem genera, quae separata sunt a constitutionibus, quinque sunt. Nam tum verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere; tum inter se duae leges, aut plures discrepare; tum id, quod scriptum est, duas aut plures res significare videtur; tum ex eo, quod scriptum est, aliud quoque, quod non scriptum est, inveniri; tum vis verbi, quasi in definitiva constitutione, in quo posita sit, quaeri. Quare primum genus, *de scripto et sententia*; secundum, *ex contrariis legibus*; tertium, *ambiguum*; quartum, *ratiocinativum;* quintum, *definitivum* nominamus. *Ratio* est autem, quum omnis quaestio non in scriptione, sed in aliqua argumentatione consistit.

13. At quum, considerato genere causae, et cognita constitutione, simplexne an coniuncta sit, intellexeris, et, scripti an rationis habeat controversiam, videris:

inierat; verum a Laevino praetore coërcitus, quum iam Italiae imminerel, in Macedoniam incensis ultro navibus se recipere coactus est. PRVST.

An in ratione, an in scripto sit controversia) Alludit hic Tullius ad celeberrimam veterum Rhetorum divisionem, qua oratoriarum quaestionum status dividuntur in *rationales*, τοὺς λογικούς, et *legales* τοὺς νομικούς. De his fuse Quintilianus agit lib. III, cap. 5, et ipse Cicero lib. II de Inv. cap. 12 et 15. Omnis autem, quae in scripto posita est controversia, *status legalis* ideo vocatur, quia inter varii generis scripta praecipuum quemdam locum *Lex*, ὁ νόμος, videtur obtinere. CAPPER.

Nam tum) Sic cod. Duisb. ed. Lamb. et aliae. Vulg. *nam quum.*

Discrepare videtur) Vltimum verbum e Lambiniana restituendum; sic enim constructio fit lucidior.

ratiocinativum) Laudat h. l. Quintil. Inst. or. V, 10, 6.

At quum — simplexne) Vulg. *at tum — quum simplexne.* Minus concinne. Nos lectionem cod. Duisb. expressimus, quam et Ernesti probavit. Male autem Oudendorpius legendum opinabatur: *At quum, considerato genere causae, tum* (id est praeterea) *c. c. utrum simplex intellexeris.*

deinceps erit videndum, quae quaestio, quae ratio, quae iudicatio, quod firmamentum causae sit; quae omnia a constitutione proficiscantur oportet. *Quaestio* est ea, quae ex conflictione causarum gignitur controversia. Causarum autem haec est conflictio, in qua constitutio constat, hoc modo: *Non iure fecisti*; — *Iure feci*. Ex ea igitur nascitur controversia, quam quaestionem dicimus, hoc modo: *Iurene fecerit?* *Ratio* est, quae continet causam, quae si sublata sit, nihil in causa controversiae relinquatur, hoc modo, ut docendi causa in facili et pervulgato exemplo consistamus: Orestes si accusetur matricidii, nisi hoc dicat: *Iure feci; illa enim patrem meum occiderat;* non habet defensionem. Ergo eius causae ratio est, quod illa Agamemnonem occiderit. *Iudicatio* est, quae ex ratione et infirmatione rationis nascitur controversia. Nam sit

Gignitur controversia) Verba, quae hic in edd. sequuntur: *hoc modo*: « *Non iure fecisti. — Iure feci*, » transposuimus post illa, *in qua constitutio constat*. Nam illud exemplum ad *conflictionis causarum* definitionem, non ad *quaestionis* pertinere perspicuum est ex iis, quae proxime sequuntur.

Ratio est) *ea*, quod vulgo hic addebatur, recte sustulit Ernesti auctoritate edd. vett.

Relinquatur) Sic recte cod. Erf. Duisb. Cauch. Vulg. *relinquetur*.

Non habet defensionem) Eiecimus verba, quae vulgo hic sequuntur: *qua sublata, omnis quoque controversia sublata sit*; quae Ernesti quoque spuria indicavit. Sunt enim ex antecedentibus: *quae si sublata sit, nihil in causa controversiae relinquatur*, verbis variatis a glossatore confecta. Quod vel ex hoc patet, quod antea de *sublata causa* dicitur, hic autem *sublata* ad *defensionem* referendum esset; quod si fieret, nihil esset ista clausula frigidius. Cf. ad Herenn. I, 16.

Iudicatio est, quae ex ratione et infirmatione rationis nascitur controversia) Vulgo: *Iudicatio est, quae ex infirmatione et confirmatione rationis nascitur controversia.* Sed h. l. sic, ut fecimus, emendandum esse, optime monuit *Io. Chr. Theoph. Ernesti* (Io. Aug. ex fratre nepos) in lexico technol. latinorum rhetor. v. *Indicatio*, cuius verba, quae huc pertinent, neminem hic legisse poenitebit. « Illa Ciceronis, inquit, definitio mihi videtur hoc modo corrigenda esse: *Iudicatio est, quae ex ratione et infirmatione rationis nascitur controversia*. Hic sensus et necessarius est propter sequens exemplum, quo nihil nisi primum *ratio*, deinde *deductio rationis* h. e. infirmatio eius continetur; et confirmatur loco simillimo

ea nobis exposita ratio, quam paulo ante exposuimus. *Illa enim* (inquit) *patrem meum occiderat. — At non* (inquit adversarius) *abs te filio matrem necari oportuit. Potuit enim sine tuo scelere illius factum puniri.* Ex hac deductione rationis illa summa nascitur controversiae, quam iudicationem appellamus. Ea est huiusmodi: *Rectumne fuerit, ab Oreste matrem occidi, quum illa Orestis patrem occidisset. Firmamentum* est firmissima argumentatio defensoris, et appositissima ad iudicationem; ut si velit Orestes dicere, eiusmodi animum matri suae fuisse in patrem suum, in se ipsum ac sorores, in regnum, in famam generis et familiae,

lib. II, 37, ubi diserte *rationibus et infirmationibus rationum supponendis ad iudicationem perveniri* dicitur. Aliud exemplum, unde vis indicationis intelligi possit, vid. lib. II, 17. Hae indicationes in omnibus constitutionibus ad hunc modum reperiuntur, praeter coniecturalem, in qua quia ratio non est (factum enim non conceditur), non potest ex deductione rationis nasci indicatio. Caeterum haec ipsa *deductio rationis* apud Ciceronem non, ut Gesnerus in Thesauro explicavit, *declarationem rationis* significat, quod nullum plane sensum habet, sed potius *deminutionem s. infirmationem*. Nam haec ipsius Ciceronis in loco parallelo et simili lib. II, 17, quem laudavimus, explicatio est. Metaphora ducta ab aquis, quae quum in rivos deducuntur, vel derivantur, eo ipso minuuntur, pristinasque vires amittunt.» Ceterum conferendus est Quintilian. III, 11, 9-12, ubi hunc Ciceronis locum tractat. — *Iudicatio.* Τὸ κρινόμενον, hoc est, id ipsum de quo iudices ferunt, aut saltem ferre debent, sententiam. CAPPER.

Patrem meum) *Meum*, quod est in edd. pr. post omissum, a Lambino restitutum, deinde iterum omissum recte revocavit Ernesti.

Summa controversiae) Ita scribendum esse, vidit Ernesti, cuius tamen rationem non probamus. Putabat enim, hic verba arithmetica esse *deductio* et *summa*. Quod fieri non potest, quia *summa* non detractione, sed additione conficitur.

Firmamentum est) Quod alias vocatur *continens*, τὸ συνέχον, hoc ex parte τοῦ Rei desumit Tullius. Contra Herennianus Rhetor lib. I, cap. 16, ex parte Actoris; ait enim: *Firmamentum quaerendum est, id est, quod continet accusationem, quod affertur contra rationem defensionis.* Vnde, ut cetera omittam argumenta, satis patet Rhetoricos ad Herennium libros non esse genuinum Romani oratoris foetum. CAPPER.

Appositissima) Hoc recepit Ernesti e MSS. Guelf. Alii *aptissima*.

Matri suae) Sic Victoriu. il. cod. Erf. Vulg *matris suae*.

ut ab ea poenas liberi sui potissimum petere debuerint. Et in ceteris quidem constitutionibus ad hunc modum iudicationes reperiuntur; in coniecturali autem constitutione, quia ratio non est (factum enim non conceditur), non potest ex ea et ex deductione rationis nasci iudicatio. Quare necesse est eandem esse quaestionem et iudicationem: *Factum est*;—*Non est factum*; — *Factumne sit?* Quot autem in causa constitutiones, aut earum partes erunt, totidem necesse erit quaestiones, rationes, iudicationes, firmamenta reperiri.

14. His omnibus in causa repertis, tum denique singulae partes totius causae considerandae sunt. Nam non ut quidque dicendum primum, ita primum animadvertendum videtur; ideo quod illa, quae prima dicuntur, si vehementer velis congruere, et cohaerere cum causa, ex his ducas oportet, quae post dicenda sunt. Quare quum iudicatio, et ea, quae ad iudicationem oportet argumenta inveniri, diligenter erunt artificio reperta, cura, et cogitatione pertractata: tum denique ordinandae sunt ceterae partes orationis. Hae partes sex esse omnino nobis videntur: exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, conclusio. Nunc quoniam exordium princeps omnium esse debet, nos quoque primum in rationem exordiendi praecepta dabimus.

15. *Exordium* est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem; quod eveniet, si

Factum est; — Non est factum;) Sic cod. Erf. Duisb. Vulg. praemittitur *ut*, quod hic abesse facile potest, et scribitur *factum non est.*

Totidem necesse erit quaestiones... iudicationes, firmamenta reperiri) De his tamen Quintilianus ita statuit lib. III, cap. 11: *Verius et brevius, qui statum et continens et iudicationem idem esse voluerunt.* CAPPER.

Ex his) Sic cod. Erf. Vulg. *ex eis.*

Ad reliquam dictionem) Tò *dictio*

eum benevolum, atteutum, docilem fecerit. Quare qui bene exordiri causam volet, eum necesse est genus suae causae diligenter ante cognoscere. Genera causarum sunt quinque, honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum. *Honestum* causae genus est, cui statim sine oratione nostra auditoris favet animus; *admirabile*, a quo alienatus est animus eorum, qui audituri sunt; *humile*, quod negligitur ab auditore, et non magnopere attendendum videtur; *anceps*, in quo aut iudicatio dubia est, aut causa et honestatis et turpitudinis particeps, ut et benevolentiam pariat et offensionem; *obscurum*, in quo aut tardi auditores sunt, aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa implicata est. Quare quoniam tam diversa sunt genera causarum, exordiri quoque dispari ratione in unoquoque genere necesse est. Igitur exordium in duas partes dividitur, in principium et insinuationem. *Principium* est oratio, perspicue et protinus efficiens auditorem benevolum, aut docilem, aut attentum. *Insinuatio* est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure subiens auditoris animum.

quandoque tolam significat orationem. Sic Tullius de Clar. Orat. cap. 74: *Malim mihi L. Crassi unam pro M. Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos.* Et I de Orat. cap. 34. Lege etiam auctorem Dialogi de Orat. apud Tacit. num. 2 et 34. Marius Victorin. in I Ciceronis de Invent. *Scire debemus in dialogis sermonem esse, non dictionem; dictionem autem esse in civilibus causis .... Sermo, philosophi: dictio, oratoris.* Capper.

Fecerit) In ed. Omnib. *confecerit*, quod non erat, cur Oudend. probaret.

Implicata est) Sic Victorin. it. MS. Voss. et Cass. Praeferendum censuit Oudend., ut numerosius vulgato *implicita est*.

Efficiens) Sic rescripsi pro vulg. *perficiens*, quod hoc sensu non reperiri, recte Ern. animadvertit.

Obscure) Cod. Voss. Leid. 3, et Erf. *obscura*. Sed bene defendit Ernesti lectionem vulgatam: « *obscure* refertur ad dissimulationem et circuitionem. *Obscure subire* est tecte et non animadvertente altero subire, quod fit dissimulando et circumeundo. Contra mox *perspicue patere*. In circuitione obscuritas per se intelligitur. »

In admirabili genere causae, si non omnino infesti auditores erunt, principio benevolentiam comparare licebit; sin erunt vehementer abalienati, confugere necesse erit ad insinuationem. Nam ab iratis si perspicue pax et benevolentia petitur, non modo ea non invenitur, sed ira augetur atque inflammatur odio. In humili autem genere causae, contemtionis tollendae causa, necesse erit attentum efficere auditorem. Anceps genus causae, si dubiam iudicationem habebit, ab ipsa iudicatione exordiendum est; sin autem partem turpitudinis et partem honestatis habebit, benevolentiam captare oportebit, ut in genus honestum causa translata videatur. In obscuro causae genere, per principium dociles auditores efficere oportebit. Quum autem erit honestum causae genus, vel praeteriri principium poterit, et si commodum fuerit, aut a narratione incipiemus, aut a lege, aut ab aliqua firmissima ratione nostrae dictionis: sin uti principio placebit, benevolentiae partibus utendum est, ut id, quod est, augeatur.

16. Nunc, quoniam, quas res exordio conficere oporteat, dictum est, reliquum est, ut ostendatur, quibus quaeque res rationibus confici possit.

Benevolentia quatuor ex locis comparatur: ab nostra, ab adversariorum, ab iudicum persona, ab ipsa

Ira augetur atque inflammatur odio) Elegantissimam hanc lectionem ex optimo cod. Erf., iam a Graevio receptam, cur post illum editores deseruerint et (omissa *ira*) *odium* reposuerint, haud intelligo. Nempe qui ab irato perspicue pacem et benevolentiam petit, huic odiosus et molestus est, et hoc ipso odio iram eius inflammat potius, quam restinguit.

In obscuro — oportebit) Haec verba, vulgo post *ut id, quod est, augeatur* posita, huc retraximus, quia Cicero primum ea genera exordii pertractat, in quibus propter aliquam causam orationi haud satis favet auditoris animus; quibus ex altera parte opponitur honestum causae genus. Et sic antea in distributione hoc ordine ponebantur: admirabile genus causae, humile, anceps, obscurum.

Et si commodum) Hoc recepi ex ed. Camer. ut aptius, quam vulg. *vel si.* Idem postea praebuit *vel si uti* pro vulgato *sin uti.* *Sin* autem tenendum est.

causa. Ab *nostra persona*, si de nostris factis et officiis sine arrogantia dicemus; si crimina illata, et aliquas minus honestas suspiciones iniectas diluemus; si, quae incommoda acciderint, aut quae instent difficultates, proferemus; si prece, et obsecratione humili, ac supplici utemur. Ab *adversariorum* autem, si eos aut in odium, aut in invidiam, aut in contemtionem adducemus. In *odium* adducentur, si quod eorum spurce, superbe, crudeliter, malitiose factum proferetur; in *invidiam*, si vis eorum, potentia, divitiae, cognatio, pecuniae proferentur, atque eorum usus arrogans, et intolerabilis, ut his rebus magis videantur, quam causae suae confidere; in *contemtionem* adducentur, si eorum inertia, negligentia, ignavia, desidiosum studium, et luxuriosum otium proferetur. Ab *iudicum* persona benevolentia captabitur, si res ab his fortiter, sapienter, mansuete gestae proferentur, ut ne qua assentatio nimia significetur: et si de his, quam honesta existimatio, quantaque eorum iudicii et auctoritatis exspectatio sit, ostendetur. Ab *ipsis rebus*, si nostram causam laudando extollemus, adversariorum causam per contemtionem deprimemus.

Attentos autem faciemus auditores, si demonstrabimus, ea, quae dicturi erimus, magna, nova, incredibilia esse, aut ad omnes, aut ad eos, qui audient, aut

Ab nostra persona) Adieci *persona*, quod in loco simili ponitur ad Herenn. I, 5. Nempe quia post *illa ab nostra — iudicum persona* interiicitur *ab ipsa causa*, hic repetendum est *persona*.

Proferetur) Codd. aliquot, *ostendatur*.

Ab iudicum persona) Hoc Graevius e MSS. duobus recepit. Et sic antea erat in partitione. Quod ni ita esset, vulgatum se bene tueretur; *ab auditorum persona*. Nam auditores sunt iudices, et sic est apud A. ad Herenn. I, 5.

Attentos autem faciemus auditores) Vltimum vocabulum addidimus, quod in novo divisionis membro haud satis apte poterat omitti. Sic ad Herenn. I, 4: *Dociles auditores — Benevolos auditores*.

Audient) Hoc ut aptius h. l. tem

ad aliquos illustres homines, aut ad deos immortales, aut ad summam rempublicam pertinere; et si pollicebimur, nos brevi nostram causam demonstraturos, atque exponemus iudicationem, aut iudicationes, si plures erunt.

Dociles auditores faciemus, si aperte et breviter summam causae exponemus; hoc est, in quo consistat controversia. Nam quem docilem velis facere, simul attentum facias oportet. Nam is maxime docilis est, qui attentissime est paratus audire.

17. Nunc insinuationes quemadmodum tractari conveniat, deinceps dicendum videtur. Insinuatione igitur utendum est, quum admirabile genus causae est, hoc est, ut ante diximus, quum animus auditoris infestus est. Id autem tribus ex causis fit maxime: si aut inest in ipsa causa quaedam turpitudo; aut si ab iis, qui ante dixerunt, iam quiddam auditori persuasum videtur; aut eo tempore locus dicendi datur, quum iam illi, quos audire oportet, defessi sunt audiendo. Nam ex hac quoque re non minus, quam ex primis duabus, in oratore nonnunquam animus auditoris offenditur. Si *causae turpitudo* contrahet offensionem, aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi oportet; aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quae probatur; aut pro re hominem, aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur; et dissimulare id te

pus recepi pro vulgato *audiunt*, codicis Erf. aliorumque MSS. auctoritate motus.

Ad summum remp.) Ita recte Lambinus. Adstipulatur Victorin. et MS. Cass. Vulg. *ad summam reip.*

Nam quem docilem) Sic rescribendum duxi pro vulg. *nam et quum docilem*, quod non bene coit cum antecedentibus *dociles auditores*.

In oratore — offenditur) Hanc lectionem bene defendit Oudendorp., quam cum Gronov. et Graev. praebent cod. Voss. c. Schol. Leid. 1, 2. Vulg. *in oratione*. Voss. 1, 2, Leid. 2, et ed. Omnib. *in oratorem*.

defensurum, quod existimeris defensurus; deinde, quum iam mitior factus erit auditor, ingredi pedetentim in defensionem, et dicere, ea, quae indignentur adversarii, tibi quoque indigna videri; deinde demonstrare, nihil eorum ad te pertinere, et negare te quidquam de adversariis esse dicturum, neque hoc, neque illud; ut neque aperte laedas eos, qui diliguntur, et tamen id obscure faciens, quoad possis, alienes ab eis auditorum voluntatem; et aliquorum iudicium simili de re, aut auctoritatem proferre imitatione dignam; deinde aut eandem, aut consimilem, aut maiorem, ant minorem agi rem in praesenti demonstrare. Sin oratio adversariorum *fidem* videbitur *auditoribus fecisse*, id quod ei, qui intelligit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu; oportet aut de eo, quod adversarii sibi firmissimum putarint, et maxime ii, qui audient, probarint, primum te dicturum polliceri, aut ab adversarii dicto exordiri, et ab eo potissimum, quod ille nuperrime dixerit; aut dubitatione uti, quid primum dicas, aut cui potissimum loco respondeas, cum admiratione. Nam auditor quum eum, quem adversarii perturbatum putat oratione, videt animo firmissimo contra dicere paratum, plerumque se potius temere assensisse, quam illum sine causa confidere arbitratur. Sin auditoris studium *defatigatio* abalienavit a causa,

Indignentur) Sic iure suo emendavit Ernesti vulg. *indignantur*, quod ab Aldo fluxit, ex MSS. Graev. et Oudend. it. edd. pr.

Deinde demonstrare) Vulg. *deinde* (*quum lenieris eum, qui audiet*) *demonstrare*. Sed illa verba, *quum lenieris eum, qui audiet*, nec agnoscit Victorinus, et iam Lambinus recte delevit. Nihil enim afferunt praeter frigidam sententiae, *quum iam mitior factus erit auditor*, repetitionem. Ernesti quoque uncis includendo damnavit.

In praesenti) Sic Graevius e codd. Erf. et Duisb. Vulg. *in praesentia*.

Qui audient) Sic cod. Cauch. et Leid. 3. Recte. Vulg. vel *audierunt*, vel *audierint*.

Perturbatum putat) Hoc Vrsinus inveuit in MS., et praeferendum est sane vulgato *putant*.

te brevius, quam paratus fueris, esse dicturum, commodum est polliceri; non imitaturum adversarium. Sin res dabit, non inutile est, ab aliqua re nova aut ridicula incipere, aut ex tempore quae nata sit, quod genus, strepitu, acclamatione; aut iam parata, quae vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irrisionem; aut, si rei dignitas adimet iocandi facultatem, aliquid triste, novum, horribile, statim non incommodum est iniicere. Nam ut cibi satietas et fastidium aut subamara aliqua re relevatur, aut dulci mitigatur; sic animus defessus audiendo, aut admiratione integratur, aut risu novatur.

18. Ac separatim quidem, quae de principio et de insinuatione dicenda videbantur, haec fere sunt. Nunc quiddam brevi communiter de utroque praecipiendum videtur. Exordium sententiarum et gravitatis plurimum debet habere, et omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, in se continere, propterea quod id optime faciendum est, quod oratorem auditori maxime commendat; splendoris et festivitatis, et concinnitudinis minimum, propterea quod ex his suspicio quaedam apparationis atque artificiosae diligentiae nasci-

Quod genus, strepitu, acclamatione) Ita scribendum esse vidit Lambinus. Et sic est in cod. Voss. c. Schol. *Quod genus* enim est idem quod οἷον, ut saepe; ergo ablativi necessario requiruntur. In libro Vrsini erat *strepitum acclamationem dicemus*. Verum hoc *dicemus* debetur grammatico, qui accusativos istos non poterat concoquere. In cod. Cauch. vestigia sunt verae lectionis: *strepitus*, *acclamatione*; sed quia punctis notatur ultima syllaba vocis *acclamatione*, librarius forsan invenit *strepitus*, *acclamatio*.

Aut risu novatur) Sic codd. Graev. et edd. primae usque ad Aldum, qui primus edidit *renovatur*. Illud hic aptius et exquisitius.

Brevi communiter) Recepimus lectionem cod. Erf. et Cauch. a Graevio quoque probatam. Vulgo *breviter et communiter*.

Commendat) Iudicativum, quem praebent multi codd. et edd., praetulimus. Nam coniunctivo hic non est locus.

tur, quae maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem.

Vitia vero haec sunt certissima exordiorum, quae summopere vitare oportebit; vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, contra praecepta. *Vulgare* est, quod in plures causas potest accommodari, ut convenire videatur; *commune*, quod nihilo minus in hanc, quam in contrariam partem causae, potest convenire; *commutabile*, quod ab adversario potest, leviter mutatum, ex contraria parte dici; *longum*, quod pluribus verbis, aut sententiis, ultra quam satis est, producitur; *separatum*, quod non ex ipsa causa ductum est, nec, sicut aliquod membrum, annexum orationi. *Translatum* est, quod aliud conficit, quam causae genus postulat; ut si quis docilem faciat auditorem, quum benevolentiam causa desiderat; aut si principio utatur, quum insinuationem res postulat. *Contra praecepta* est, quod nihil eorum efficit, quorum causa de exordiis praecepta traduntur; hoc est, quod eum, qui audit, neque benevolum, neque attentum, neque docilem efficit; aut, quo profecto nihil peius est, ut contra sit, facit. Ac de exordio quidem satis dictum est.

19. *Narratio* est rerum gestarum, aut ut gestarum expositio. Narrationum tria sunt genera. *Vnum* genus est, in quo ipsa causa, et omnis ratio controversiae continetur. *Alterum*, in quo digressio aliqua extra causam aut criminationis, aut similitudinis, aut delectationis non alienae ab eo negotio, quo de agitur, aut

Commune) Hic, et post sequentia membra, *commutabile*, *longum*, *separatum*, expunximus *est*, quod etiam in MS. Cass. Gruter. abest.

Desiderat — postulat) Cod. Erf. et Cauch. *desideret — postulet*. Sic et MSS. Oudend. et Victorin. Sed indicativum cum Ernestio servavimus, quia *quum* h. l. habet significationem temporis ac loci.

amplificationis causa, interponitur. *Tertium* genus est remotum a civilibus causis, quod delectationis causa, non inutili cum exercitatione, dicitur et scribitur. Eius partes sunt duae, quarum altera in negotiis, altera in personis maxime versatur. Ea, quae in *negotiorum expositione* posita est, tres habet partes, fabulam, historiam, argumentum. *Fabula* est, in qua nec verae, nec verisimiles res continentur; cuiusmodi est:

Angues ingentes alites, iuncti iugo.

Historia est gesta res, ab aetatis nostrae memoria remota; quod genus: *Appius indixit Carthaginiensibus bellum.* *Argumentum* est ficta res, quae tamen fieri potuit. Huiusmodi apud Terentium:

Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia.

Illa autem narratio, quae versatur in *personis*, eiusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones et animi perspici possint, hoc modo:

Venit ad me saepe clamitans: Quid agis, Micio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumtum suggeris?
Vestitu nimio indulges, nimium ineptus es.
Nimium ipse durus est praeter aequumque et bonum.

Hoc in genere narrationis multa inesse debet festivitas, confecta ex rerum varietate, animorum dissimilitudine, gravitate, levitate, spe, metu, suspicione,

Angues — iugo) Hunc versiculum Nascimbenius ex Ennii Medea depromtum putabat, ac de curru Medeae anguibus alatis vecto intelligendum.

Nam is postquam) E Terentii Andria I, 1, 24.

Venit ad me) E Terentii Adelph. I, 1, 39.

Nimium ipse durus est) « Oudend. malit e MSS. suis (quibus Cass. Gu. consentiunt, nisi quod uterque *es durus* habet) *ipse est durus*, ut fuit etiam in MS. vetere Terentii, ediditque h. l. Lambinus. Et sic versus dimensio facilior est. Sed etiam elisio potest esse in *durus*, ut cum *est* coëat, ut bene monuit ad Terentium Bentleius, cuius libri etiam in lectione vulgata consentiunt. » Hactenus Ernesti, cui assentior.

Levitate) Haud dubie sic legen-

desiderio, dissimulatione, errore, misericordia, fortunae commutatione, insperato incommodo, subita laetitia, iucundo exitu rerum. Verum haec ex his, quae postea de elocutione praecipientur, ornamenta sumentur.

20. Nunc de narratione ea, quae causae continet expositionem, dicendum videtur. Oportet igitur eam tres habere res: ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit. *Brevis* erit, si, unde necesse est, inde initium sumetur, et non ab ultimo repetetur, et si cuius rei satis erit summam dixisse, eius partes non dicentur (nam saepe satis est, quid factum sit, dicere, non ut enarres, quemadmodum sit factum); et si non longius, quam quoad scitu opus est, in narrando procedetur; et si nullam in rem aliam transibitur; et si ita dicetur, ut nonnunquam ex eo, quod dictum sit, id, quod dictum non sit, intelligatur; et si non modo id, quod obest, verum etiam id, quod nec obest, nec adiuvat, praeteribitur; et si semel unumquodque dicetur; et si non ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur. Ac multos imitatio decipit brevitatis, ut, quum se breves putent esse, longissimi sint: quum dent operam, ut res multas breviter dicant, non ut omnino paucas res dicant, et non plures, quam necesse sit. Nam plerisque breviter dicere videtur, qui ita dicit: *Accessi ad aedes, puerum evocavi; respondit: quaesivi dominum; domi negavit esse.* Hic tametsi, tot

dum est, non, ut vulgo, *lenitate*, propter oppositum *gravitate*.

Brevis erit, si — non ab ultimo repetetur) Idem praecipit Horatius: *Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.* Cave itaque, quod hic *ultimum* vocat Tullius, extremum interpreteris: immo primum est. Quo sensu de primo Latini regis progenitore Saturno apud Virgilium dicitur Aeneid. VII, 49: *Tu sanguinis ultimus auctor*. PAVST.

Quam quoad scitu opus est) Sic recte Lambin., etsi vulgatum *quam quod scitu opus est* ab Ernestio defenditur.

res brevius non potuit dicere, tamen fit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere vitanda est brevitatis imitatio, et non minus rerum non necessariarum, quam verborum multitudine supersedendum est.

Aperta autem narratio poterit esse, si, ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur, et rerum ac temporum ordo servabitur, ut ita narrentur, ut gestae res erunt, aut ut potuisse geri videbuntur. Hic considerandum erit, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem transeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereatur; et omnino, quae praecepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt conservanda. Nam saepe res parum est intellecta longitudine magis, quam obscuritate narrationis. Ac verbis quoque dilucidis utendum est; quo de genere dicendum est in praeceptis elocutionis.

Probabilis erit narratio, si in ea videbuntur inesse ea, quae solent apparere in veritate; si personarum dignitates servabuntur; si causae factorum exstabunt; si fuisse facultates faciundi videbuntur; si tempus idoneum; si spatii satis; si locus opportunus ad eam rem, qua de re narrabitur, fuisse ostendetur; si res et ad eorum, qui agent, naturam, et ad vulgi morem, et ad eorum, qui audient, opinionem accommodabitur. Ac veri quidem similis ex his rationibus esse poterit.

Tamen fit rerum multitudine longus) Vulgo: *tamen, quia satis fuit dixisse: domi negavit esse, fit r. m. l.* Sed quomodo, qui istam, qua de agitur, narratiunculam brevius enuntiare vellet, his tribus verbis: *domi negavit esse* defungi potuisset? Certe sic saltem, ut brevissime dicendum erat: *a ianua quaesivi dominum; puer domi negavit esse.* Itaque ineptum illud glossema eieci.

Eam rem, qua de re) Sic recte Lambin. Vulg. *eandem rem.*

Ad vulgi morem) Sic Victorin. cod. Erfurt. Receperunt Lambinus, Graevius, Ernesti. Sic in eadem re coniunguntur *natura, mos, opinio* ad Herenn. I, 9. In plerisque est *vulgi rumorem.*

21. Illud autem praeterea considerare oportebit, ne, aut quum obsit narratio, aut quum nihil prosit, tamen interponatur; aut non loco, aut non, quemadmodum causa postulat, narretur. *Obest* tum, quum ipsius rei gestae expositio magnam excipit offensionem, quam argumentando, et causam agendo leniri oportebit. Quod quum acciderit, membratim oportebit partes rei gestae dispergere in causam, et ad unamquamque confestim rationem accommodare, ut vulneri praesto medicamentum sit, et odium statim defensio mitiget. *Nihil prodest* narratio tunc, quum aut ab adversariis re exposita, nostra nihil interest iterum aut alio modo narrare: aut quum ab iis, qui audiunt, ita tenetur negotium, ut nostra nihil intersit eos alio pacto docere. Quod quum acciderit, omnino narratione supersedendum est. *Non loco* dicitur, quum non in ea parte orationis collocatur, in qua res postulat; quo de genere agemus tum, quum de dispositione dicemus. Nam hoc ad dispositionem pertinet. *Non quemadmodum causa postulat* narratur, quum aut id, quod adversario prodest, dilucide et ornate exponitur, aut id, quod ipsum adiuvat, obscure dicitur, et negligenter. Quare, ut hoc vitium vitetur, omnia torquenda sunt ad commodum suae causae, contraria, quae praeteriri poterunt, praetereundo, quae illius erunt, leviter attingendo, sua

Tamen interponatur) Ita MSS. Gron. Gu. Cass. probantibus Graevio et Ernestio. Vulg. *tunc interponatur.*

Quod ipsum adiuvat) Scilicet oratorem.

Quae illius erunt) Scilicet adversarii. At ea ipsa iam dicebantur *contraria.* Iam quomodo recte dicatur: *contraria, quae praeteriri poterunt, praetereundo, eademque contraria leviter attingendo?* Itaque mihi persuasi, Ciceronem scribere debuisse: *Quare, ut hoc vitium vitetur, omnia torquenda sunt ad commodum suae causae, contraria, quae praeteriri poterunt, praetereundo, quae minus poterunt, leviter attingendo, sua diligenter et enodate narrando.* Sic *sua* opponuntur *contrariis*; et *contraria* vel omnino praeteriri, vel, si minus id fieri potuerit, leviter attingi oportere, docetur.

diligenter et enodate narrando. Ac de narratione quidem satis dictum videtur: deinceps ad partitionem transeamus.

22. Recte habita in causa partitio, illustrem et perspicuam totam efficit orationem. Eius partes duae sunt, quarum utraque magnopere ad aperiendam causam, et ad constituendam pertinet controversiam. *Una* pars est, quae, quid cum adversariis conveniat, et quid in controversia relinquatur, ostendit; ex qua certum quiddam designatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. *Altera* est, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breviter expositio ponitur distributa; ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum. Nunc utroque genere partitionis quemadmodum conveniat uti, breviter dicendum videtur.

Quae partitio, quid conveniat, aut quid non conveniat, ostendit; haec debet illud, quod convenit, inclinare ad suae causae commodum, hoc modo: *Interfectam matrem esse a filio, convenit mihi cum adversariis.* Item contra: *Interfectum esse a Clytaemnestra Agamemnonem, convenit.* Nam hic uterque et id posuit, quod conveniebat, et tamen suae causae commodo consuluit. Deinde, quid controversiae sit, ponendum est in iudicationis expositione; quae quemadmodum inveniretur, ante dictum est.

Quae autem partitio rerum distributam continet

Rerum distributam continet expositionem) « Cod. Erf. *rerum distributarum continet expositionem.* Sic omnino legendum contra omnes editos. Res distributae sunt membra defensionis aut accusationis, in quae eam partitus est orator. Mox dicit *partes causae.* Sed quid sit *distributa expositio*, non intelligo. ». Hactenus Graevius, quem, dum ista scribebat oblitum esse miror, iam paulo ante Ciceronem eadem ratione dixisse: *expositio rerum breviter distributa.* Neque vero haec locutio difficilis est intellectu. Aliud enim est, res, de quibus dicturi sumus, exponere sic, ut partitio ipsa obscuretur; aliud est, distributam facere expositionem, par-

expositionem, haec habere debet brevitatem, absolutionem, paucitatem. *Brevitas* est, quum, nisi necessarium, nullum assumitur verbum. Haec in hoc genere idcirco utilis est, quod rebus ipsis, et partibus causae, non verbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus est. *Absolutio* est, per quam omnia, quae incidunt in causam, genera, de quibus dicendum est, amplectimur partitione. In quo videndum est, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut sero extra partitionem, id quod vitiosissimum ac turpissimum est, inferatur. *Paucitas* in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicantur. Nam *genus* est, quod plures partes amplectitur, ut animal. *Pars* est, quae subest generi, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est. Nam homo, animali pars est; Thebanis aut Troianis, genus. Haec ideo diligentius inducitur descriptio, ut

tibus diserte enumeratis. Sic e. c. Cicero pro Quintio cap. 11: *Nego fuisse causam, cur postularet: nego ex edicto possidere potuisse: nego possedisse. Haec tria quum docuero, perorabo.* Quare non erat, quod Graevius a vulgata discederet, id quod Ernesti quoque monuit. Ceterum *distributarum* legitur etiam in plerisque MSS. Oud. Sed apud Victorinum rècte est *distributam*.

Amplectimur partitione. In quo) Sic emendavimus vulg. *amplectimur. In qua partitione.* Ratio est in promtu. Nam non de genere partitionis, sed de virtute quadam partitionis agitur.

Aut sero) Adverbium *postea*, quod Graevius e cod. Erf. inseruerat, recte eiecit Ernesti. Eius enim vis iam in *sero* latet.

Nam homo, animali pars est; Thebanis aut Troianis, genus) Vulgo editur: *Nam homo, animalis pars est; Thebani aut Troiani, genus.* Sed in Leid. 1 legitur *animali pars;* et quia statim praecedit: *Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est;* hic quoque aptior est dativus.

Haec ideo diligentius inducitur descriptio, ut aperte intellecta generali praescriptione, paucitas generum in partitione servari possit) Vulgo legitur: *Haec ideo diligentius inducitur praescriptio, ut aperte intellecta generali partitione* etc. Sed vix credibile est, *generali partitione* pro *generum partitione* Ciceronem scripsisse. Praeterea in cod. Erf. et ed. Omnib. legitur: *diligentius inducitur descriptio;* et noster cod. Leid. habet *generali praescriptione.* Itaque ad horum codd. auctoritates lectionem constituimus; quae sane commodum sensum praebet sic, ut Cicero dicat;

aperte intellecta generali praescriptione, paucitas generum in partitione servari possit. Nam qui ita partitur: *Ostendam, propter cupiditatem et audaciam et avaritiam adversariorum omnia incommoda ad rempublicam pervenisse;* is non intellexit, in partitione, exposito genere, partem se generis admiscuisse. Nam genus est omnium nimirum libidinum cupiditas: eius autem generis sine dubio pars est avaritia. Hoc igitur vitandum est, ne, quum genus posueris, eius speciem aliquam, sicuti diversam ac dissimilem partem, ponas in eadem partitione. Quod si quod in genus plures in-

hanc partium ad genus relationem ideo diligentius descripsimus, ut, aperte intellecta regula generali, quam scilicet exemplis istis illustravimus, paucitas generum in partitions servari possit. Quid Victorinus legerit, non satis liquet; qui h. l. ita παραφράζει: « Itaque ideo diligentius genera et species generum definire volumus, ut intellectis aperte generibus, quo brevior sit partitio, etiam genera pauca in partitione eadem collocemus. » Quia tamen utitur vocabulo *definire*, in priore membro legisse videtur idem, quod cod. Erf. *inducitur descriptio.*

Ne, quum genus posueris, eius speciem aliquam, sicuti diversam ac dissimilem partem, ponas in eadem partitione) Ita h. l. optime emendavit Beeichrmus, vulgo sic editum: *Ne, cuius genus posueris, eius secum aliquam sicuti diversam ac dissimilem partem ponas in eadem partitione.* Quod Cicero ante dixerat *exposito genere*, id nunc sic effert, *quum genus posueris;* et quod h. l. vocabulo *species* utitur, id propterea facit, quod *partis* vocabulum est ambiguum, quippe quod et *membrum* divisionis, et *formam* scil. speciem generis significare potest. Vt in exemplo a Cicerone allato volebat aliquis ostendere, unde resp. tot incommodis afflicta esset, idque partitione usus sic indicabat: *Ostendam, propter cupiditatem et audaciam et avaritiam adversariorum illa incommoda ad remp. pervenisse.* Hic igitur primum genus posuerat *cupiditatem;* post speciem eius *avaritiam*, sicuti diversam partem h. e. sicut novum membrum divisionis in eadem partitione posuerat. Iam loco hoc ita constituto, varietatem lectionis enotare, nihil attinet, nec egemus Purgoldi coniectura, quamvis per se haud inepta, *ne, cuius genus posueris, eius secundum id aliquam* etc. Ceterum comparandus est locus Quintiliani Inst. or. IV, 5 extr. « Obtinendum etiam, ne quid in partitione desit, ne quid supersit. Superest autem sic fere, quum aut in species partimur, quod in genera partiri satis sit; aut *genere posito subiicitur species*, ut: *dicam de virtute, iustitia, continentia*, quum iustitia et continentia sint virtutis species. »

Quod si quod in genus plures incident partes — partitionem) Huius lo-

cident partes, id quum in prima partitione causae erit simpliciter expositum, distribuetur eo tempore commodissime, quum ad ipsum ventum erit explicandum in causae dictione post partitionem. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura, quam satis est, demonstraturos nos dicamus, hoc modo: *Ostendam, adversarios, quod arguimus, et potuisse facere, et voluisse, et fecisse;* nam fecisse ostendere satis est; aut, quum in causa partitio nulla sit, et quum simplex quiddam agatur, tamen utamur distributione; id quod perraro potest accidere.

23. Ac sunt alia quoque praecepta partitionum, quae ad hunc usum oratorium non tantopere pertinent, sed versantur in philosophia, de qua haec ipsa transtulimus, quae convenire videbantur, quorum nihil in ceteris artibus inveniebamus.

Atque his de partitione praeceptis, in omni dictione meminisse oportebit, ut et prima quaeque pars, ut exposita est in partitione, sic ordine transigatur; et

ci sensus facile hoc exemplo illustrabitur. Fac, oratorem aliquem sic partitum esse, *ostendam, propter cupiditatem et audaciam adversariorum omnia incommoda ad remp. pervenisse.* Hic genus *cupiditatem* in partitione simpliciter exposuit. Sed in cupiditatem plures incidunt partes, ut *ambitio, avaritia, luxuria.* Has partes sive species non vult Cicero statim in prima partitione commemorari, sed genus illud, *cupiditatem*, tum, quum in causae dictione ad illud ventum sit, explicandum, in tres illas partes sive species distribuendum censet.

Et quum simplex quiddam agatur) Ita vere cod. Cauch. Vulgo *et quum quiddam simplex agatur.* Quidam insuper omittunt *quum.*

Sed versantur) Sic auctore Ernestio edidi pro vulgato *quae versantur*, ne pronomen relativum quinquies deinceps repetatur. Atque sic Victorinus quoque legisse videtur. Itaque etiam *pertinent* rescribendum erat pro vulgato *pertineant.*

De qua) Vulg. *ex quibus*, quae lectio propterea est abiicienda, quod Cicero dixisse haud potest, se ex aliis praeceptis partitionum, quae non pertinerent ad usum oratorium, ea transtulisse, quae convenire viderentur oratorum usui. Itaque *de qua*, quod habet Victorinus, reposui, quod refertur ad philosophiam.

omnibus explicatis, peroratum sit, ut ne quid posterius praeter conclusionem inferatur. Hoc modo partitur apud Terentium breviter et commode senex in Andria, quae cognoscere libertum velit:

Eo pacto, et gnati vitam, et consilium meum
Cognosces, et quid facere in hac re te velim.

Itaque quemadmodum in partitione proposuit, ita narrat, primum gnati vitam:

Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia .....;

deinde suum consilium:

Et nunc id operam do.

Deinde quid Sosiam velit facere, id quod postremum posuit in partitione, postremum dicit:

Nunc tuum est officium.

Quemadmodum igitur hic et ad primam quamque partem primum accessit, et omnibus absolutis, finem dicendi fecit, sic nobis placet, et ad singulas partes accedere, et omnibus absolutis perorare. Nunc de confirmatione deinceps, ita ut ordo ipse postulat, praecipiendum videtur.

24. *Confirmatio* est, per quam argumentando nostrae causae fidem et auctoritatem et firmamentum adiungit oratio. Huius partis certa sunt praecepta, quae in singula causarum genera dividentur. Verumtamen non incommodum videtur, quandam silvam atque materiam universam ante permistam et confusam exponere omnium argumentationum; post autem tradere, quem-

Peroratum sit) Vulgo additur *hoc modo*, quod recte Lambinus praefixit sequenti periodo.

Nam is — Sosia) Vulgo sequentis versiculi Terentiani initium additur: *Liberius vivendi fuit potestas.* Abest autem a cod. Erf., item octo Oxoniensibus, exemplisque Manutianis. Neque vero hoc addito ad sententiam opus est. Cicero tantum initium singularum partium, a Simone in Andria Terentii tractatarum, designat, cui consilio unus versiculus vel adeo dimidius sufficiebat.

admodum unumquodque genus causae, omnibus hinc argumentandi rationibus tractis, confirmare oporteat.

25. Omnes res argumentando confirmantur, aut ex eo, quod personis, aut ex eo, quod negotiis est attributum. Ac *personis* quidem has res attributas putamus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes. *Nomen* est, quod unicuique personae attribuitur, quo suo quaeque proprio et certo vocabulo appelletur. *Naturam* ipsam definire difficile est; partes autem eius enumerare eas, quarum indigemus ad hanc praeceptionem, facilius est. Hae autem partim divino, partim mortali in genere versantur. *Mortalium* autem pars in hominum, pars in bestiarum genere numeratur. Atque hominum genus et in *sexu* consideratur, virile an muliebre sit; et in natione, patria, cognatione, aetate. *Natione*, Graius an Barbarus; *patria*, Atheniensis an Lacedaemonius; *cognatione*, quibus maioribus, quibus consanguineis; *aetate*, puer an adolescens, natu grandior an senex. Praeterea *commoda* et *incommoda* considerantur ab natura data animo aut corpori, hoc modo: valens an imbecillus; longus an brevis; formosus an deformis; velox an tardus sit; acutus an hebetior; memor an obliviosus; comis, facetus, pudens, patiens,

Ac personis quidem) Sic Lambinus, recte. Vulgo, *ac personis*.

Appelletur) Hoc unice verum; quod vidit Ernesti; nam *quo* est coniunctio. Alii *appellatur*. Lambinus edidit: *Nomen est certum et proprium uniuscuiusque personae vocabulum, quo quaeque appellatur.* Verba: *quod unicuique personae attribuitur*, spuria visa sunt Pugoldo. Sed facile se tuentur, si cogites, sequentibus verbis causam designari, cur nomina propria inventa sint.

Comis) Nimirum h. l. significatur comitas naturalis. Alia est, quae studio acquiritur. Sic Cicero Brut. c. 35, in Catulo fuisse dicit summam non *vitae* solum atque *naturae*, sed *orationis* etiam *comitatem*. — *Comis, facetus, pudens*) Vulgo legitur: *comis, officiosus, pudens*. In uno cod. Gronovii autem: *comis, officiosus, facetus, pudens*; cod. Oxon. unus: *comis, officiosus, an infacetus, prudens* alter: *comis, officiosus, facetus an infacetus, prudens*. Sed *officiosus* quum

an contra. Et omnino, quae a natura dantur animo et corpori, in natura consideranda sunt. Nam quae industria comparantur, ad habitum pertinent, de quo

sit is, in quo est liberalis gratificandi voluntas, nemo potest natura sua officiosus dici. Itaque vocabulum h. l. intrusum puto a glossatore, qui vellet antecedens *comis* explicare; quamquam Victorinus iam illud *officiosus* in codice suo legit. Is autem, quasi sensisset, officiosi hominis virtutem naturae incommode tribui, in paraphrasi sua Ciceroni quaedam affingit, de quibus ille prorsus non cogitaverat. « Nunc venit (Cicero), inquit, ad ea, quae corporis et animi sunt, et quae tam naturae, *quam disciplinae* esse possint. Etenim interdum per se multum valet natura, interdum tenuis et infirma est. Disciplina enim vel usu saepe mutatur. Enumerat itaque, quae ista sint, velut communia, ut consideremus, utrum aliquis valens an imbecillis sit, longus an brevis, formosus an deformis, velox an tardus. Haec omnia corporis sunt, quae facile videmus saepe hominibus ex natura, saepe ex arte contingere. Deinde, inquit, debemus inspicere, memor an obliviosus sit, comis, officiosus, prudens, patiens an contra. Haec rursus omnia animi sunt, quae similiter videmus tam ex natura nobis, quam ex arte provenire. » Hactenus Victorinus, qui unde id hauserit, Ciceronem h. l. non solum de iis, quae natura, sed etiam de his, quae arte et disciplina acquiruntur, loqui, nescio. Et profecto ridiculum esset, si Cicero hic ea, quae deinde sub nomine *habitus* recenset, *naturae* nomine, ne admonito quidem lectore, comprehendere voluisset. Itaque hic tantum de naturae dotibus vel vitiis, minime vero de his, quae arte, studio aut disciplina acquiruntur, agit. Ex quo consequitur, vocabulum *officiosus* hic prorsus alienum esse. Quod autem pro eo recepimus ex nonnullorum codd. lectione vocabulum *facetus*, id h. l. aptissimum est. Ipse enim Cicero de Orat. II, c 14, *facetias* esse *naturae* proprias, neque ullam artem desiderare, pronuntiavit. Ceterum Cicero h. l. dum argumenta ex rebus, quae personis attributae sint, petenda persequitur, paulo subtilius et plenius enumerat eorum fontes, *naturam*, *habitum*, *affectionem*, *studia* distinguendo, quam Partitt. orator. c. 10, ubi *naturam* latiore significatu sumtam comprehendere ait animos, aut quemadmodum affecti, aut quemadmodum commoti sint. Aliter etiam Quintilianus V, 10, 23 sqq. hanc rem tractat, etsi videtur hunc Ciceronis, in quo versamur, locum respexisse.

Pudens) Haec lectio alteri *prudens* praeferenda. *Pudor* enim naturalis esse potest. *Prudentia* semper disciplina et usu acquiritur.

Dantur) Sic codd. Leid. 1, 2. Vulg. *data*. Illud aptius refertur ad sequens *comparantur*.

Animo et corpori) Vulg. addebatur *considerabantur*, quod recte delendum censuerunt Oudend. et Ernesti. Abest autem ab edd. ante Aldum omnibus. Nec Victorinus legisse videtur; qui hunc locum ita interpretatur: « Verum cuncta ista, quae *animae et corporis* sunt, quamquam saepe ex disciplina vel arte contingant, tamen qualia vel quanta sint, non nisi sola natura considerare debemus. »

posterius dicendum est. In *victu* considerare oportet, apud quos, et quo more, et cuius arbitratu sit educatus, quos habuerit artium liberalium magistros, quos vivendi praeceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quaestu, artificio sit occupatus; quo modo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit. In *fortuna* quaeritur, servus sit, an liber; pecuniosus, an tenuis; privatus, an cum potestate; si cum potestate, iure an iniuria; felix, clarus, an contra; quales liberos habeat. Ac si de non vivo quaeretur, etiam quali morte sit affectus, erit considerandum. *Habitum* autem appellamus, animi aut corporis constantem et usu absolutam aliqua in re perfectionem;

Si cum potestate) Fortasse cum copula verius legeretur, *et si cum potestate*.

Habitum — sed studio et industria partam) Hic locus vulgo sic legitur et interpungitur in edd.: *Habitum autem appellamus animi aut corporis constantem et absolutam aliqua in re perfectionem, ut virtutis, aut artis perceptionem alicuius, aut quamvis scientiam. Et item corporis aliquam commoditatem non natura datam, sed studio industriaque partam.* At hac interpunctione ultima verba: *et item corporis — partam* sic a proxime antecedentibus separantur, ut Cicero bis non exempla definitionis continuare, sed ipsam definitionem *habitus* supplere voluisse videatur. Quod falsum est. Ipsa autem habitus definitio, ut ea in edd. legitur, hoc vitio laborat, quod contra Ciceronis mentem quaevis perfectio dicatur *habitus*, quem ille tamen *naturae* opponere volebat. Itaque ante *absolutam* inseruimus *usu*, quod Victorinus in codice suo legit, qui h. l. sic παραφράζει: *Habitus*, inquit, *est alicuius rei sive in animo sive in corpore a natura coepta, sed usu corroborata et plena perfectio.* Sic *usu absolutum* habitum distinguit ab iis, quae a natura dantur; *constantem* autem eum discernit ab affectionibus ex tempore natis. Denique pro vulg. *virtutis* rescripsimus *virtutem*. Nam *virtutis perceptio* recte dici non potest. Et Victorinus quoque *virtutem* in cod. suo legit: *Verum*, inquit, *et animi et corporis habitum Cicero in bonis collocavit, quippe habitum dixit esse virtutem, aut artis perceptionem* etc. Hic quamquam iure suo Victorinus Ciceronem reprehendit, quod habitum tantum in bonis posuerit, erravit tamen, quod eundem errorem Aristoteli quoque tribuit. Hic enim saepius diserte dixit, habitum aeque malarum ac bonarum rerum esse; ut Metaph. IV, 20: Ἕξις λέγεται διάθεσις, καθ' ἣν εὖ ἢ κακῶς διάκειται τὸ διακείμενον. Et Phys. VII, 3: Αἱ μὲν γὰρ ἀρεταὶ, αἱ δὲ κακίαι τῶν ἕξεων. Ceterum et *industria* habent MSS. Oudend. ed. Omniboni, quam sequuti sunt Olivet. et Lallem. Alii *industriaque*.

ut virtutem, aut artis perceptionem alicuius, aut quamvis scientiam; et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, sed studio et industria partam. *Affectio* est animi aut corporis ex tempore, aliqua de causa, commutatio, ut laetitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, et alia, quae genere in eodem reperiuntur. *Studium* est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, ut philosophiae, poëticae, geometriae, literarum. *Consilium* est aliquid faciendi, non faciendive excogitata ratio. *Facta* autem, et *casus*, et *orationes* tribus ex temporibus considerabuntur; quid fecerit, aut quid ipsi acciderit, aut quid dixerit; aut quid faciat, quid ipsi accidat, quid dicat, aut quid facturus sit, quid ipsi casurum sit, qua sit usurus oratione. Ac personis quidem haec videntur esse attributa.

26. *Negotiis* autem quae sunt attributa, partim sunt continentia cum ipso negotio, partim in gestione negotii considerantur, partim adiuncta negotio sunt, partim gestum negotium consequuntur.

Continentia cum ipso negotio sunt ea, quae semper affixa esse videntur ad rem, neque ab ea possunt separari. Ex his prima est brevis complexio totius negotii, quae summam continet facti, hoc modo: Parentis occisio, patriae proditio. Deinde causa eius summae, per quam, et quamobrem, et cuius rei causa factum sit,

Studium est) Sic legendum vidit Oudend. et Leid. 1, 2, Voss. 1. Vulgo *autem* inserebatur.

Non faciendive) Hanc lectionem, quam praebent Alcuin. de arte Rhet. p. 370, ed. Pith. et auctor Excerptorum de locis Rhetor. p. 276, iam Oudendorpius probavit; nec Ernesti repugnat. Vulgo inepte *aut non faciendi vere* legebatur. Et Cicero de Inv. II, 9, ubi haec definitio repetitur, item habet *non faciendive*.

Causa eius summae, per quam, et quamobrem, et cuius rei causa factum sit) Ne quis hic aliquid superfluum putet, notandum est, vocabulis *per quam* designari *causam efficientem*, particula *quamobrem*, *causam impulsivam*, et verbis *cuius rei causa*, *finem* sive *causam finalem*.

quaeritur; deinde ante rem gestam quae facta sunt, continenter usque ad ipsum negotium; deinde, in ipso gerendo negotio quid actum sit; deinde, quid postea factum sit.

In *gestione* autem *negotii*, qui locus secundus erat de iis, quae negotiis attributa sunt, quaeritur locus, tempus, occasio, modus, facultates. *Locus* consideratur, in quo res gesta sit, ex opportunitate, quam videatur habuisse ad negotium administrandum. Ea autem opportunitas quaeritur ex magnitudine, intervallo, longinquitate, propinquitate, solitudine, celebritate, natura ipsius loci, et vicinitate totius regionis; ex his etiam attributionibus: sacer an profanus, publicus an privatus, alienus an ipsius, de quo agitur, locus sit aut fuerit. *Tempus* est, id quo nunc utimur (nam

Deinde, in ipso gerendo negotio quid actum sit; deinde, quid postea factum sit) Quia statim de iis, quae in gestione negotii consideranda sunt, et quarto loco de iis, quae gestum negotium consequuntur, agitur, Cicero videri potest hanc partitionem male instituisse, et quae ad secundum et quartum divisionis membrum pertinebant, partibus primi temere immiscuisse. Sed haec suspicio, re diligentius considerata, evanescit. Cicero enim, quae sint negotiis attributa, primum dividit in ea, quae sint continentia cum ipso negotio, et in ea, quae non sint cum eo ipso continentia. Hanc primam divisionem Cicero non diserte enuntiavit, sed prius eius membrum statim cum tribus alterius membri partibus copulavit. Sub priore membro comprehenduntur summa facti, causa eiusdem, deinde quae ante rem gestam, in re gerenda, et quae postea facta sint. Sub altero membro, eorum quae non sunt continentia cum ipso negotio, sed extranea comprehenduntur, 1. *quae pertinent ad gestionem negotii*, ut locus, tempus, occasio, modus, facultates; 2. *quae adiuncta sunt negotio*, ut maius, minus, usque magnum, simile, contrarium, disparatum, genus, pars et eventus; 3. *quae gestum negotium consequuntur*, h. e. non quae factum, quatenus factum est, temporis ordine consequuntur, sed quae eiusmodi negotia, ut effectus, vel ut coniuncti saltem eventus consequi solent, quatenus non partes sunt negotii internae, sed potius ab externis rebus aut personis accedunt.

Facultates) Ita, non, ut olim, *facultas*, legendum esse, docuit Oudend. auctoritate codd. Leidd. Victorin. et ed. Omnib. Et sic ipse Cicero sub finem c. 26.

Aut fuerit) Vulg. *an fuerit*. Sed *aut*, quod habent Leid. 3, et Voss. 2, praeferendum duxi, quia post illas quaestiones, sacer *an* profanus, pu-

ipsum quidem generaliter definire difficile est), pars quaedam aeternitatis, cum alicuius annui, mensurni, diurni, nocturnive spatii certa significatione. In hoc *et* quae praeterierunt, considerantur; et eorum ipsorum, quae propter vetustatem obsoleverunt, ut incredibilia videantur, et iam in fabularum numero reponantur; et

bliens *an* privatus, quaestio de tempore pcaesenti aut praeterito secundaria tantum crat, non in eodem ordine, quo illac, ponenda.

Ipsum, i. e. per se spectatum, notione vocabuli abstrusa et metaphysica. Sic supra c. 25: *Naturam ipsam definire difficile est;* h. e. *naturam universe*, seu, ut scholastici loquuntur, in abstracto spectatam.

Mensurni) Recepi hanc lectionem, quam Pcisciauus pag. 595, multique codd. in primis optimi Leid. 1, 2, Voss. 1 praebent. Vulg. *menstrui.* — Forte operarum crrore factum est, ut *mensurae* legatur in edit. Lips. quam Schutz V. C. curavit. Ed. T.

In hoc et quae — et eorum ipsorum) «Haec paulo impeditiora sunt, ut aliquis haerere possit. Est igituc partitio in praeterita, pracsentia et futura. Practerita porro sunt, et qnae proptec vetustatem incredibilia facta sunt, et quac pariter valdc remota sunt, sed tamen certa, denique quae nupec evenerunt. Haec tria igituc pendent a verbis: *et eorum ipsorum* (scil. *ea*) *quae — et quae iam — et quac nuper possint.* Seqnituc: *Et item quae instent*, scil. *considerantur.* Cetcrum *praeterierint* scripsi ct *obsolevcrint*, vel hanc ob causam, nc modi verborum discrepent, (nam in ceteris membris sunt mcri coniunctivi, quod Cicero dicit essc vitinm latinitatis maximum. Et *praeterierint* habcnt quidam libri, ut Gnelf. uterqnc; itcm *obsoleverint* ap. Oudend. qui et probat. Sic cdidit de indicio suo Lambinus, sed nemo eum audiit. Infra ctiam pro *quac maxime* scribendum puto *quum maxime*, nt profertur ab auctore Excerpt. de locis Rhet. intee Rhet. Pith. p. 277. » Hactenus Ernesti; a qno tamen hactenus discedimus, nt indicativos *praeterierunt — obsoleverunt — faciunt — gesta sunt — instant — fiunt — consequuntur*, uti lcgnntur in ed. Lamb. coniunctivis praeferamus. Nulla cst enim hic obliqnitas, quae coniunctivos poscat. Eadem potius est ratio, quae in Partitt. oratt. c. 11 obtinet, ubi eadem brevius ennntiantur sic: *In temporibus autem praesentia et praeterita et futura cernuntur. In his ipsis vetusta, recentia, instantia, paulo post aut aliquando futura.*

In — numero reponantur) Vulg. *in — numerum reponantur.* Oudendorpius, « dc lectionis varietate, inquit, nemo hic monet. Ac sane MSS. tres vetustissimi Leidenses cum aliis codd. ita exhibent qnoque lib. III de Nat. dcor. c. 19: *beluas in deorum numerum reponemus.* Quod placuit etiam Davisio. Contra doctiss. Wopkensius in Tullianis lectt. II, 16, ablativum *numero* Ciceroni adsertum ivit cx aliis eius locis, nt lib. II, 21; III, 9, 20, quibus etiam constanter MSS. Leidenses servant *numero.* Et nt viro cruditissimo assentiar, faciunt hic Voss. 1, Leid. 2, 3, *numero*

quae iam diu gesta, et a memoria nostra remota, tamen faciunt fidem, vere tradita esse, quod eorum monumenta certa in literis exstent; et quae nuper gesta sunt, quae scire plerique possunt; *et item* quae instant in praesentia et quum maxime fiunt; *et* quae consequuntur; in quibus potest considerari, quid ocius, quid serius futurum sit. Et item communiter in tempore perspiciendo longinquitas eius est consideranda. Nam saepe oportet commetiri cum tempore negotium, et videre potueritne aut magnitudo negotii, aut multitudo rerum in eo transigi tempore. Consideratur autem tempus et anni, et mensis, et diei, et noctis, et vigiliae, et horae, et in aliqua parte alicuius horum. *Occasio* est pars temporis, habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. Quare cum tempore hoc differt (nam genere quidem utrumque idem esse intelligitur); verum in tempore spatium

nobis relinquentes, quamquam c. 51: *hanc partem in numero reponi*, codd. omnes praeferunt *in numerum reponi* vel *deponi*. Scio, *reponi in* iungi accusativo, sed tunc, quum ea res iterum ponitur eo loco, cui antea sublata erat, ut apud Livium *in thesauros reponere*. Vid. ad lib. XXIX, c. 19. Sed quando pro simplici *ponere* sumitur, sextus casus videtur praeferendus.» Hactenus ille, quem in textu constituendo sequutus sum.

Quid ocius, quid serius) Vulg. *et quid serius*. Sed copula rectius omittitur auctoritate cod. Leid. 3, et auctoritate Excerptor. de Loc. Rhet. — Assentiente etiam Ernesti, licet copulam retinuerit. Ed. T.

In eo transigi tempore) Servavi vulgatam lectionem. Tò *tempore* Schutz rectius abesse censet, ex auctoritate cod. Leid. 3. Ed. T.

Et in aliqua parte alicuius horum) Quum anni pars sit mensis, et mensis pars dies et nox, et diei et noctis partes sint vigiliae et horae, hae autem partes omnes iam enumeratae sint ab auctore; difficile est dicere, cur haec addiderit: *et in aliqua parte alicuius horum*. Itaque quum in Voss. 1 a prima manu sit *horae*, proclivis sum ad opinandum, Ciceronem scripsisse: *aut alicuius partis horae*. Quod Victorinus quoque legisse videtur; sic enim h. l. exponit: *Quod tempus, id est, hoc, quo nunc utimur, spatium, accipimus, quod aut in multis annis sit, aut in anno, aut in mensibus aut in mense, aut in diebus vel die, aut in noctibus vel nocte, aut in horis vel hora, vel momento*. Vltimo enim verbo, *momento*, videtur expressisse Ciceronianum *vel partis alicuius horae*.

quodammodo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut in aliqua anni parte spectatur; in occasione, ad spatium temporis, faciendi quaedam opportunitas intelligitur adiuncta. Quare quum genere idem sit, fit aliud, quod parte quadam et specie, ut diximus, differat. Haec distribnitur in tria genera, publicum, commune, singulare. *Publicum* est, quod civitas universa aliqua de causa frequentat; ut ludi, dies festus, bellum. *Commune* quod accidit omnibus eodem fere tempore, ut messis, vindemia, calor, frigus. *Singulare* autem est, quod aliqua de causa privatim solet alicui accidere, ut nuptiae, sacrificium, funus, convivium, somnus. *Modus* est, in quo, quemadmodum, et quo animo factum sit, quaeritur. Eius partes sunt, prudentia et imprudentia. *Prudentiae* ratio quaeritur ex iis, quae clam, palam, vi, persnasione fecerit; *imprudentia* autem in *purgationem* confertur, cuius partes sunt inscientia, casus, necessitas; et in *affectionem* animi, hoc est, molestiam, iracnndiam, amorem, et cetera, quae in simili genere versantur. *Facultates* sunt, aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest.

27. *Adiunctum* autem *negotio* id intelligitur, quod maius, et quod minus, et quod aeque magnum, et quod simile erit ei negotio, quo de agitur, et quod contrarium, et quod disparatum, et genus, et pars, et eventus. *Maius* et *minus*, et *aeque magnum* ex rerum et personarum vi, et numero, et ex figura negotii,

Et quod aeque magnum) Haec verba huc retraximus, perperam vulgo inter *quo de agitur* et *et quod contrarium* collocata. Sic statim in uberiore harum partium tractatione iunguntur: *Maius et minus et aeque magnum*. Adstipulantur emendationi nostrae MSS. Ox. ω, 2.

Ex rerum et personarum vi, et numero, et ex figura negotii, sicut ex statura corporis, consideratur) In MSS. et edd. est *ex vi et ex numero et ex figura* elc. ita, ul absit *rerum et personarum*, quod inseruimus, quia, hoc omisso, non intelligitur, quid sit *ex numero negotii*, et quia *rerum*

sicut ex statura corporis, consideratur. *Simile* autem ex specie comparabili, aut ex conferenda atque assimi-

et personarum Victorinus quoque legisse videtur, cuius explicationem huius loci operae pretium est coguoscere. «Haec tria, i. e. maius et minus et aeque magnum, tribus modis considerare debemus, vi, numero, figura. Vis est, quae singulis nominibus verbisque constat, et personā; omnis enim res et omne dictum factumve habet vim suam, etenim si dicas *parricidium*, statim, quantum hoc sit, et in qua vi sit, animo existimamus. Ita homicidium, adulterium, et reliqua facile quid sint, quum fuerint audita, cognoscimus. Similiter et personae habent vim suam. Etenim, quum dixeris *Ciceronem*, statim ex boni viri consideratione, quae in illo vis sit, agnoscimus. Numerus est, quum minus et maius non ex vi, sed ex rerum vel personarum numero demonstramus. Figura est, quae in toto negotio consideratur, i. e. per omnia illa septem elementa, ut consideres, quid factum sit, quis fecerit, ubi fecerit, quando fecerit, quemadmodum fecerit, et reliqua, quae, inquit, figura totius negotii ita est, ut corporis statura, in qua statura omnia lineamenta corporis continentur. Itaque, ut melius intelligamus, notum proponamus exemplum, illud scilicet, quod Cicero negotio suo adiunxit. Nam quum Catilinam diceret occidendum, ex adiuncto, quid maius vel minus esset, argumenta collegit. Quod utique maius et minus, et aeque magnum ex vi, numero, figura iam dudum diximus approbandum. Ita et Cicero: *An vero P. Scipio Pont. Max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum reip. privatus interfecit, Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus?* Hic ex vi rerum intelligimus, minus esse *statum reip.* quam *orbem terrarum*; deinde similiter ex vi intelligimus, minus esse *labefactare*, quam *vastare*. Ita ex vi personarum quum Gracchus et Catilina nominantur, Catilina magis timendus agnoscitur. Praeterea ex numero intelligimus, maius duos esse consules, quam Scipionem. Hic figuram non posuit totius negotii, i. e. quemadmodum occiderit Gracchum Scipio, ubi occiderit, quando occiderit, unde occiderit. Verum haec, quia nihil proderant, omisit, atque uno verbo conclusit, quod ait, *interfecit*. Cuius verbi considerata vi, maius esse intelligimus *interficere*, quam *ex urbe eiicere*. Verum in aliis exemplis et ex figura debet comparatio fieri, ut maius aliquid minusve demonstres, si dicas, illud tunc factum est, ibi factum est, ita factum est, propterea factum est, et reliqua, quae in elementis principalibus continentur.» Hactenus Victorinus.

Simile autem ex specie comparabili, aut ex conferenda atque assimilanda natura iudicatur) Sic legitur in codd. Oudend. omnibus, ap. Victorin. it. in edd. vett. et apud Auctorem *de locis Rhetor.* ap. Pith. p. 277: *ex specie comparabili aut conferenda* etc. Non erat, quod Lambinus, ed. Manutianam sequutus, reponeret: *Simile autem ex specie comparabili; comparabile autem ex conferenda atque ass. n. iudicatur.* Ciceronis mens enim haec est, similitudinem vel ex specie rerum externa, vel ex interna earum natura duci. — Ernesti vero pro *as-*

landa natura iudicatur. *Contrarium* est, quod positum in genere diverso, ab eo, cui contrarium esse dicitur, plurimum distat, ut frigus calori, vitae mors. *Disparatum* autem est id, quod ab aliqua re per oppositionem negationis separatur, hoc modo: sapere, non sapere. *Genus* est, quod partes aliquas amplectitur, ut cupiditas. *Pars* est, quae subest generi, ut amor, avaritia. *Eventus* est alicuius exitus negotii, in quo quaeri solet, quid ex quaque re evenerit, eveniat, eventurum sit. Quare hoc in genere, ut commodius, quid eventurum sit, ante animo colligi possit, quid quaque ex re soleat evenire, considerandum est, hoc modo: Ex insolentia arrogantia; ex arrogantia odium.

Quarta autem pars est ex iis, quae negotiis dicebamus esse attributa, *consecutio.* In hac eae res quaeruntur, quae gestum negotium consequuntur: primum,

similanda recepit *assimulanda*. Ed. T.

Ab eo) Sic Leid. 2. Vulgo *ab eodem*.

Disparatum autem) Cod. Leid. 2, non habet *autem*, quod saoe omitti recte poteral, hic tamen, quia *contrarium* et *disparatum*, quae eadem videri poterant, discernuntor, melius additur.

Disparatum autem est id) Disparata vocat Tullius, quae huius aetatis Dialectici *contradictoria* vocaruot, id est, ea quae com oegationis oppositione eouutiautur. Nostri aotem Logici ea *disparata* dicunt, quae quum nec relativa siot, nec privativa, nec contraria, nec contradictoria, tamen inter se discrepant; ut *homo* et *lapis*. Tullianam locutionem uso soo comprobavit Quiotilian. lib. V, cap. 11, pag. 314, ubi vide Tornebiani commeotatoris notam 156. Capper.

Sapere, non sapere) Sic Voss. 1, Leid. 3, Victorin. Vulg. *sapere et non sapere*, copula hic languente. Et omitti volebat Oudend.

Eventurum sit) Multae edd. *eventurumque sit*. Copolam omittoot cod. Voss. c. schol. a m. pr. Voss. 1, Leid. 2, 3, ed. Omoib. — Omittit etiam Ernesti. Ed. T.

Ex insolentia arrogantia; ex arrogantia odium) Transposuimos verba vulgo sic procedeotia: *ex arrogantia odium, ex insolentia arrogantia*. Illa enim ratione fit κλίμαξ veonstior.

Quae negotiis dicebamus esse attributa) Sic edit. Omnib. et cod. Leid. 1. Vulg. *quas negotiis dicebamus esse attributas*; quae lectio hacteous defeodi possit, si cum Oodeodorpio coniiciamus, post *ex iis* omissum esse *rebus*.

Quae gestum negotium consequuntur) Ne quis forte putet, haec iam supra prima parte contineri, ubi iam, *quid post negotium factum sit*, quaerendum esse, auctor docuerat, notan-

quod factum est, quo id nomine appellari conveniat; deinde, eius facti qui sint principes et inventores, qui denique auctoritatis eius et inventionis comprobatores atque aemuli; deinde, ecquae ea de re, aut eius rei sit lex, consuetudo, actio, iudicium, scientia, artificium; deinde, natura eius evenire vulgo soleat, an insolenter et raro; postea, homines id sua auctoritate comprobare, an offendi in his consueverint; et cetera, quae factum aliquod similiter aut confestim, aut ex intervallo solent consequi. Deinde postremo attendendum est, num quae res ex iis rebus, quae sunt positae in partibus honestatis, aut utilitatis, consequantur; de quibus in deliberativo genere causae distinctius erit dicendum. Ac negotiis quidem fere res eae, quas commemoravimus, sunt attributae.

dum est, illo loco de his rebus, quae essent tempore cum ipso negotio coniunctae, agi; hic autem de iis quae cum gesto negotio, sine respectu ad tempus, ipsa rerum natura coniuncta esse soleant, disputari. Similiter Quintil. Inst. or. V, 4, *consequentia*, ἀκόλουθα, *a sequentibus*, ἐπαγομένοις, quae postea facta sint, aut futura, distinxit. Et hoc modo locum nostrum recte explicuit Victorinus: «Nunc de his docendum est, quae gestum negotium consequuntur. Quod quidem quartum attributum videtur cum ea parte pugnare, quae in primo attributo est post negotium. Scimus enim, quinque esse in primo attributo: summam negotii, causam ipsius summae, et factum triplex, ante negotium, in negotio, post negotium. Hoc extremum factum, quod est post negotium, videtur simile esse huic attributo, de quo nunc agimus, quod dicitur consecutio. Nam utrumque post negotium est. — Sed hoc distant, quod supra post negotium facta illius consideranda sunt, de quo agitur, et qui aliquid fecisse memoratur; hic autem facta consideranda sunt, sed extranea. Itaque consideranda sunt, quae gestum negotium consequantur. Haec in duobus semper debemus attendere: in personis et in natura gesti negotii. In personis sic, si animadvertamus, quid de gesto negotio homines fecerint, aut senserint, aut iudicaverint, ut de facto Milonis, ut de lege Clodii. In natura ipsius negotii sic, si res illa facta sit, cui necesse sit eventum aliquem esse coniunctum; ut parricidam furor, necesse est, consequatur, et rursus parricidam, verisimile non sit, dormisse. Haec enim gestum negotium consequuntur, quae non in personis animadversa sunt, sed in natura gesti negotii. In his itaque duobus Cicero animadvertenda dixit ea, quae gestum negotium consequuntur.»

Aut confestim) Sic Leid. 1. Vulgo omittitur *aut*.

28. Omnis autem argumentatio, quae ex iis locis, quos commemoravimus, sumetur, aut *probabilis*, aut *necessaria* debebit esse. Etenim, ut breviter describamus, *argumentatio* videtur esse inventum, ex aliquo genere rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessarie demonstrans.

Necessarie demonstrantur ea, quae aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari possunt, hoc modo: *Si peperit, cum viro concubuit.* Hoc genus argumentandi, quod in necessaria demonstratione versatur, maxime tractatur in dicendo aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per simplicem conclusionem. *Complexio* est, in qua, utrum concesseris, reprehenditur, ad hunc modum: *Si improbus est, cur uteris? sin probus, cur accusas?* *Enumeratio* est, in qua, pluribus rebus expositis, et ceteris infirmatis, una reliqua necessario confirmatur, hoc pacto: *Necesse est aut inimicitiarum causa ab hoc esse occisum, aut metus, aut spei, aut alicuius amici gratia, aut, si horum nihil est, ab hoc non esse occisum; nam sine causa maleficium susceptum esse non potest. Sed neque inimicitiae fuerunt, nec metus ullus, nec spes ex morte illius alicuius commodi, neque ad amicum huius aliquem mors illius pertinebat. Relinquitur igitur, ut ab hoc non sit occisus.* *Simplex* autem *conclusio* ex necessaria consecutione conficitur, hoc modo: *Si vos me istud eo tempore fecisse dicitis, ego autem eo ipso tempore trans mare fui, relinquitur, ut id, quod dicitis, non modo non fecerim, sed*

Ex aliquo genere) MSS. Oudend. *aliquo ex genere*. Vtrum legas, nihil refert. Sed *ex aliquo genere* significat ex aliquo genere locorum supra memoratorum, unde argumenta peti possunt.

Complexio est) Quod argumentandi genus vulgo *dilemma*, δίλημμα, dicitur. Tullianam loquendi formulam secuti sunt Asconius Paedianus, Anonymus Ciceronianarum orationum interpres, et Servius ad lib. II Aeneid. 627. Cap.

ne potuerim quidem facere. Atque hoc diligenter videre oportebit, ne quo pacto genus hoc refelli possit, ut ne confirmatio modum in se argumentationis solum habeat, et quandam similitudinem necessariae conclusionis, verum ipsa argumentatio ex necessaria ratione consistat.

29. *Probabile* autem est id, quod fere fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad haec quandam similitudinem, sive id falsum est, sive verum. In eo genere, quod fere solet fieri, probabile huiusmodi est: *Si mater est, diligit filium; — si avarus est, negligit iusiurandum.* In eo autem, quod in opinione positum est, huiusmodi sunt probabilia: *Impiis apud inferos poenas esse paratas; — eos, qui philosophiae dent operam, non arbitrari deos esse. Similitudo* autem in contrariis et paribus, et in iis rebus, quae sub eandem cadunt rationem, maxime spectatur. In *contrariis*, hoc modo: «Nam si iis, qui imprudentes laeserunt, ignosci convenit, iis, qui necessario profuerunt, haberi gratia non oportet.» Ex *pari*, sic: « Nam ut locus in mari sine portu navibus esse non potest tutus, sic animus sine fide stabilis amicis non potest esse. » In iis rebus, quae sub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile consideratur: *Nam si Rhodiis turpe non est*

Si avarus est) *Est* omittitur Voss. 1, idque placet Oudend. Si eadem esset persona, de qua priore membro dicebatur, mihi quoque placeret. Vt nunc est, verbum repeti praestat.

Paratas) Hanc lectionem codd. Voss. 1, Leid. 1, 3, ut elegantiorem vulgatae *praeparatas* cum Oudendorpio praeferendam censui.

Locus in mari) Auctore Oudendorpio restitui verba *in mari* fide codd. Voss. 1, Leid. 2, 3, Victorini et edd. vett. Manutius et Lambinus eiecerant codd. suorum auctoritate, quibuscum faciunt Leid. 1, Voss. 2.

Si Rhodiis turpe non est) Locus ex Aristotele, Rhet. lib. XI, cap. 23, ubi nescio quis Diomedo publicanus accusatus, quod redimendis publicis vectigalibus rem familiarem amplificaret, ita causam peroravit: Si vobis turpe non est vectigalia vendere, ne-

portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe est conducere. Haec tum vera sunt, hoc pacto: *Quoniam cicatrix est, fuit vulnus;* tum verisimilia, hoc modo: *Si multus erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat.*

Omne autem (ut certas quasdam in partes distribuamus) probabile, quod sumitur ad argumentationem, aut signum est, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile. *Signum* est, quod sub sensum aliquem cadit, et quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consequutum, et tamen indiget testimonii, et gravioris confirmationis; ut cruor, fuga, pallor, pulvis, et quae his sunt similia. *Credibile* est, quod sine ullo teste, auditoris opinione firmatur, hoc modo: *Nemo est, qui non liberos suos incolumes et beatos esse cupiat. Iudicatum* est, res assentione, aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata. Id tribus in generibus spectatur, religioso, communi, approbato. *Religiosum* est, quod iurati legibus iudicarunt. *Commune* est, quod omnes vulgo probarunt, et sequuti sunt, huiusmodi: Vt maioribus natu assurgatur, ut supplicum misereatur. *Approbatum* est, quod homines, quum dubium esset, quale haberi oporteret, sua constituerunt auctoritate: velut Horatii factum a populo

que publicanis ea redimere turpe fuerit. PRVST.

Hermacreonti) Hoc nomen a Cicerone scriptum esse, Quintiliani auctoritas confirmat V, 10, 78; et vana est Nascimbenii coniectura, qui legendum putabat *Diomedonti*, quasi Cicero respexisset ad locum similem Aristot. Rhet. II, 25: Ὡς ὁ τελώνης Διομέδων περὶ τῶν τελῶν· εἰ γὰρ μηδ' ὑμῖν αἰσχρὸν τὸ πωλεῖν, οὐδὲ ἡμῖν τὸ ὠνεῖσθαι.

Si multus — oportebat) Eodem exemplo utitur Quintilian. V, 10, 81.

Velut Horatii — doleret) Haec verba, quae vulgo omittuntur in edd. praeter Omniboni editionem, restituimus tum cod. Pal. tum Victorini auctoritate moti, qui his verbis satis declarat, illa in suo codice a se lecta esse: «approbatum est, inquit, quod, quum dubium esset circa qualitatem bonamve, et unam partem homines inclinaverunt. Vt, inquit, quum

approbatum, quod occidit sororem, quum illa devictum Curiatium hostem doleret; vel ut Gracchi patris, quem populus Romanus ob id reum factum, quod insciente collega in censura nonnihil egisset, post censuram consulem fecit. *Comparabile* autem est, quod in rebus diversis similem aliquam rationem continet. Eius partes sunt tres: imago, collatio, exemplum. *Imago* est oratio demonstrans aut corporum, aut naturarum similitudinem. *Collatio* est oratio, rem cum re ex similitudine conferens. *Exemplum* est, quod rem aucto-

sororem Horatius occidisset, et de facto eius populus esset incertus, tamen absolutus est.» Nec vero quidquam est credibilius, quam Ciceronem h. l. tam illustre exemplum facti, quod dubium esset, quale haberi oporteret, a populo approbati haud praetermisisse, quo idem quoque usus est in Orat. pro Milone c. 3, et de Inv. II, c. 27.

Vel ut Gracchi patris — consulem fecit) Vulgo hic locus ita legitur: *velut Gracchi patris factum, quem populus romanus, ob id factum, quod insciente collega in censura nihil egisset, post censuram consulem fecit.* At qui fieri potuit unquam, ut populus romanus dubitaret, utrum, quod censor, insciente collega, in censura nihil egisset, probandum an improbandum esset? Nonne potius hic opus erat exemplo facti, quod dubium esset, quale haberi oporteret? Hic optime nobis succurrit Victorinus, qui diserte testatur, se in hoc Ciceronis loco mentionem alicuius rei factam invenisse, quam Gracchus censor, insciente collega, gesserit. Ille enim, h. l. explicans, *Deinde*, inquit, *ut Tiberius Gracchus censor, insciente collega, quosdam e senatu movisset, et de eius facto dubitaretur, postea tamen eius factum populus approbavit. Nam eum consulem fecit.* Quare emendatione nostra, quae quam fieri potest minime a textu recepto recedit, Ciceronem et cum se ipso et cum Victorino conciliavimus. Ceterum edd. vett. et Oudend. codd. habent *ob id factum, quod.* Unus Vossianus cum Scholiaste, *ob id factum eo quod*; unde forsan suspicari aliquis posset, in *ob id factum* latere *obiurgatum.* Oudend. autem illa verba *ob id factum* glossema putabat verborum *eo quod.*

Aut corporum) *Aut* vulgo omissum legitur in edd. vett. et Oudend. MSS. omnibus. Idem agnoscit Victorinus.

Rem cum re ex similitudine conferens) Ne quis putet, hac definitione nullam inter imaginem et collationem differentiam intercedere, notandum est, *imaginem* dici breviorem, ut in metaphora, similitudinis demonstrationem; *collationem* vero fusam inter duo, quae videantur diversa, comparationem; quomodo Graeci rhetores εἰκόνα a παραβολῇ discernunt, quamquam non semper eodem significatu ponuntur εἰκόνος et παραβολῆς vocabula.

ritate, aut casu alicuius hominis, aut negotii confirmat, aut infirmat. Horum exempla et descriptiones in praeceptis elocutionis cognoscentur. Ac fons quidem confirmationis, ut facultas tulit, apertus est, nec minus dilucide, quam rei natura ferebat, demonstratus.

30. Quemadmodum autem quaeque constitutio, et pars constitutionis, et omnis controversia, sive in ratione, sive in scripto versetur, tractari debeat, et quae in quasque argumentationes conveniant, singillatim in secundo libro de unoquoque genere dicemus. In praesentia tantummodo numeros et modos et partes argumentandi confuse et permixte dispersimus: post discrete et electe in genus quodque causae, quod cuique conveniet, ex hac copia digeremus.

Atque inveniri quidem omnis ex his locis argumentatio poterit; inventam exornari, et certas in partes distingui et suavissimum est, et summe necessarium, et ab artis scriptoribus maxime neglectum. Quare et de ea praeceptione nobis in hoc loco dicendum visum est, ut ad inventionem argumenti, absoluta quoque ratio argumentandi adiungeretur. Et magna cum

Demonstratus) Delevi *est* vulgo hic annexum, quod, quia iam praecedit *apertus est*, in clausula periodi melius omittitur.

Descripte) Vulg. *discrete*. Verum *descripte* rectius opponitur τῷ *confuse*, idque legitur in cod. Voss. c. schol. it. Voss. 2, Leid. 2, 3, probante Lambino, Oudendorpio, et, quem ille laudat ad h. l. Graevio. — *Discrete et electe*, hoc Oudend. praefert vulgato *descripte et el.* e duobus MSS. item Graevius. Sic habent etiam MSS. Gu. uterque et Cass. estque exquisitius vulgato. Itaque recepi. Ern. In hac lectione constituenda plane dissentiunt cl. Viri. Puto Interpretem nostrum procul dubio voluisse *discrete*, et hoc expressi, pro *descripte*, quod legitur in ed. Lips. Ed. T.

Quod cuique conveniet) Sic emendavimus vulg. *quid cuique conveniat*; quum in hac sententia nulla possit esse obliquitas.

Absoluta quoque ratio argumentandi) Vulgo editur: *absolutio quoque argumentandi*. Cod. Leid. 1, omisso *absolutio* habet: *ratio argumentandi*, id quod Oudendorpio placebat. Nobis *absolutio* ex *absoluta* depravatum esse videtur. *Absoluta ratio* bene dicitur. An aeque bene *absolutio argumentandi* dicatur, valde dubitamus.

cura et diligentia locus hic omnis considerandus est, quod non solum rei magna utilitas est, sed praecipiendi quoque summa difficultas.

31. Omnis igitur argumentatio aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem. *Inductio* est oratio, quae rebus non dubiis captat assensiones eius, quicum instituta est; quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. Velut apud Socraticum Aeschinem demonstrat Socrates, cum Xenophontis uxore, et cum ipso Xenophonte Aspasiam loquutam: *Dic mihi, quaeso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius an tuum malis? — Illius, inquit. — Quid si vestem, et ceterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat, quam tu habes, tuumne an illius malis? — Illius, respondit. — Age vero, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrum tuum malis an illius?* Hic mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit. *Quaeso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat, quam tuus est; tuumne equum malis, an illius? — Illius, inquit. — Quid si*

Assensiones) Vulg. singulariter *assensionem*. Sed pluralem numerum requirit id, quod sequitur, *quibus assensionibus*.

Age vero) Ita rectius Lambinus, quam ut vulgo editur, *age, inquit*. Nam illud *inquit* in quaestionibus Aspasiae semper omittitur. Antea autem legitur: *Illius vero*, in quo particulam *vero* auctoritate cod. Voss. c. schol. et Alcuini expunximus.

Vtrum tuum malis an illius) Haec lectio est cod. Leid. 1, iure ab Oudend. probata; est enim variata structura commendabilis. Alcuinus: *utrum et tuum virum malis an illius*. Cod. Voss. c. schol. *utrumne malis tuum virum, an illius*. MSS. IV Oudend. *utrumne tuum virum malis an illius*. Ed. Omnib. *virumne tuum malis an illius*. Vulgo editur: *virumne tuum an illius malis*.

Hic mulier erubuit) Quintilianus eodem loco: *Mulier erubuit merito; male enim responderat, se malle alienum aurum, quam suum: nam id est improbum. At si respondisset malle se aurum suum tale esse, quale illud esset, potuisset pudice respondere, malle se virum suum talem esse, qualis melior esset.*

fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis? — Illum, inquit, meliorem scilicet. — Quid si uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utram malis? — Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit. Post Aspasia: *Quoniam uterque vestrum*, inquit, *id mihi solum non respondit, quod ego solum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet. Nam et tu mulier optimum virum vis habere, et tu Xenophon uxorem habere lectissimam maxime vis. Quare, nisi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque femina lectior in terris sit, profecto id semper, quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis, tu, ut maritus sis quam optimae mulieris, haec, ut quam optimo viro nupta sit.* Hic quum rebus non dubiis esset assensum, factum est propter similitudinem, ut etiam illud, quod dubium videbatur, si qui separatim quaereret, id pro certo, propter rationem rogandi, concederetur. Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod iam concessisset, necessario approbare deberet.

32. Hoc in genere praecipiendum nobis videtur, primum, ut illud, quod inducemus per similitudinem, eiusmodi sit, ut sit necesse concedi. Nam ex quo postulabimus nobis illud, quod dubium sit, concedi,

Utram malis) Sic cod. Leid. et Gronov. Plerique edunt *utrum illius malis*.

Optimum virum vis habere) Sic cod. Voss. c. Schol. it. Voss. 2, et optimus Gronov. et Alcuinus. Vulg. *optimum virum mavis habere*. Illud recte praetulit Oudend.

Tu, ut maritus sis) Vulg. *ut et tu maritus sis*. Lectionem a nobis receptam praefert ed. Omnib. quae deinde quoque pro vulg. *et haec* habet *haec* sine copula.

Optimae mulieris) *Mulieris*, quod Gruterus auctoritate cod. Pal. expunxit, abesse nequit ob concinnitatem huius membri ad sequens relati.

Si qui) Cod. Voss. c. Schol. et Leid. 2 hanc formam praebent, vulgata *si quis* exquisitiorem.

dubium esse id ipsum non oportebit. Deinde illud, cuius confirmandi causa fiet inductio, videndum est, ut simile iis rebus sit, quas res, quasi non dubias, ante induxerimus. Nam ante aliquid nobis concessum esse nihil proderit, si ei dissimile erit id, cuius causa illud concedi primum voluerimus. Deinde ne intelligat is, quicum agimus, quo spectent illae primae inductiones, et ad quem sint exitum perventurae. Nam qui videt, si ei rei, quam primo rogetur, recte assenserit, illam quoque rem, quae sibi displiceat, esse necessario concedendam, plerumque aut non respondendo, aut male respondendo longius procedere rogationem non sinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo, quod concessit, ad id, quod non vult concedere, deducendus est. Extremum autem aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. Si negabitur, aut ostendenda est similitudo earum rerum, quae ante concessae sunt, aut alia utendum inductione. Si concedetur, concludenda est argumentatio. Si tacebitur, aut elicienda est responsio, aut, quoniam taciturnitas imitatur confessionem, pro eo, ac si concessum sit, concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi tripartitum. Prima pars ex similitudine constat una, pluribusve. Altera ex eo, quod concedi volumus, cuius causa similitudines adhibitae sunt. Tertia ex conclusione, quae aut confirmat concessionem, aut, quid ex ea conficiatur, ostendit.

Ne intelligat is, quicum agimus) In hac lectione *ne* pro vulg. *non* assumsimus e cod. Leid. 2; *intelligat is, quicum agimus* autem e cod. Leid. 1, pro vulg. *intelligatur*, quod h. l. nimis infinitum est. Victorinus legisse videtur: *deinde ut nemo intelligat.*

Quam primo rogetur) Lectio codd. Voss. c. Schol. Voss. 1, Leid. 3, 4 sine dubio alteri, *quae primo rogetur*, praeferenda.

Recte assenserit) *Recte* h. l. significat *absque suo incommodo*, vel ita, ut nihil mali ex assensione sua sibi verendum putet.

33. Sed quia non satis alicui videbitur dilucide demonstratum, nisi quid ex civili causarum genere exempli subiecerimus; videtur huiusmodi quoque utendum exemplo, non quo praeceptio differat, aut aliter hoc in sermone, atque in dicendo sit utendum, sed ut eorum voluntati satisfiat, qui, quod aliquo in loco viderint, alio in loco, nisi monstratum, nequeunt cognoscere. Ergo in hac causa, quae apud Graecos est pervagata, quod Epaminondas, Thebanorum imperator, ei, qui sibi ex lege praetor successerat, exercitum non tradidit, et quum paucos ipse dies contra legem exercitum tenuisset, Lacedaemonios funditus vicit, poterit accusator argumentatione uti per inductionem, quum scriptum legis contra sententiam defendat, ad hunc modum: « Si, iudices, id, quod Epaminondas ait legis scriptorem sensisse, ascribat ad legem, et addat exceptionem hanc, EXTRA QVAM SI QVIS REIPVBLICAE CAVSA EXERCITVM NON TRADIDERIT, patiemini? Non opinor. Quod si vosmetipsi, quod a vestra religione et sapientia remotissimum est, istius honoris causa hanc eandem exceptionem, iniussu populi, ad legem ascribi iubeatis, populus Thebanus id patieturne fieri? Profecto non patietur. Quod ergo ascribi ad legem nefas est, id sequi, quasi ascriptum sit, rectum vobis videatur? Novi vestram intelligentiam, non potest ita videri,

Nisi quid — exempli) Ita praeter codd. Lambin. omnes MSS. Oudend. Vulg. *nisi aliquid*, vel *nisi quod — exemplum*.

Aut aliter hoc in sermone, atque in dicendo) I. e. *aut aliter hoc* genere argumentandi *in sermone* familiari vel philosophico, *atque in dicendo* coram iudicibus *sit utendum*.

Nisi monstratum) Hoc recepimus e cod. Voss. 2. Vulgo: *nisi demonstratum est*. Leid. 2, et Voss. c. Schol. *nisi monstratum est*, superscripto *monstratur*.

Quod Epaminondas) Cod. Voss. c. Schol. Leid. 3 ed. Omnib. *cum Epaminondas*. Leid. 1, *quod cum Epaminondas*. Oudendorpius deleri volebat utrumque. Enimvero *quod* necessario servandum est.

Rectum vobis videatur) Sic MSS. aliquot et edd. ante Lambin. Hic edidit *rectum vobis videtur?* Alii: *rectumne vobis videtur?* Sed unice

iudices. Quod si literis corrigi neque ab illo, 'neque a vobis scriptoris voluntas potest; videte ne multo indignius sit, id re et iudicio vestro mutari, quod ne verbo quidem commutari potest. »

Ac de inductione quidem satis in praesentia dictum videtur. Nunc deinceps ratiocinationis vim et naturam consideremus.

34. *Ratiocinatio* est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum, sua se vi et ratione confirmet. Hoc de genere qui diligentius considerandum putaverunt, quum idem usu dicendi sequerentur, paululum in praecipiendi ratione dissenserunt. Nam partim quinque eius partes esse dixerunt, partim non plus, quam in tres partes posse distribui putaverunt. Eorum controversiam non incommodum videtur cum utrorumque ratione exponere. Nam et brevis est, et non eiusmodi, ut alteri prorsus nihil dicere putentur, et locus hic nobis in dicendo minime negligendus videtur.

Qui putant in quinque tribui partes oportere, aiunt, primum convenire exponere summam argumentationis, ad hunc modum: *Melius accurantur, quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur.* Hanc primam partem numerant; eam deinceps rationibus variis, et quam copiosissimis verbis approbari putant oportere, hoc modo: « Domus ea, quae ratione regitur, omnibus instructior est rebus, et apparatior, quam ea, quae temere et nullo consilio administratur. Exercitus is, cui praepositus est sapiens et callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia et temeritate alicuius administratur.

vera est illa lectio, nec *ratum vobis videatur*, quod est in Leid. 2, ei praeferendum.

Tribui) Hoc ascivimus e cod. Leid. 3. Vulg. *distribui*.

Eadem navigii ratio est. Nam navis optime cursum conficit ea, quae scientissimo gubernatore utitur ». Quum propositio sit hoc pacto approbata, et duae partes transierint ratiocinationis, tertia in parte aiunt, quod ostendere velis, id ex vi propositionis oportere assumere, hoc pacto: *Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, administratur.* Huius assumtionis quarto in loco aliam porro inducunt approbationem, hoc modo: « Nam et signorum ortus et

Quum propositio sit etc. Propositionis vocabulo Tullius eam intelligit, quam in scholis vulgo *Maiorem* vocant: eandem Quintilianus *intentionis* nomine designat lib. V, cap. 14. Capp.

Aliam porro) Quintilianus loco mox laudanda habet *iam porro.*

Huius assumptionis) Quam *Minorem* appellare solent scholastici, et Quintilianus aliquando *Rationem* vocat. Ipsum lege lib. V, c. 14. Capp.

Nam et signarum ortus — quidquam nocuerunt) Haec vulgo in omnibus ita legebantur: *Nam et signorum ortus et obitus definitum quendam ordinem servant, et annuae commutationes, non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatae, et diurnae nocturnaeque vicissitudines nulla in re unquam mutatae quidquam nocuerunt.* In quo primum verba *et diurnae nocturnaeque vicissitudines*, ut casu quodam temere transposita, retraximus, et post verba *et annuae commutationes* collocavimus. Cur enim Cicero tantum de *annuis commutationibus* dixerit, eas necessitate semper eodem modo fieri et ad utilitates omnium rerum accommodatas esse? Annon idem de diurnis nocturnisque vicissitudinibus dicendum erat? Ac Cicero aliis locis arctissime diurnas nocturnasque vicissitudines cum annuis coniungit, ut Tusc. dispp. c. 28: *tum vicissitudines dierum atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas.* De Nat. deor. c. 19: *ipsa enim umbra terrae soli officiens noctem efficit; nocturnorum autem spatiorum eadem est aequabilitas, quae diurnorum eiusdemque solis tum accessus modici tum recessus et frigoris et caloris modum temperant* etc. de Legg. c. 7: *quem vero astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensium temperatio — non gratum esse cogant, hunc hominem omnino numerare qui decet?* Accedit, quod in vulgata lectione extremum membrum sic assutum: *et diurnae nocturnaeque vicissitudines nulla in re unquam mutatae quidquam nocuerunt*, valde friget; quod Ernesti quoque sensit, quamquam se, quod melius esset, reperire haud potuisse fassus est. Ceterum in codd. nihil est ad h. l. explanandum subsidii. Pro *nulla in re* cod. Voss. c. Schol. a m. pr. et Leid. 2 habent *nulli naturae;* quod cur illi lectioni anteferatur, causam nullam video. Quod autem Cicero dicit, *annuas commutationes dierumque ac noctium vicissitudines nulla in*

obitus definitum quendam ordinem servant, et annuae commutationes, et diurnae nocturnaeque vicissitudines non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt, verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatae; nec ulla in re unquam mutatae quidquam nocuerunt. Quae signo sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari.» Quinto inducunt loco complexionem, quae aut id infert solum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: *Consilio igitur mundus administratur;* aut unum in locum quum conduxerit breviter propositionem et assumtionem, adiungit, quid ex his conficiatur, qui h. l. respexit Inst. or. V, 14: « *Epicherematos et quatuor et quinque, et sex etiam factae sunt partes a quibusdam; Cicero maxime quinque defendit*, ut sit *propositio*, deinde *ratio* eius, tum *assumptio* et eius *probatio*, quinta *complexio; quia vero interim et propositio non egeat rationis et assumtio probationis, nonnunquam etiam complexione opus non sit, et quadripartitam et tripertitam, et bipartitam quoque fieri posse ratiocinationem. Mihi et plurimis nihilo minus auctoribus tres summam videntur. Nam ita se habet natura, ut sit, de quo quaeratur, et per quod probetur; tertium adiici potest velut ex consensu duorum antecedentium.* Ita erit prima *intentio*, secunda *assumtio*, tertia *connexio. Nam confirmatio primae ac secundae partis exornatis eisdem cedere possunt, quibus subiiciuntur. Sumamus autem a Cicerone quinquepartitum exemplum. Melius gubernantur ea, quae consilio reguntur, quam quae sine consilio administrantur.* Hanc primam partem numerant; eam deinceps rationibus variis, et quam copiosissimis verbis approbari

re unquam mutatas quidquam nocuisse, id ad aequabilitatem et constantiam harum mutationum pertinet. Sic de Nat. deor. II, 3 de stellis: *atque hi tanti ignes, tamque multi non modo nihil nocent terris rebusque terrestribus, sed ita prosunt, ut, si mota loco sint, conflagrare terras necesse sit* etc.

Complexionem eam) In praecedentibus complexio Ciceroni erat ea ratiocinandi formula, cui nomen dilemma, διλημμα. Sed hoc in loco complexionis nomine argumenti conclusionem, ut nunc loquimur, intelligit, quam et connexionem appellat Quintil. lib. V, 14, 7. Capper.

Cogitur) *Colligitur* cod. Leid. 2, 3 e glossa. Paulo ante post *complexionem* delevi *eam*, auctoritate Quintiliani Inst. or. V, 14.

Quid ex his conficiatur) Lectionem hanc cod. Voss. c. Schol. et Leid. 1 optimam iudicavit Oudend. Vulg. *adiungit, quod ex his conficiatur*, et sic Leid. 1, 3, Voss. 2 ed. Omnib. Alii: *id adiungit, quod ex his conficiatur.* Sed lectio *quid ex his conficiatur*, auctoritate Quintiliani confirmatur, qui h. l. respexit Inst. or. V, 14: « ...

tur, ad hunc modum: « Quod si melius geruntur ea, quae consilio, quam quae sine consilio administrantur; nihil autem omnium rerum melius administratur, quam omnis mundus; consilio igitur mundus administratur. » Quinquepartitam igitur hoc pacto putant esse argumentationem.

Qui autem tripartitam esse dicunt, ii non aliter putant tractari oportere argumentationem, sed partitionem horum reprehendunt. Negant enim neque a propositione, neque ab assumtione approbationes earum separari oportere, neque propositionem absolutam, neque assumtionem sibi perfectam videri, quae approbatione confirmata non sit. Quare quas illi duas partes numerent, propositionem et approbationem, sibi unam partem videri, propositionem; quae si approbata non sit, propositio non sit argumentationis. Item, quae ab illis assumtio, et assumtionis approbatio dicatur, eandem sibi assumtionem solam videri. Ita fit, ut eadem ratione argumentatio tractata, aliis tripartita, aliis quinquepartita videatur. Quare evenit, ut res non tam ad usum dicendi pertineat, quam ad rationem praeceptionis.

35. Nobis autem commodior illa partitio videtur

putant oportere. Hoc ego totum cum sua ratione unum puto; alioqui si ratio pars est, est autem varia ratio, plures partes esse dicantur. Assumtionem deinde ponit: *Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, administratur.* Huius assumtionis quarto in loco iam porro inducunt probationem, de quo idem, quod supra, dico. Quinto inducunt loco complexionem, quae aut infert solum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: *Consilio igitur mundus administratur*, aut, unum in locum quum conduxerit breviter propositionem et assumtionem, adiungit, quid ex his conficiatur, ad hunc modum: *Quodsi melius geruntur, quae consilio, quam quae sine consilio administrantur, nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus administratur, consilio igitur mundus administratur.* Cui parti consentio. »

Quam omnis mundus; consilio igitur) Particulam *igitur*, quam hic abesse malebat Ernesti, Quintiliani auctoritas l. c. tuetur.

esse, quae in quinque partes distributa est, quam omnes ab Aristotele et Theophrasto profecti, maxime sequuti sunt. Nam quemadmodum illud superius genus argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates et Socratici pertractarunt; sic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, summe est ab Aristotele et Theophrasto, atque a Peripateticis frequentatum; deinde a rhetoribus iis, qui elegantissimi atque artificiosissimi putati sunt. Quare autem nobis illa magis partitio probetur, dicendum videtur, ne temere sequuti putemur; et breviter dicendum, ne in huiusmodi rebus diutius, quam ratio praecipiendi postulet, commoremur.

36. Si quadam in argumentatione satis est uti propositione, et non oportet adiungere approbationem propositioni; quadam autem in argumentatione infirma est propositio, nisi adiuncta sit approbatio; separatum quiddam est a propositione approbatio. Quod enim et adiungi et separari ab aliquo potest, id non potest idem esse, quod est id, ad quod adiungitur, et a quo separatur. Est autem quaedam argumentatio, in qua propositio non indiget approbatione; et quaedam, in qua nihil valet sine approbatione, ut ostendemus. Se-

Pertractarunt) Sic Leid. 2, quod simplici *tractaverunt* recte praetulit Oudend. Sic infra II, 14: *narrationem saepe ac diligenter pertractare.*

Ab Aristotele, et Theophrasto, atque a Peripateticis) Vulgatus verborum ordo: *ab Aristotele, atque a Peripateticis et Theophrasto*, ineptus est, quod Theophrastum quasi excludit e Peripateticorum numero. Hoc vitatur transpositione nostra, Victorino etiam auctore facta, qua fit, ut ultimo loco collocatum *atque a Peripateticis* idem significet ac *ceterisque Peripateticis.*

Et adiungi et separari) Sic rectius Voss. c. Schol. Voss. 1, 2, Leid. 2, 3, quam ut vulgo edebatur: *adiungi et separari.*

Sine approbatione) «Sic omnes MSS. nostri dant cum ed. Omnib. Ac nullus dubito, quin et alii viri docti invenissent suis in codd. si attendissent. Quis hoc primus mutaverit, et *absque approbatione* reposuerit, nescio; perperam sane. *Absque* eo sensu Ciceronis aevo non erat Latinum. Vide me ad Lucan. VI, 152, Heinsii Advers. p. 145, quo in loco mire hallucinatur Withov. in

parata est igitur a propositione approbatio. Ostendetur autem id, quod polliciti sumus, hoc modo: Quae propositio in se quiddam continet perspicuum, et quod constare inter omnes necesse est, hanc velle approbare et firmare nihil attinet. Ea est huiusmodi: « Si, quo die ista caedes Romae facta est, ego Athenis eo die fui, interesse in caede non potui. » Hoc quia perspicue verum est, nihil attinet approbari. Quare assumi statim oportet, hoc modo: *Fui autem Athenis eo die.* Hoc si non constat, indiget approbationis; qua inducta, complexio consequetur. Est igitur quaedam propositio, quae non indiget approbatione. Nam esse quandam, quae indigeat, quid attinet ostendere, quod cuivis facile perspicuum est? Quod si ita est, ex hoc, et ex eo, quod proposueramus, hoc conficitur, separatum esse quiddam a propositione approbationem. Si autem ita est, falsum est non esse plus, quam tripartitam argumentationem.

Simili modo liquet, alteram quoque approbationem separatam esse ab assumtione. Si quadam in argumentatione satis est uti assumtione, et non oportet adiungere approbationem assumtioni; quadam autem

Encaen. p. 142. Frustra igitur Cellarius in Cur. post. c. 5 protulit hunc locum, ut probaret, *absque* pro *sine* fuisse tunc in usu, subiecitque alterum ex lib. I ad Att. ep. 19: *Nullam a me epistolam ad te sino absque argumento ac sententia pervenire.* Sed quovis pignore contendere velim, in menda eum locum per verbum *sino* cubare. Pro *sine* male etiam *absque* suppletum fuit in Inscr. Clodio Imp. dedicata apud Fabrett. p. 720, 728 inscr. » Hactenus Oudendorp.

Et quod constare) Recte hoc defendit Oudend. auctoritate MSS. suorum et ed. Omnib. Vulg. *eo quod constare.* Confirmatur etiam lectio *et quod constare* loco simili huius capitis, ubi dicitur: *non enim perspicua est, neque constat inter omnes.*

Complexio consequetur) Iure suo expunxit Ernesti id, quod Aldus addiderat: *igitur in caede interesse non potui.* Hoc enim emblema non agnoscunt codd. Voss. 2, Cass. Guelf. 1, 2, et edd. vett.

Si quadam in argumentatione) Vulg. *nam si quadam* etc. Sed illud *nam* recte delevit Ernesti, quia Cicero istas conclusiones absolute ponit. Nec est in MSS. et edd. pr.

in argumentatione infirma est assumtio, nisi adiuncta sit approbatio; separatum quiddam est extra assumtionem approbatio. Est autem argumentatio quaedam, in qua assumtio non indiget approbationis; quaedam autem, in qua nihil valet sine approbatione, ut ostendemus. Separata est igitur ab assumtione approbatio. Ostendemus autem id, quod polliciti sumus, hoc modo: *Si oportet velle sapere, dare operam philosophiae convenit.* Haec propositio indiget approbationis. Non enim perspicua est, neque constat inter omnes, propterea quod multi nihil prodesse philosophiam, plerique etiam obesse arbitrantur. Assumtio est haec: *Oportet autem velle sapere.* Hoc quia ipsum ex se perspicitur, et verum esse intelligitur, nihil attinet approbari. Quare

Ostendemus autem id, quod polliciti sumus, hoc modo:) Post haec verba ineptissimam glossatoris laciniam, vulgo in omnibus nimium patienter toleratam, resecuimus: *Quae perspicuam omnibus veritatem continet assumtio, nihil indiget approbationis. Ea est huiusmodi:* Iam autem in textu non sequitur assumtio syllogismi, sed propositio. Qui igitur fieri poterat, ut Cicero, de assumtione modo loquutus, diceret: *ea est huiusmodi*, et tamen non assumtionem, sed propositionem subiungeret?

Si oportet velle sapere) Ita cum Lambino edendum erat; non, ut plerique: *Si oportet sapere.* Nam nihil aliud significat propositio, quam: *si sapientia petenda est.* Huic autem aequipollet enuntiatum: *Si oportet velle sapere.* Itaque sic etiam postea in assumtione scripsimus.

Assumtio est haec) Vulgo editur: *Assumtio perspicua est haec.* Sed delevimus *perspicua*, ut superfluum, quum statim sequatur: *Hoc quia ipsum ex re perspicitur.* In MSS. Oudend. est: *assumtio est perspicua* vel *perspicua est. Est enim haec.* In cod. Voss. c. Schol. *Assumtio perspicua. Est enim haec.* Id placet Oudendorpio. Nos vero hac μακρολογίᾳ non delectamur.

Hoc quia) Vulgo *Hoc autem quia.* Ernesti in notis ait, se *autem* delevisse; sed aut operae non paruerunt, aut ipse corrigere in textu oblitus est. Recte vero abest *autem* a MSS. duobus Leidd. Cass. Guelf. 1.

Ipsum ex se perspicitur) Ita Nizolius in lexico Ciceroniano voc. *Ex* legit, et Lambinus in textu posuit. Recte. Nam de enuntiato loquitur Cicero, quod approbationis haud indiget, ideoque ipsum *ex se* perspiciatur necesse est. Sic postea c. 39: *quum propositio ex se intelligitur.* Vulgatum *ex re perspicitur* ineptum est. Nam ex re quadam necesse est perspici omnia, quae demonstratione perspiciuntur.

statim concludenda est argumentatio. Est ergo assumtio quaedam, quae approbationis non indiget. Nam quandam indigere perspicuum est. Separata est igitur ab assumtione approbatio. Falsum ergo est, non esse plus quam tripartitam argumentationem.

Atque ex his illud iam perspicuum est, esse quandam argumentationem, in qua nec propositio, neque assumtio indigeat approbationis, huiusmodi, ut certum quiddam et breve, exempli causa, ponamus: « Si summo opere sapientia petenda est, summo opere stultitia vitanda est; summo autem opere sapientia petenda est; summo igitur opere stultitia vitanda est. » Hic et assumtio, et propositio perspicua est. Quare neutra quoque indiget approbatione. Ex hisce omnibus illud perspicuum est, approbationem tum adiungi, tum non adiungi. Ex quo cognoscitur, neque in propositione, neque in assumtione contineri approbationem, sed utramque suo loco positam, vim suam, tanquam certam et propriam, obtinere. Quod si ita est, commode partiti sunt illi, qui in quinque partes distribuerunt argumentationem.

37. Quinque sunt igitur partes eius argumentationis, quae per ratiocinationem tractatur: *Propositio*, per quam locus is breviter exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis; *Propositionis approbatio*, per quam id, quod breviter expositum est, rationibus affirmatum, probabilius et apertius fit; *Assumtio*, per quam id, quod ex propositione ostenden-

In qua nec propositio) Oudendorpius e cod. Voss. c. Schol. illud *nec* vulgato *neque* praeferendum duxit, credo, ut numerosius hoc membrum fieret.

Quinque sunt partes argumentationis) A Cicerone, quod rarum et mirum est, hoc quidem in loco dissentit Quintilianus, cuius rationum momenta lege et expende, lib. V, cap. 14. CAPPER.

Quod ex propositione ostendendum pertinet) Vulgo: *quod ex propositione ad ostendendum pertinet*; sensu aut nullo, aut hic saltem inepto. Si dicitur assumtio continere id, quod

dum pertinet, assumitur; *Assumtionis approbatio*, per quam id, quod assumtum est, rationibus firmatur; *Complexio*, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur. Quae plurimas habet argumentatio partes, ea constat ex his quinque partibus. Secunda est quadripartita. Tertia tripartita. Dein bipartita; quod in controversia est. Dein ex una quoque parte potest alicui videri consistere. Eorum igitur, quae constant, exempla ponemus: horum, quae dubia sunt, rationes afferemus.

38. Quinquepartita argumentatio est huiusmodi: « Omnes leges, iudices, ad commodum reipublicae referre oportet, et eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quae in literis est, interpretari. Ea enim virtute et sapientia maiores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud, nisi salutem atque utilitatem reipublicae proponerent. Neque enim ipsi, quod obesset, scribere volebant; et, si scripsissent, quum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed reipublicae, quod ex legibus omnes rempublicam optime putant administrari. Quam ob rem igitur leges servari oportet, ad eam causam scripta legum omnia

pertineat ad ostendendum ex propositione, quaero, quid hoc sit, ad quod ostendendum referatur assumtio syllogismi. Supra c. 34 Cicero affirmaverat, in assumtione, quod ostendere velis, id ex vi propositionis oportere assumere. Hoc idem nunc his verbis exprimitur: *quod ex propositione ostendendum pertinet*, id est, pendet, sequitur; seu, quod porro ex vi propositionis probandum est.

Quod in controversia est) Haec verba, quia absunt ab uno cod. Oudendorpii, equidem haud damnaverim, ut Ernestio placuit. Nam, hoc omisso, non statim intelligitur, utrum bipertita argumentatio ad dubium genus, an ad certum pertineat.

Dein ex una quoque parte potest alicui videri consistere) Vulg. *de una quoque parte potest alicui videri posse consistere.* Lambinus partim e cod. partim e coniectura edidit: *Ex una quoque parte videri potest alicui constare.* Sed quia *constare* statim alio sensu occurrit, verius est, antiquam lectionem *consistere* hic servare.

Scripta legum omnia) Inserui *le-*

interpretari convenit. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectet, quoniam eius causa est instituta; sic a legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod reipublicae conducat, proficisci, quoniam eius causa sunt comparatae. Ergo in hoc quoque iudicio desinite literas legis perscrutari, et legem, ut aequum est, ex utilitate reipublicae considerate. Quid enim magis utile Thebanis fuit, quam Lacedaemonios opprimi? Cui rei magis Epaminondam, Thebanorum imperatorem, quam victoriae Thebanorum, consulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro atque exornato tropaeo carius atque antiquius habere convenit? Scripto videlicet legis omisso, scriptoris sententiam considerare debebat. Atque hoc quidem satis consideratum est, nullam esse legem, nisi reipublicae causa scriptam. Summam igitur amentiam esse existimabat, quod scriptum esset reipublicae salutis causa, id non ex reipublicae salute interpretari. Quod si leges omnes ad utilitatem reipublicae referri convenit, hic autem saluti reipublicae profuit; profecto non potest eodem facto et communibus fortunis consuluisse, et legibus non obtemperasse.»

39. Quatuor autem partibus constat argumentatio, quum aut proponimus, aut assumimus sine approbatione. Id facere oportet, quum aut propositio ex se intelligitur, aut assumtio perspicua est, et nullius ap-

gum, quia nimis infinitum esset *scripta omnia.* Sic deinde *literas legis* et *scriptum legis* nominat.

Interpretari convenit) Quae hic vulgo adiiciuntur: *hoc est, quoniam reipublicae servimus, ex reipublicae commodo atque utilitate leges interpretemur*, a glossatore quodam olim interpretationis causa adiecta, eiecimus. Nihil enim afferunt, quod non antea iam elegantius dictum sit.

Quid enim) *Enim* abest a cod. Voss. c. Schol. Voss. 2, Leid. 3.

Proponimus) Hoc est, eam propositionem efformamus, quae vulgo *Maior* in scholis appellatur. CAPP.

Assumimus) Id est, eam propositionem conficimus, quam aetatis nostrae Logici *Minorem* vocant. CAP.

probationis indiget. Propositionis approbatione praeterita, quatuor ex partibus argumentatio tractatur ad hunc modum: « Iudices, qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis. Obtemperare autem legibus non potestis, nisi id, quod scriptum est in lege, sequamini. Quod enim certius legis scriptor testimonium voluntatis suae relinquere potuit, quam quod ipse magna cum cura atque diligentia scripsit? Quod si literae non exstarent, magnopere eas requireremus, ut ex his scriptoris voluntas cognosceretur; nec tamen Epaminondae permitteremus, ne si extra iudicium quidem esset, ut is nobis sententiam legis interpretaretur, nedum nunc istum patiamur, quum praesto lex sit, non ex eo, quod apertissime scriptum est, sed ex eo, quod suae causae convenit, scriptoris voluntatem interpretari. Quod si vos, iudices, legibus obtemperare debetis, et id facere non potestis, nisi id, quod scriptum est in lege, sequamini, quid causae est, quin istum contra legem fecisse iudicetis? »

Assumtionis autem approbatione praeterita, quadripartita sic fiet argumentatio: « Qui saepenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus. Si quid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit, praeter nosmetipsos, quem iure accusare possimus. Ac primo quidem decipi incommodum est; iterum, stultum; tertio, turpe. Carthaginienses autem persaepe iam nos fefellerunt. Summa igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis. »

Vtraque approbatione praeterita tripartita fit, hoc

Istum) Hoc praebent MSS. Gronov. Oudendorpii omnes, Guelf. 1, 2, et sententia manifesto postulat. Quare optimo iure est ab Ernestio receptum. Vulg. *istud*.

Nisi id, quod) MSS. plerique *id quod* praebent. Edd. olim *id* omiserunt.

pacto: « Aut metuamus Carthaginienses oportet, si incolumes eos reliquerimus; aut eorum urbem diruamus. Ac metuere quidem non oportet. Restat igitur, ut urbem diruamus. »

40. Sunt autem, qui putent, nonnunquam posse complexione supersederi, quum id perspicuum sit, quod conficiatur ex ratiocinatione. Quod si fiat, bipartitam quoque fieri argumentationem, hoc modo: *Si peperit, virgo non est; peperit autem.* Hic satis esse proponere et assumere; quoniam perspicuum sit, quod conficiatur. Nobis autem videtur et omnis ratiocinatio concludenda esse; et quod illis displicet, magnopere vitandum, ne, quod perspicuum sit, id in complexionem inferamus. Hoc autem fieri poterit, si complexionum genera intelligantur. Nam aut ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem et assumtionem, hoc modo: *Quod si leges omnes ad utilitatem reipublicae referri convenit; hic autem saluti reipublicae profuit; profecto non potest eodem facto, et saluti communi consuluisse, et legibus non obtemperasse.* Aut ita, ut ex contrario sententia conficiatur, hoc modo: *Summa igitur amentia est, in eorum fide spem habere, quorum*

Posse complexione supersederi) Vulg. *posse complexione et oportere supersederi*. Sed *oportere* recte abest Leid. 1 et Voss. c. Schol. a m. pr. Et omitti placuit Lambino et Oudendorpio, quibus iam Ernesti obsequutus est.

Hic satis esse) Plerique adiiciunt *dicunt*. Sed id abest cod. Voss. c. Schol. a m. pr. et Leid. 1. In Voss. 1, 2, Leid. 3 ponitur post *assumere*. Hoc satis arguit, esse a glossatore adiectum.

Quoniam perspicuum sit, quod conficiatur) Quae vulgo adduntur: *complexionis rem non indigere*, absunt a tribus MSS. Oudend. et Ernestio spuria visa sunt; cui prorsus assentimur.

Et quod illis displicet) Vulg. *et illud vitium, quod illis displicet*. Verba *illud vitium*, iam Ernestio suspecta, eiecimus.

Ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem et assumptionem) Id est, ut usitato nostris in scholis more loquar, argumenti nostri conclusio erit huiusmodi, ut ambas praemissas, sive maiorem et minorem, in unam periodum conducamus. CAPP.

perfidia toties deceptus sis. Aut ita, ut id solum, quod conficitur, inferatur, ad hunc modum: *Vrbem igitur diruamus.* Aut, ut id, quod eam rem, quae conficitur, sequatur necesse est. Id est huiusmodi: *Si peperit, cum viro concubuit: peperit autem.* Conficitur hoc: *Concubuit igitur cum viro.* Hoc si nolis inferre, et inferas id, quod sequitur: *Fecit igitur incestum;* et concluseris argumentationem, et perspicuam fugeris complexionem. Quare in longis argumentationibus, ex conductionibus, aut ex contrario complecti oportet; in brevibus id solum, quod conficitur, exponere; in iis, in quibus exitus perspicuus est, consecutione uti.

41. Si qui autem ex una quoque parte putabunt constare argumentationem, poterunt dicere, saepe satis esse hoc modo argumentationem facere: *Quoniam peperit, cum viro concubuit.* Nam hoc nullius neque approbationis, neque complexionis indigere. Sed nobis ambiguitate nominis videntur errare. Nam argumentatio nomine uno res duas significat, ideo quod et inventum aliquam in rem probabile, aut necessarium, argumentatio vocatur, et eius inventi artificiosa expolitio. Quando igitur proferent aliquid huiusmodi: *Quo-*

Ex conductionibus .... complecti) Hoc est, argumentum ita concludere, ut ambae praemissae, sive maior et minor, unam in periodum conducantur. A qua explicatione non multum abludit Marius Victorinus, qui Tullianum illud *ex conductionibus* exponit *κατὰ συναγωγὴν καὶ ἀνακεφαλαίωσιν*, id est, per rerum congregationem (ut loquitur Quintilian. lib. VI, cap. 1) et enumerationem per summa capita. Id.

Consecutione) Quae alias complexio, connexio, conclusio dicitur. Vulg. *Consequentia.* Id.

Nam hoc nullius neque approbationis, neque complexionis indigere) Vulgo sic legitur: *Nam hoc nullius neque approbationis, neque assumtionis, vel eius approbationis, neque complexionis indigere.* At haec prorsus inepta sunt et a Ciceronis proposito aliena. Exemplum enim syllogismi plene enuntiati hoc est: *Si peperit, cum viro concubuit; peperit autem; cum viro igitur concubuit.* Quae si sic contrahas: *Quoniam peperit, cum viro concubuit*, propositio et assumtio in unum contrahitur, ita ut omittatur utriusque approbatio et complexio. Itaque Victorini lectionem sequutus sum.

niam peperit, cum viro concubuit; inventum proferent, non expolitionem. Nos autem de expolitionis partibus loquimur. Nihil igitur ad hanc rem ratio illa pertinebit: atque hac distinctione, alia quoque, quae videbuntur officere huic partitioni, propulsabimus, si qui aut assumtionem aliquando tolli posse putent, aut propositionem. Quae si quid habet probabile aut necessarium, quoquo modo commoveat auditorem necesse est. Quod si solum spectaretur, ac nihil, quo pacto tractaretur id, quod excogitatum esset, referret; nequaquam tantum inter summos oratores et mediocres interesse existimaretur.

Variare autem orationem magnopere oportebit. Nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Id fieri poterit, si non similiter semper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipsis distinguere convenit, hoc est, tum inductione uti, tum ratiocinatione; deinde in ipsa ratiocinatione non semper a propositione incipere, nec semper quinque partibus abuti convenit, neque eadem ratione partes expolire: sed tum ab assumtione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum utraque, tum hoc, tum illo

Commoveat) Leidens. 2, *moveat*. Vtrum placeat, h. l. non de ciendis animorum perturbationibus, sed de eliciendo mentis assensu intelligendum.

Nequaquam tantum) Ernesti *tantum*, quod abest ab edd. pr. deleri volebat. Nobis id emphaseos causa servandum videtur.

Distinguere convenit) Quod vulgo additur *orationem*, id abest a codd. Oudend. et ed. Omnib. Ac sane melius est, verbum *distinguere* ad antecedens *argumentationem* referri.

Deinde in ipsa ratiocinatione) Hoc dedimus pro vulg. *argumentatione*, quod h. l. nimis infinitum esset; nam quae sequuntur, non ad utrumque genus argumentationis, inductionem et ratiocinationem, sed tantum ad ratiocinationem pertinent. Itaque Victorinus quoque sic, ut edidimus, legisse videtur.

Abuti convenit) *Convenit* addidimus e cod. Leid. 2, rectius enim hic repetitur, ad oppositum *licet* relatum.

Partes expolire) Ita correxi vulg. *partitiones expolire*. Nam non partitio ratiocinationis, sed partes expoliuntur.

genere complexionis uti. Id ut melius perspiciatur, aut ipsi scribamus, aut in quolibet exemplo de iis, quae proposita sunt, hoc idem exerceamus.

Ac de partibus quidem argumentationis satis nobis dictum videtur. Illud autem volumus intelligi, nos probe tenere, aliis quoque rationibus tractari argumentationes in philosophia multis et obscuris, de quibus certum est artificium constitutum. Verum illa nobis abhorrere ab usu oratorio visa sunt. Quae pertinere autem ad dicendum putamus, ea nos commodius, quam ceteros, attendisse, non affirmamus, perquisitius et diligentius conscripsisse pollicemur. Nunc, ut instituimus, proficisci ordine ad reliqua pergemus.

42. *Reprehensio* est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur, aut elevatur. Haec fonte inventionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea quod, quibus ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest ex locis infirmari. Nihil enim con-

Id ut melius — hoc idem exerceamus) Hanc textus particulam ad Victorini auctoritatem accommodavi; quamquam valde vereor, ne tota sit ab interpolatoribus conflata. Certe multum variat codd. scriptura, et sententia ipsa glossatoris potius quam Ciceronis, etiamsi iuveniliter luxuriatum putes, ingenio digna. In ed. Ald. Camer. sic legitur: *id ut perspiciatur, aut scribamus, aut in quolibet exemplo de iis, quae proposita sunt, hoc idem exerceamus, ut quam facile sit factu.* Verba: *ut quam facile sit factu*, expunxit Lambinus, qui pro iis in quibusdam aliis libris invenit: *ut, quam facile dictu sit, experiamur.* In cod. Voss. c. Schol. scriptum est: *id ut et perficiatur scribamus* (super linea *videamus*) et in marg. *aut inscribamus ipsi, et nos exerceamus, aut si id piget facere.* Idem cod. extrema sic variat: *quam id facile factu sit.*

Oratorio) Cod. Voss. c. Schol. *oratoris.*

Visa sunt) Ita MSS. quam plurimi, etiam Oudend. omnes, quod vel illo indice non debebat in *videntur* mutari.

Instituimus, proficisci ordine ad reliqua pergemus) Male quidam interpungunt sic: *ut instituimus proficisci, ordine* .... quod cur Ernesti rem ipsam postulare dixerit, non video. Nam *ut instituimus*, *ut instituisti*, saepius absolute ponitur, ut Cic. de Orat. II, c. 28, et *pergere proficisci* alibi quoque occurrit, e. c. ad Herenn. III, 1.

Diluitur, aut elevatur) Sic iam Nizolius legit, et id quidem unice verum. Ald. *aut infirmatur aut alle-*

siderandum est in his omnibus, nisi id, quod personis, aut negotiis attributum est. Quare inventionem, et argumentationum expolitionem, ex illis, quae ante praecepta sunt, hanc quoque in partem orationis transferri oportebit. Verumtamen, ut quaedam praeceptio detur huius quoque partis, exponemus modos reprehensionis; quos qui observabunt, facilius ea, quae contra dicentur, diluere aut infirmare poterunt.

43. Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex iis, quae sumta sunt, non conceditur aliquod unum plurave; aut, his concessis, complexio confici ex his negatur; aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur; aut si contra firmam argumentationem, alia aeque firma, aut firmior ponitur. *Ex iis, quae sumuntur, aliquid non conceditur*, quum aut id, quod credibile, aut quod signum esse adversarii dixerunt, id eiusmodi negatur esse, aut quod comparabile putant, dissimile ostenditur; aut iudicatum aliam in partem traducitur; aut omnino iudicium improbatur; aut si complexio, aut una, aut utraque ex parte reprehenditur, aut si enumeratio falsa ostenditur; aut si simplex conclusio falsi aliquid continere demonstratur. Nam omne, quod sumitur ad argumentandum, sive pro probabili, sive pro necessario, necesse est sumatur ex his locis, ut ante ostendimus.

viatur. Sed *infirmatur* glossema est τοῦ *elevatur;* et *alleviatur* ex hac lectione scribendi vitio corruptum.

In his omnibus) In MSS. et edd. additur *inventionibus*, quod glossatori debetur. Illa enim verba, ut ex Victorini interpretatione patet, referuntur ad antecedens *locis.*

Quod credibile, aut quod signum esse adversarii dixerunt, id eiusmodi negatur esse) In MSS. et edd. h. l. tantum ponitur: *quod credibile dicunt, negatur esse eiusmodi;* deinde, post verba: *aut omnino iudicium improbatur*, sequuntur ista: *aut quod signum esse adversarii dixerunt, id eiusmodi negatur esse.* Sed facile patet ex ordine, quo haec membra deinceps tractantur, illa verba: *aut quod signum —esse*, perperam transposita esse, quare ea suum in locum restituimus.

Aut una, aut utraque ex parte) Sic Lambin. Lallem. Olivet. concin-

44. Quod *pro credibili* sumtum erit, id infirmabitur, si aut perspicue falsum erit, hoc modo: *Nemo est, qui non pecuniam, quam sapientiam malit;* aut ex contrario quoque credibile aliquid habebit, hoc modo: *Quis est, qui non officii cupidior sit, quam pecuniae?* aut erit omnino incredibile, ut si aliquis, quem constat esse avarum, dicat, *alicuius mediocris officii causa, se maximam pecuniam neglexisse;* aut si, quod in quibusdam rebus, aut hominibus accidit, id omnibus dicatur usu venire, hoc pacto: *Qui pauperes sunt, iis antiquior officio pecunia est; — Qui locus desertus est, in eo caedem factam esse oportet; in loco celebri homo occidi qui potuit?* aut si id, quod raro fit, fieri omnino negetur; ut Curio pro Fulvio: *Nemo potest uno aspectu, neque praeteriens, in amorem incidere.*

Quod autem pro *signo* sumetur, id ex iisdem locis, quibus confirmatur, infirmabitur. Nam in signo, primum verum esse ostendi oportet; deinde eius esse rei signum proprium, qua de re agitur, ut cruorem caedis; deinde factum esse, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit; postremo scisse eum, de qua quaeritur,

nius, quam ut vulgo: *aut ex una aut ex utraque parte.*

Vt si aliquis, quem constat) Vulg. ut *si quis, quem constet.* Nos vero *aliquis* e cod. Voss. 1; *constat* e cod. Voss. c. Schol. et Leid. 2 recepimus.

Vsu venire) Sic ex consuetudine Ciceronis cum cod. Voss. 2, Leid. 2, 3 scribendum fuit, non, ut vulgo editur, *usu evenire.*

Omnino negetur) Ita rectius cod. Leid. 1, quod probavit Oudend. Ernesti recepit: olim erat *negatur.*

Curio) Sic, non *Curius*, ut olim, legendum esse, docuit Ernesti in Clave Cic. Et sic est in cod. Voss. c. Schol. Voss. 1, Leid. 1 a m. sec. et Leid. 3.

Factum esse, quod non oportuerit) Si quis forte quaerat, quomodo hoc *signo* possit attribui, tenendum est, id h. l. de suspicione, quae ex facto aliquo, quod fieri haud oportuisset, oriatur, sumi; unde tanquam ex signo colligatur, qui hoc fecerit, etiam illud, de quo quaeretur, fecisse.

Scisse — consuetudinem) E. c. si Clodius scisset, Miloni certo die constitutum fuisse, Lanuvium proficisci ad dictatorem ibi prodendum, eius rei *legem* scisset; item: si quis alius hominem, quem in silva occidisse dicatur, scisset quotidie certa hora in hanc silvam prodeambulare solitum, scisset *consuetudinem.*

eius rei legem et consuetudinem. Nam eae res sunt signo attributae; quas diligentius aperiemus, quum separatim de ipsa coniecturali constitutione dicemus. Ergo horum unumquodque in reprehensione, aut non esse signo, aut parum magno esse, aut a se potius, quam ab adversariis stare, aut omnino falso dici, aut in aliam quoque suspicionem duci posse, demonstrabitur.

Quum autem pro *comparabili* aliquid inducetur, quoniam id per similitudinem maxime tractatur, in reprehendendo conveniet, simile id negare esse, quod conferetur, ei quicum conferetur. Id fieri poterit, si demonstrabitur diversum esse genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione; ac si, quo in numero illud, quod per similitudinem afferetur, et quo in loco hoc genus, cuius causa afferetur, haberi conveniat, ostendetur. Deinde, quid res cum re differat, demonstrabitur; ex quo docebimus, aliud de eo, quod comparabitur, et de eo, quicum comparabitur, existimari oportere. Huius facultatis maxime indigebimus, quum ea ipsa argumentatio, quae per inductionem tractatur, erit reprehendenda.

Sin iudicatum aliquod inferetur, quoniam id ex his locis maxime firmatur: laude eorum, qui iudicarunt; similitudine eius rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de iudicatum est; et commemorando, non modo non esse reprehensum iudicium, sed ab omnibus approbatum: et demonstrando, difficilius et maius fuisse id iudicatum, quod afferatur, quam id, quod instet: ex

De ipsa coniecturali constitutione dicemus) De signo vero, et de rebus signo attributis Cicero in libro secondo, ubi de coniecturali constitutione agit, diserte nusquam loquutus est.

Coniecturali constitutione) Στοχασμῷ στοχαστικῇ στάσει. Status est oratoriae quaestionis, quam vulgo *facti* vel *de facto quaestionem* appellamus. Capp.

Indigebimus) Ita scribendum esse, non, ut vulgo, *indigemus*, viderunt Lambinus et Ernesti.

contrariis locis, si res aut vera, aut verisimilis permittet, infirmari oportebit. Atque erit observandum diligenter, ne nihil ad id, quo de agatur, pertineat id, quod iudicatum sit; et videndum, ne ea res proferatur, in qua sit offensum, ut de ipso, qui iudicarit, iudicium fieri videatur. Oportet autem animadvertere, ne, quum aliter multa sint iudicata, solitarium aliquod iudicatum, aut rarum afferatur. Nam his rebus auctoritas iudicati maxime potest infirmari. Atque ea quidem, quae quasi *probabilia* sumentur, ad hunc modum tentari oportebit.

45. Quae vero sicuti *necessaria* inducentur, ea si forte imitabuntur modo necessariam argumentationem, neque erunt eiusmodi, sic reprehendentur.

Primum *complexio*, quae, utrum concesseris, debet tollere, si vera est, nunquam reprehendetur; sin falsa, duobus modis, aut conversione, aut alterius partis infirmatione. *Conversione*, hoc modo:

In qua sit offensum) I. e. male iudicatum, et peccatum a iudice, eaque re ignominia contracta. Ern.

Solitarium aliquod iudicatum, aut rarum) Sic MSS. Ox. ω, 2. Recte. Vulg. *solitarium aliquod aut rarum iudicatum*. Voss. 1, 2, Leid. 1, et Voss. c. Schol. a pr. m. habent *aliquid*. In Leid. 1 abest *iudicatum*; quod sane ex antecedentibus facile intelligitur, scribi non erat necesse.

Atque ea quidem) *Argumenta*, quod hic in edd. addebatur, abest in MSS. Oudend. plerisque, unde iam Ernesti recte delevit.

Primum complexio etc.) Hunc locum, quia est difficilior ad intelligendum non adsuetis veteri dialecticae, dilucidabimus breviter. Primum *complexio* h. l. est argumentatio, cuius ratio explicatur supra cap. 29, estque simillima dilemmati, aut nititur dilemmate. Ea debet tollere, i. e. negare, et falsum iudicare, atque ostendere, utrumlibet e duobus sumtis concedatur ab adversario. Ea igitur argumentatio, si evidenter vera est, non debemus eam reprehendere velle, quia inanis est labor, et obest potius quam prodest. At si falsa et vitiosa est, quod aut in propositione non accurata est disiunctio aut partitio etc. aut ex singulis non recte conclusum, tum reprehensio tentanda est, eaque facienda, aut per conversionem etc.

Conversione) Qua voce Tullius hoc refutandi genus in primis firmum intelligit, quod Graeci ἀντίστροφον (id est convertens, contra vertens, retorquens) appellant, atque idipsum est quod in scholis vulgo dicimus *retorquere argumentum*. Hanc refellendi formulam memorat Aulus Gel-

Nam si veretur, quid eum accuses, qui est probus?
Sin inverecundum animi ingenium possidet,
Quid eum accuses, qui id parvi auditum existimet?

Hic, sive vereri dixeris, sive non vereri, concedendum hoc putat, ut neget esse accusandum. Quod conversione sic reprehendetur: « Immo vero accusandus est. Nam si veretur, accuses; non enim parvi auditum aestimabit. Sin inverecundum animi ingenium possidet, tamen accuses. Non enim probus est. » *Alterius* autem *partis infirmatione*, hoc modo reprehendetur: « Verum si veretur, accusatione tua correptus, ab errato recedet.»

Enumeratio vitiosa intelligitur, si aut praeteritum quiddam dicemus, quod velimus concedere, aut infirmum aliquid annumeratum, quod aut contra dici possit, aut causa non sit, quare non honeste possimus concedere. Praeteritur quiddam in eiusmodi enumerationibus: « Quoniam habes istum equum, aut emeris oportet, aut hereditate possideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus sit, aut, si horum nihil est, surripueris necesse est; sed neque emisti, neque hereditate venit, neque donatus est, neque domi natus est; necesse est ergo surripueris. » Hoc commode reprehendetur, si

lius lib. V Noct. Attic. cap. 9, et 11, ubi et illustre profert eius exemplum. CAPP.

Nam si veretur) Iambici senarii sunt, ex Ennio sumti. Nam auctor ad Herennium hos versus ipse quoque citat ex Ennio lib. II, cap. 26. NASCIMB.

Parvi auditum) Ita, ut ad Herenn. II, 26, scripsimus auctoritate cod. Voss. e. Schol. Vulg. *p. auditu*.

Concedendum) Sic MSS. Oudend. omnes. Multi edd. *concludendum*. Et sic Lambin. qui habet etiam *neges*. — *Concedendum .... ut neget esse accus*. Praeceptum pertinet non ad eum, cui praecipitur; sed ad eum, cuius argumentatio refelli debet; is neget concedendum esse, ut alterum non accusandum fateatur. ERN.

Correptus) Hoc ut exquisitius et aptius, quam vulg. *correctus*, recepi e cod. Voss. 2, et ed. Omniboni.

Neque donatus est, neque domi natus est) Hunc verborum ordinem, unice verum et antecedentibus respondentem, omnes MSS. Oudend. confirmant, qui recte miratur, editores ab eo discessisse, qui inverso ordine dederunt: *neque domi natus est, neque donatus est*.

dici possit ex hostibus equus esse captus, cuius praedae sectio non venierit; quo illato, infirmatur enumeratio; quoniam id est inductum, quod praeteritum sit in enumeratione.

Altero autem modo reprehendetur, si aut contra aliquid dicetur, hoc est, si, exempli causa, ut in eodem versemur, poterit ostendi hereditate venisse; aut si extremum illud non erit turpe concedere; ut si quis, quum dixerint adversarii: « aut insidias facere voluisti, aut amico morem gessisti, aut cupiditate elatus es; » amico se morem gessisse fateatur.

Simplex autem *conclusio* reprehendetur, si id, quod sequitur, non videatur necessario cum eo, quod antecessit, cohaerere. Nam hoc quidem: *Si spiritum ducit, vivit*; — *Si dies est, lucet;* eiusmodi est, ut cum priore necessario posterius cohaerere videatur. Hoc autem: *Si mater est, diligit;* — *Si aliquando peccavit, nunquam corrigetur;* sic conveniet reprehendi, ut demonstretur non necesario cum priore posterius cohaerere.

46. Hoc genus, et cetera necessaria et omnino omnis argumentatio, et eius reprehensio maiorem quandam

Cuius praedae sectio non venierit) Sine dubio sic legendum. Est elliptica orationis forma, quasi dictum esset: *si dici possit ex hostibus aequus esse in praeda captus, cuius praedae sectio non venierit.* Itaque non est, quod corrigamus, *qui in praedae sectione non venierit*, ut Purgoldus opinatur. *Praedae sectio*, h. e. ea pars praedae, quae ad populum pertinebat, plerumque vendebatur, et pecunia ex venditione collecta aerario inferebatur. Nonnunquam tamen intermissa est praedae sectionis venditio: quod si fieret, milites, quaecunque pro praeda coepissent, sibi servare poterant. — *Praedae sectio* erat pars bonorum vel damnatorum vel hostium, quae veluti *resecta* esset de reliquis. Quid enim vetat hinc etiam vocabulum deducere, quamvia Asconii interpretationem non ignorem, quae vulgo adfertur. Ille igitur equus, qui in publicam praedam non esset deductus, iure belli acquiri potuit. Deduci autem non fuit necesse, non proposita praedae sectione. Cam.

Id est inductum) Sic scribendum erat, non *id sit inductum;* nam hic est oratio definita, non obliqua, ut in sequentibus verbis.

Si mater est, diligit) Ed. Omnib. addit *filium*, quod abest Victorin. MSS. Oudend.

vim continet, et latius patet, quam hic exponitur; sed eius artificii cognitio huiusmodi est, ut non ad huius artis partem aliquam adiungi possit, sed ipsa separatim longi temporis, et magnae atque arduae cogitationis indigeat. Quare illa nobis alio tempore atque ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur. Nunc his praeceptionibus rhetorum ad usum oratorium contentos nos esse oportebit. Quum igitur ex iis, *quae sumuntur*, aliquid non conceditur, sic infirmabitur.

47. Quum autem, his concessis, *complexio* ex his *non conficitur*, haec erunt consideranda: num aliud conficiatur, aliud dicatur, hoc modo: Si, quum aliquis dicat se profectum esse ad exercitum, contra eum quis velit hac argumentatione uti: « Si venisses ad exercitum, a tribunis militaribus visus esses; non es autem ab his visus; non es igitur profectus ad exercitum. » Hic quum concesseris propositionem et assumtionem, complexio est infirmanda. Aliud enim, quam cogebatur, illatum est.

48. Ac nunc quidem, quo facilius res cognosceretur, perspicuo et grandi vitio praeditum posuimus exemplum; sed saepe obscurius vitium pro vero probatur, quum aut parum memineris, quid concesseris, aut ambiguum aliquid pro certo concesseris. *Ambiguum*

Contra eum) Vulg. *contraque eum*. Sed copulam rectius omittunt Leid. 1, 3, Voss. 2, ed. Omnib.

Non es igitur profectus) Concludi debuit: igitur ad exercitum non venisti. Aliud est ad exercitum proficisci, sive itineri se committere ad exercitum; aliud est venire, sive pedem inferre in ipsa castra. Vitiosissima igitur conclusio, qua colligitur id quod nullatenus positum fuit sive in propositione, sive in assumptione. Nota est haec Logicorum regula: *Nihil debet esse in consequente, quod non fuerit in antecedente*. PAVST.

Illatum est) Nempe aliud est, *venire ad exercitum*, aliud, *profectum esse ad exercitum*.

Ac nunc quidem) Perperam vulgo: *at nunc quidem*. MSS. Cass. Voss. edd. vett. habent *ac*, quod Ernesti restituit.

Obscurius vitium) Vulgo inficete legitur: *obscurius positum vitium*. Librarii vitio ex antecedenti *posuimus* ortum est *positum*.

si concesseris ex ea parte, quam ipse intellexeris, eam partem si adversarius ad aliam partem per complexionem velit accommodare; demonstrare oportebit, non ex eo, quod ipse concesseris, sed ex eo, quod ille sumserit, confici complexionem, ad hunc modum: « Si pecuniae indigetis, pecuniam non habetis; si pecuniam non habetis, pauperes estis. Indigetis autem pecuniae; mercaturae enim, nisi ita esset, operam non daretis. Pauperes igitur estis. » Hoc sic reprehenditur: « Quum dicebas, *Si indigetis pecuniae, pecuniam non habetis*; hoc intelligebam: *Si propter inopiam in egestate estis, pecuniam non habetis*; et idcirco concedebam. Quum autem hoc sumebas: *Indigetis autem pecuniae*; illud accipiebam: *Vultis autem pecuniae plus habere.* Ex quibus concessionibus non conficitur hoc: *Pauperes igitur estis;* conficeretur autem, si tibi primo quoque hoc concessissem: *Qui pecuniam maiorem vellet habere, eum pecuniam non habere.* »

Saepe autem oblitum putant, quid concesseris, et idcirco id, quod non conficitur, quasi conficiatur, in conclusione infertur, hoc modo: « Si ad illum hereditas veniebat, verisimile est, ab illo necatum. » Deinde hoc approbant plurimis verbis. Post assumunt: *Ad illum autem hereditas veniebat.* Deinde infertur: *Ille igitur occidit;* id quod ex iis, quae sumserant, non conficitur. Quare observare diligenter oportet, et quid sumatur, et quid ex his conficiatur.

49. *Ipsum* autem *genus argumentationis*, vitiosum

Ab illo necatum) Sic MSS. Oud. omnes. Vulg. *ab illo esse necatum.*

Id quod ex iis) Vulg. *id ex iis.* In MSS. Oudend. et ed. Omnib. *idque ex iis*, unde recte Oudend. collegit, scribendum esse *id quod ex iis.*

Quum te expetebant etc.) Verba Atrei ad Thyestem, ex Ennio in tragoedia Thyeste. Aut levis, aut nulla est defensio. Omnes te suffragiis adiuvabant: mea opera non erat adeo utilis: te deserui. PRVSR.

bis de causis ostendetur, si aut in ipso vitium erit, aut si non ad id, quod instituitur, accommodabitur. Atque *in ipso vitium* erit, si omnino totum falsum erit, si commune, si vulgare, si leve, si remotum, si mala definitio, si controversum, si perspicuum, si non concessum, si turpe, si offensum, si contrarium, si inconstans, si adversum. *Falsum* est, in quo perspicue mendacium est, hoc modo: « Non potest esse sapiens, qui pecuniam negligit. Socrates autem pecuniam negligebat. Non igitur sapiens erat. » *Commune* est, quod nihilo magis ab adversariis, quam a nobis facit, hoc modo: *Idcirco, iudices, quia veram causam habebam, brevi peroravi. Vulgare* est, quod in aliam quoque rem non probabilem, si nunc concessum sit, transferri possit, hoc modo: *Si veram causam non haberet, vobis se, iudices, non commisisset. Leve* est, quod aut post tempus dicitur hoc modo: *Si in mentem venisset, non commisisset*; aut si perspicue rem turpem levi tegere vult defensione, hoc modo:

Quum te expetebant omnes, florentissimo
Regno reliqui: nunc desertum ab omnibus,
Summo periclo, sola ut restituam, paro.

Remotum est, quod ultra quam satis est, petitur, hoc modo: « Quod si non P. Scipio Corneliam filiam Ti. Graccho collocasset, atque ex ea duos Gracchos procreasset, tantae seditiones natae non essent. Quare hoc incommodum Scipioni adscribendum videtur. » Huiusmodi est illa quoque conquestio:

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa accidisset abiegna ad terram trabes!

Vtinam ne in nemore etc.) Versus ex Ennii Medea. Vide longiorem ῥῆσιν, lib. II ad Herenn. cap. 22. OLIV.

Caesa accidisset). Vulg. *caesa cecidisset*. Sed audiamus Oudendorpium. « MSS. nec omnes et ed. Omnib. *caesae cecidissent ad terram trabes*. Nisi quod in Voss. c. Schol. sit *concidissent*. Mihi certum est, tam hic, quam lib. II ad Herenn. c. 22, et in Topicis c. 16, ac lib. III de N. Deor. c. 30, de Fato c. 15, restitui debere *caesa accidisset abiegna*. Di-

Longius enim repetita est, quam res postulabat. *Mala definitio* est, quum aut communia describit hoc modo: *Seditiosus est is, qui malus atque inutilis est civis;* (nam hoc non magis seditiosi, quam ambitiosi, quam calumniatoris, quam alicuius improbi hominis vim describit); aut falsum quiddam dicit, hoc pacto: *Sapientia est pecuniae quaerendae intelligentia*; aut aliquid non grave, nec magnum continens, sic: *Stultitia est immensae gloriae cupiditas.* Est haec quidem stultitia, sed ex parte quadam, non ex omni genere, definita. *Controversum* est, in quo ad dubium demonstrandum dubia causa affertur, hoc modo:

Eho tu, dii, quibus est potestas motus superum atque inferum,
Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.

Perspicuum est, de quo non est controversia, ut si quis, quum Orestem accuset, planum faciat, ab eo matrem esse occisam. *Non concessum* est, quum id, quod augetur, in controversia est, ut, si quis, quum Vlyssem accuset, in hoc maxime commoretur: Indignum esse, ab homine ignavissimo virum fortissimum, Aiacem, necatum. *Turpe* est, quod aut eo loco, in quo dicitur, aut eo homine, qui dicit, aut eo tempore, quo dicitur, aut iis, qui audiunt, aut ea re, qua de agitur, indignum, propter inhonestatem, videtur. *Offensum*

serte enim in optimis Topicorum membranis Vossianis inveni: *Nisi enim accidissent abiegnae ad terram trabes.* Vt Davisius in suis, sic ego vidi in tribus membranis Leidd. de Nat. Deor. nec non in uno Voss. de Fato *caesae accidissent.* Veram lectionem ante Davisium ad loc. de Nat. Deor. iam vidit Gifanius ad Lucret. IV, 216, quamquam ibi rectius c. MSS. legas *in terram*, uti docuit Nic. Heins. ad Ovid. Fast. V, 360, *accidere in menses.*

Dubia causa affertur) *Dubium affertur* cod. Voss. c. Schol. haud improbante Oudend. — *Dubia causa affertur.* Argumentatio: Mihi succensere non debes: nam ut Dii inter se conveniunt, ita neque inter nos dissidium esse deceat. Rem dubiam confirmaturus, adducit rem maxime dubiam; Deorum scilicet concordiam. Versus Ennii sunt, ex Euripidis Chresphonte. MVRET.

Propter inhonestatem) Ita correxi vulg. *propter inhonestam rem*; non

est, quod eorum, qui audiunt, voluntatem laedit; ut si quis apud equites romanos, cupidos iudicandi, Caepionis legem iudiciariam laudet. *Contrarium* est, quod contra ea dicitur, quae ii, qui audiunt, fecerunt; ut, si quis apud Alexandrum Macedonem contra aliquem urbis expugnatorem diceret, nihil esse crudelius, quam urbes diruere, quum ipse Alexander Thebas diruisset. *Inconstans* est, quod ab eodem de eadem re diverse dicitur; ut, si quis, quum dixerit, qui virtutem habeat, eum nullius rei ad bene vivendum indigere, neget postea sine bona valetudine posse bene vivere; aut se amico adesse propter benevolentiam aiat; sperare tamen aliquid commodi ad se perventurum. *Adversum* est, quod ipsi causae aliqua ex parte officit; ut si quis hostium vim et copias et felicitatem augeat, quum ad pugnandum milites adhortetur.

50. *Si non ad id, quod instituitur*, accommodabitur aliqua pars argumentationis, horum aliquo in vitio reperietur; si plura pollicitus pauciora demonstrabit; aut si, quum totum debebit ostendere, de parte aliqua loquetur, hoc modo: *Mulierum genus avarum est; nam Eriphyle auro viri vitam vendidit;* aut, si non id, quod accusabitur, defendet; ut, si quis, quum ambitus accusetur, manu se fortem esse defendat, ut

enim commode dicitur *aut ea re — indignum propter inhonestam rem.*

Caepionis legem iudiciariam) Codd. Voss. 1, Leid. 2, 3 dant: *Caepionis legem agrariam.* Male. Agitur enim de lege iudiciaria Q. Servilii Caepionis a. V. c. 647 lata, qua iudicia cum Senatu et Equitibus communicabantur, quae lege Sempronia ad Equites a Senatu fuerant translata.

Aut se amico adesse propter benevolentiam aiat; sperare tamen aliquid commodi ad se perventurum) Vulgo abest *aiat*, ut vacillet constructio verborum. In MS. Guelf. 1 *est aut sperare*, quod forsan ex *aiat*, *sperare* ortum sit. Pro *tamen*, quod est in multis MSS. et edd. pr. Aldus male dedit *enim*, quod multi postea receperunt.

Accusetur — defendat) Male hic futurum tempus repetitur: *accusabitur — defendet.* Semper enim in exemplis, quae locis argumentorum vitiosis subiciuntur, coniunctivus praesentis excipit futurum indicativi.

Amphion apud Euripidem, item apud Pacuvium, qui, vituperata musica, sapientiam laudat; aut si res ex hominis vitio vituperabitur, ut, si quis doctrinam ex alicuius docti vitiis reprehendat; aut, si quis, quum aliquem volet laudare, de felicitate eius, non de virtute dicet; aut, si quis rem cum re ita comparabit, ut alteram se non putet laudare, nisi alteram vituperarit; aut si alteram ita laudabit, ut alterius non faciat mentionem; aut si quum de certa re quaeretur, de communi instituetur oratio; ut, si quis, quum aliqui deliberent, bellum gerant, an non, pacem laudet omnino, non illud bellum inutile esse demonstret; aut, si ratio alicuius rei reddetur falsa, hoc modo; *Pecunia bonum est, propterea quod ea maxime vitam beatam efficit;* aut si infirma, ut Plautus:

Sic postea: «aut si, quum de certa re *quaeretur*, de communi *instituetur* oratio; ut si quis, quum aliqui *deliberent — demonstrent.* »

Vt Amphion apud Euripidem) Adducit similitudinem. Non enim Amphion apud Euripidem accusatum de ambitu, manu se fortem esse defendit. Sed Amphion apud Euripidem in tragoedia, quae non exstat, et ap. Pacuvium, quum sermonem de Musica cum Zetho instituisset, non in eo, quod coeperat, desinit, sed ipsorum disputatio in sapientiae laudem consumitur. Quod autem Zethus cum Amphionis fratre apud Euripidem de Musica disputet, Athenaeus testis est, lib. VIII. Huc fortasse spectant Horatiani versus, Epist. 18, lib. I ad Lollium 41. NASCIMB. Distingue igitur sic, *apud Pacuvium : qui* ..... ut referas τὸ *qui*, non ad Pacuvium, sed ad Amphionem. OLIV.

Reprehendat) H. l. iterum recte praesens coniunctivi ponitur, non, ut Lambinus edidit, *reprehendet*.

Non de virtute dicet — alteram ita laudabit) Hic recte Lambinus futurum tempus adhibuit, quod consecutio membrorum, ut posteriora prioribus congruant, necessario postulat. Vulg. *dicat — laudet.* Ceterum in prioribus edd. memorabili vitio transposita erant verba, *aut si — de communi instituetur oratio*, post verba *: ut si quis quum — inutile esse demonstret.* Primus correxit Ian. Gulielmus e MSS. it. Gruter. e codd. Pall.

Bellum gerant) Sic Ernesti auctoritate MSS. Gu. 1, 2, Cass. rescripsit ut sententiae convenientius. Vulg. *bellum geratur.*

Efficit) Indicativum recte Ernesti praetulit coniunctivo *efficiat*, qui est in edd. Non enim est obliqua oratio, et pronuntiatur sine dubitatione.

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune est facinus; verum in aetate utile
Et conducibile; nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commerita noxia,
Invitus, ni me id invitet ut faciam fides.

aut eadem, hoc modo: *Maximum malum est avaritia; multos enim magis incommodis afficit pecuniae cupiditas*: aut parum idonea, hoc modo: *Maximum bonum est amicitia; plurimae enim delectationes sunt in amicitia.*

51. Quartus modus erat reprehensionis, per quem *contra firmam* argumentationem, *aeque firma* aut *firmior* ponitur. Hoc genus in deliberationibus maxime versatur, quum aliquid, quod contra dicatur, aequum esse concedimus; sed id, quod nos defendamus, necessarium esse demonstramus; aut quum id, quod illi defendant, utile esse fatemur; quod nos dicamus, demonstramus esse honestum. Ac de reprehensione haec quidem existimavimus esse dicenda.

52. Hermagoras *degressionem* deinde, tum postre-

Amicum castigare etc.) In Trinumo Act. I, scen. 1, vs. 1. Vid. quae ad hunc Plauti locum disputat Bothe V. C. tom. IV edit. nostrae. Ed. Tavr.

Afficit) Praeteritum *affecit* habent MSS. Oudend. Cass. ed. pr., quod Ernesti recepit, quia ab experientia sumatur argumentum. Quasi non ab eadem experientia sumatur, si quis dicat *multos afficit*. Sed quoniam h. l. exemplum affertur argumenti, quo idem per idem demonstratur, praesens tempus, ut in sequente exemplo rationis parum idoneae, aptius est.

Ponitur) Ita Victorin. cod. Voss. e. Schol. ed. Omnib. Vulg. *ponebatur*. Sed hic praesens tempus requiritur, etsi praecedit *erat*. Is modus, per quem — *ponitur*, in partitione nostra quartus *erat* modus. Neque vero est, quod *erit* rescribamus, ut Oudendorpio placebat.

Versatur — defendamus — fatemur — demonstramus esse honestum) Sic optime occurri potest modorum inconstantiae, quum in multis legatur: *versabitur — defendimus — fateamur — demonstremus esse honestum.*

Existimavimus esse dicenda) Quae hic in edd. annectuntur: *deinceps nunc de conclusione ponemus*, manifesto spuria sunt. Nam antequam hac transitionis formula uti posset auctor, quae recte in fine cap. 52 ponitur, de *degressione* ex Hermagorae sententia agendum erat. Itaque illa eiecimus iam Oudendorpio suspecta.

Degressionem) Ita cum Lambino et Ernestio scribendum duximus, et

mam *conclusionem* ponit. In hac autem degressione ille putat oportere quandam inferri orationem, a causa, atque a iudicatione ipsa remotam, quae aut sui laudem, aut adversarii vituperationem contineat, aut in aliam causam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis, aut reprehensionis, non argumentando, sed augendo per quandam amplificationem. Hanc si quis partem putarit orationis, sequatur Hermagoram licebit. Nam et augendi et laudandi et vituperandi praecepta a nobis partim data sunt, partim suo loco dabuntur. Nobis autem non placet, hanc partem in numero reponi, quod de causa degredi, nisi per locum communem, displicet; quo de genere posterius est dicendum. Laudes autem et vituperationes non separatim placet tractari, sed in ipsis argumentationibus esse implicitas. Nunc igitur de conclusione dicemus.

53. *Conclusio* est exitus et determinatio totius orationis. Haec habet partes tres, enumerationem, indignationem, conquestionem. *Enumeratio* est, per quam res disperse et diffuse dictae, unum in locum

paulo post *degredi*; memores eorum, quae Dukerus ad Florum, et Graevius de differentia verborum *degredi* et *digredi* observarunt.

Hermagoram licebit) *Hermagoram* abest a codd. Oudend. et edit. Omnib. Non tamen omittendum arbitror, ne fiat sententia ambigua; *licebit* autem sic intelligendum, *q. d. per nos licebit.* Sic apparet, quomodo sequentia his iungantur: *Nam et augendi* etc. Scilicet significat Cicero, si quis velit Hermagoram sequi, in se nullam esse moram, nam quae sint augendi, laudandi, vituperandi praecepta, ea se partim dedisse, partim suo loco daturum esse.

Nobis autem non placet) In MSS. Oudend. et ed. Omnib. legitur *n. a. n. placuit*, quod recte improbavit Ernesti. Si Cicero scripsisset *placuit*, debuisset etiam scribere, non *reponi*, sed *reponere.*

Nisi per locum communem) Locus communis hic significat orationis particulam, aut etiam oratiunculam, quae habetur de virtutibus, aut in vitia, personis non nominatis, et pertinet ad quoddam Rhetorices *progymnasma*, quod Hermogeni sextum est. CAPPER.

Nunc igitur) *Igitur* inseruimus, quod ex consuetudine Ciceroniana in huiusmodi transitionibus vix abesse potest.

coguntur, et reminiscendi causa, unum sub aspectum subiiciuntur. Haec si semper eodem modo tractabitur, perspicue ab omnibus artificio quodam tractari intelligetur; sin varie, et hanc suspicionem, et satietatem vitare poterit. Quare tum oportebit ita facere, ut plerique faciunt propter facilitatem, singillatim unamquamque rem attingere, et ita omnes transire breviter argumentationes: tum autem, id quod difficilius est, dicere, quas partes exposueris in partitione, de quibus te pollicitus sis dicturum, et reducere in memoriam, quibus rationibus unamquamque partem confirmaris; tum ab iis, qui audiunt, quaerere, quid sit, quod sibi velint amplius demonstrari.

Sin varie) *Fiet* vulgo additum recidimus, quod iam Omnibonus fecerat.

Ita facere) Haec verba spuria nobis videntur.

Quare tum oportebit — singillatim unamquamque rem attingere) Vt planius intelligatur, quid sit, quo hic primus enumerationis modus a secundo differat, comparandus est locus ad Herenn. II, 30: « Item curandum est, ne aut ab exordio, aut a narratione repetatur orationis enumeratio. Facta enim et dedita opera comparata oratio videbitur esse, aut artificii significandi, aut ingenii venditandi, aut memoriae ostentandae causa. Quapropter initium enumerationis sumendum est a divisione, deinde ordine breviter exponendae sunt res, quae tractatae erant in confirmatione et confutatione. » Itaque primo loco Cicero eum enumerationis modum, quo omnia singillatim repetuntur, altero eum, quo per capita itur, et ad partitionem omnia referuntur, exponit.

Omnes transire breviter argumentationes) Vbi nota specialem verbi τοῦ *transire* significatum. Graeci dicerent διέρχεσθαι, διεξοδεύειν, μετέρχεσθαι, διεξιέναι, id est, *dicendo percurrere*. Eodem sensu dixit Tullius pro Rosc. Amer. cap. 32: *Sed in animo est leviter transire ac tantummodo perstringere unamquamque rem.* CAPPER.

Autem, id quod difficilius est) Vulgo male interpungitur: *autem id, quod difficilius est.*

Quid sit, quod sibi velint amplius demonstrari) Vulgo: *quid sit, quod sibi velle debeant demonstrari.* Recte hoc admodum contortum indicat Oudendorpius. Quod reposuimus, et aptum est ad sensum, et simili loco sub finem huius capitis respondet, ubi dicitur: *Quidnam amplius desideratis iudices*; denique Victorini paraphrasi confirmatur, qui h. l. sic reddidit: *quid amplius velint cognoscere.* Sed post verba *quaerere — demonstrari* in edd. adiicitur: *hoc modo: Illud docuimus, illud planum fecimus;* in quo se manifesto glossatoris manus prodit. Cicero enim quaerendum esse

Ita simul et in memoriam redibit auditor, et putabit nihil esse praeterea, quod debeat desiderare. Atque in his generibus (ut ante dictum est) tum tuas argumentationes transire separatim, tum, id quod artificiosius est, cum tuis contrarias coniungere; et quum tuam argumentationem dixeris, tum, contra eam quod afferebatur, quemadmodum dilueris, ostendere. Ita per brevem comparationem auditoris memoria et de confirmatione, et de reprehensione redintegrabitur. Atque haec aliis dictionis quoque modis variare oportebit. Nam quum ex tua persona enumerare possis, ut, quid, et quo quidque loco dixeris, admoneas; tum vero personam, aut rem aliquam inducere, et enumerationem ei totam attribuere. *Personam* hoc modo: « Nam si legis scriptor exsistat, et quaerat a vobis, quid dubitetis; quid possitis dicere, quum vobis hoc et hoc sit demonstratum. » Atque hic, item ut in nostra persona, licebit alias singillatim transire omnes argumentationes; alias ad partitiones singula genera referre; alias ab auditore, quid desideret, quaerere; alias haec facere per comparationem suarum et contrariarum argumentationum. Res autem inducetur, si legi, loco, urbi, monumento aut alicui rei huiusmodi

dixerat ab iis, qui audirent, quid esset, quod sibi amplius vellent demonstrari; quomodo igitur quadrabat, exemplum non quaestionis, sed enuntiationis ponere?

Tum, id quod) Iterum vitiosa editiones plurimas insedit interpunctio, *tum id, quod* —.

Dictionis quoque modis) Vulgo: *actionis quoque modis*. Verum de actione hic non agitur. Itaque spero, me correctionem istam intelligentibus probaturum. Cf. ad Herennium IV, c. 45.

Personam aut rem aliquam inducere) Idque per eam sententiarum figuram, cui nomen *Prosopopoeia*. Capper.

Si legi, loco, urbi, monumento aut alicui rei huiusmodi) Vulgo edebatur: *Res autem inducetur, si alicui rei huiusmodi legi, loco, urbi, monumento*. Transpositioni nostrae et Victorinus favet, nec repugnat structurae elegantia. Nam nemini placere potest ita dictum: *res inducetur, si alicui rei* —.

attribuetur oratio per enumerationem, hoc modo: « Quid si leges loqui possent? nonne haec apud vos querentur? Quidnam amplius desideratis, iudices, quum vobis hoc et hoc planum factum sit? » In hoc quoque genere omnibus eisdem modis uti licebit. Commune autem praeceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non potest, id eligatur, quod erit gravissimum, et unumquodque quam brevissime transeatur; ut memoria, non oratio renovata videatur.

54. *Indignatio* est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offensio concitetur. In hoc genere illud primum intelligi volumus, posse omnibus ex locis iis, quos in confirmandi praeceptis posuimus, tractari indignationem. Nam ex iis rebus, quae personis et quae negotiis attributae sunt, quaevis amplificationes nasci possunt; sed tamen ea, quae separatim de indi-

In hoc quoque genere omnibus eisdem modis uti licebit) Errat Purgoldus, quum legendum opinatur: *in hoc quoque genere non omnibus eisdem modis uti licebit.* Nempe putabat, h. l. referri ad initium huius capitis, ubi negatur, enumerationem semper eodem modo tractari oportere. Verum hic locus de *re inducenda* respicit illum proxime antecedentem de *persona inducenda*, et in hoc quidem omnes illos modos adhiberi posse dicitur, ut *alias* ad partitiones singula genera referantur, *alias* ab auditore, quid desideret, quaeratur etc.

Et unumquodque quam brevissime transeatur; ut memoria, non oratio renovata videatur) Sic Quintilian. VI, 1, ubi ipse quoque de enumeratione agit: « In hac, quae repetemus, quam brevissime dicenda sunt, et quod graeco verbo (ἀνακεφαλαίωσις) patet, decurrendum per capita. Nam si morabimur, non iam enumeratio, sed altera fiet oratio.

Et quae negotiis) Recepimus hoc e cod. Voss. c. Schol. Oudendorpio probatum. Leid. 3, habet *aut quae.* Et sic etiam cod. Fulv. Vrsini. Edd. *atque.*

Quaevis amplificationes) Vulgo additur et *indignationes*, quod recte iam omisit edit. Omniboni. Nam hic tantum requiritur vocabulum generis, *amplificationis*, cui subiecta est ut species *indignatio*; quum igitur dicitur *quaevis amplificationes*, non debet apponi et *indignationes*.

gnatione praecipi possunt, consideremus. Primus locus sumitur ab auctoritate, quum commemoramus, quantae curae res ea fuerit diis immortalibus, aut eis, quorum auctoritas gravissima debeat esse. Qui locus sumetur ex sortibus, oraculis, vatibus, ostentis, prodigiis, responsis, et similibus rebus; item ex maioribus nostris, regibus, civitatibus, gentibus, hominibus sapientissimis, senatu, populo, legum scriptoribus. Secundus locus est, per quem, illa res ad quos pertineat, cum amplificatione, per indignationem, ostenditur, an ad omnes, aut ad maiorem partem, quod atrocissimum est; an ad superiores, quales sunt ii, quorum ex auctoritate indignatio sumitur, quod indignissimum; an ad pares animo, fortuna, corpore, quod iniquissimum est; an ad inferiores, quod superbissimum. Tertius locus est, per quem quaerimus, quidnam sit eventurum, si idem ceteri faciant: et simul ostendimus, huic si concessum sit, multos aemulos eiusdem audaciae futuros; ex quo, quid mali sit eventurum, demonstrabimus. Quartus locus est, per quem demonstramus, multos alacres exspectare, quid statuatur, ut ex eo, quod uni concessum sit, sibi

Oraculis) Vulg. *ex oraculis*. Praepositionem ut h. l. superfluam delevi.

An ad omnes — an ad superiores — an ad pares — an ad inferiores) Cod. Voss. c. Schol. a m. pr. item Voss. 1, 2, cum edit. Omnib. hic quater pro particula *an* praebent *aut*. Id probavit Oudend., non enim *quaeri*, ad quos pertineat, sed *ostendi*, ad quos pertineat. Sed haec vana est subtilitas, quae Ernestio quoque illusit. Nam si dicitur aliquis ostendere, ad quos pertineat aliquid, in hoc *ostendendi* verbo simul notio *quaerendi* includitur. Et vero *an* h. l. scriptum esse a Cicerone, similis locus, quem hic sequutus est, in lib. ad Herenn. II, c. 30, evincit, ubi auctor ille: « Secundus locus est, inquit, quum consideramus, illae res, de quibus criminamur, ad quos pertineant, utrum ad omnes, quod atrocissimum est, an ad superiores, — an ad pares, — an ad inferiores — ». Ceterum in hoc inciso, *an ad omnes aut ad maiorem partem* retinui *aut*, quia hic in verbis *ad maiorem partem*, non novum interrogandi membrum continetur, sed primum tantum restringitur; *aut* enim hic idem vale, quod alias *aut certe*.

quoque tali de re quid liceat, intelligere possint. Quintus locus est, per quem ostendimus, ceteras res perperam constitutas, intellecta veritate, commutari aut corrigi posse; hanc esse rem, quae si sit semel iudicata, neque alio commutari iudicio, neque ulla potestate corrigi possit. Sextus locus est, per quem consulto et de industria factum esse demonstratur, et illud adiungitur, voluntario maleficio veniam dari non oportere; imprudentiae concedi nonnunquam convenire. Septimus locus est, per quem indignamur, quod tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum facinus

Commutari aut corrigi) Sic emendandum duxi vulg. *commutatas corrigi*, quod sensum nec per se satis aptum praebet, nec sequentibus verbis: *neque ullo commutari iudicio* — *neque ulla potestate corrigi* — accurate respondet. Oudendorpio prorsus delendum videbatur *commutatas*, et abest in cod. Voss. c. Schol. a m. pr. Sed *commutare* est rei alicui prorsus sublatae aliam substituere, *corrigere* est rem vitiosam servare quidem, sed ita, ut vitia emendes. Itaque utrumque h. l. requiritur.

Voluntario — oportere; imprudentiae — convenire) Ernestio haec membra videbantur transponenda: *imprudentiae concedi nonnunquam convenire, voluntario maleficio veniam dari non oportere.* Tenemus tamen ordinem vulgatum, quia sic est in loco simili ad Herenn. II, 30, quem Cicero imitatus est: « voluntario facinori nullam excusationem, imprudentiae iustam deprecationem paratam. »

Concedi) Recte Ernesti hoc servavit, etsi Oudendorpio, quia in Leid. 1 non comparet, paene videbatur eximendum esse.

Per quem indignamur, quod tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum facinus esse dicamus, factum esse per vim, manum, opulentiam) In plerisque edd. legitur: *per quem indignamur, quod tetrum, crudele, tyrannicum factum esse dicamus, per vim, per manum opulentam.* At in hac lectione primum hoc ineptum est, quod indignatio videatur ad id, quod ab oratore dicatur, non ad id, quod factum sit, pertinere; nam si dicitur *indignamur, quod dicamus*, hoc idem est, ac *indignamur nos dicere*; sicut infra: *indignamur, quod nobis hoc primum acciderit*, idem valet, ac: *indignamur nobis accidisse.* Vocabulum *facinus* h. l. adhibitum esse, colligitur e loco simili ad Herenn. II, 30: *Septimus locus est, quo ostendemus tetrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum esse.* Lectio *manum opulentam* iam Ernestium aliosque male habuit. Sed in edd. vett. et cod. Palat., teste Grutero, est *manum, opulentiam.* Recte. Nam potest crudele facinus astu ac dolo perpetrari; potest item per *vim*, h. e. unius hominis, per *manum*, scil. armatam multorum, per *opulentiam*, h. e. abusu potentiae per opes acquisitae. Ceterum Purgoldus coniiciebat: *per manum opulentium.*

esse dicamus, factum esse per vim, manum, opulentiam, quae res ab legibus et ab aequabili iure remotissima sit. Octavus locus est, per quem demonstramus, non vulgare, neque factitatum esse, ne ab audacissimis quidem hominibus, id maleficium, de quo agitur; atque id a feris quoque hominibus, et a barbaris gentibus, et immanibus bestiis remotum esse. Haec erunt, quae in parentes, liberos, coniuges, consanguineos, supplices, crudeliter facta dicentur; et deinceps si qua proferantur in maiores natu, in hospites, in vicinos, in amicos, in eos, quibuscum vitam egeris, in eos, apud quos educatus sis, in eos, a quibus eruditus, in mortuos, in miseros et misericordia dignos, in homines claros, nobiles et honore usos, in eos, qui neque laedere alium, nec se defendere potuerint, ut in pueros, senes, mulieres: quibus ex omnibus acriter excitata indignatio, summum in eum, qui horum aliquem violarit, odium commovere poterit. Nonus locus est, per quem cum aliis, quae constat esse peccata, hoc, quo de quaestio est, comparatur; et ita per contentionem, quanto atrocius et indignius sit illud, quo de agitur, ostenditur. Decimus locus est, per quem omnia, quae in negotio gerendo acta sunt, quaeque post negotium consequuta sunt, cum uniuscuiusque indignatione et criminatione colligimus, et rem verbis quam maxime ante oculos eius, apud quem dicitur, ponimus, ut id, quod indignum est, perinde illi videatur indignum, ac si ipse interfuerit, ac praesens viderit. Vndecimus locus est, per quem ostendimus, ab eo factum, a quo minime oportuerit, et a quo, si alius faceret, prohiberi conveniret. Duode-

Quibus ex omnibus) Praepositionem inseruimus e codd. Voss. 1, Leid. 2, ed. Omnib.

Horum aliquem violarit) Lectio cod. Voss. c. Schol. ab Oudendorpio probata. Et est sane aptior iis, quae antecedunt, quam vulgata: *violarit horum aliquid.*

cimus locus est, per quem indignamur, quod nobis hoc primis acciderit, nec alicui unquam usu venerit. Tertiusdecimus locus est, si cum iniuria contumelia iuncta demonstratur, per quem locum in superbiam et arrogantiam odium concitatur. Quartusdecimus locus est, per quem petimus ab iis, qui audiunt, ut ad suas res nostras iniurias referant; si ad pueros pertinebit, de liberis suis cogitent; si ad mulieres, de uxoribus; si ad senes, de patribus aut parentibus. Quintusdecimus locus est, per quem dicimus, inimicis quoque et hostibus ea, quae nobis acciderint, indigna videri solere. Et indignatio quidem his fere de locis gravissime sumetur.

55. *Conquestio* est oratio, auditorum misericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet, quo facilius conquestione commoveri possit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos fortunae vis in omnes, et hominum infirmitas ostenditur; qua oratione habita graviter et sententiose, maxime demittitur animus hominum, et ad misericordiam comparatur; quum in alieno malo suam infirmitatem considerabit. Deinde primus locus est misericordiae, per quem, rei quibus in bonis fuerint, et nunc quibus in malis sint, ostenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur, per quem, quibus in malis fuerint, et sint, et futuri sint, demonstratur. Tertius, per quem unumquodque deploratur incommodum, ut in morte filii, pueritiae delectatio, amor, spes,

Conquestio est oratio) Ante haec verba vulgo ponuntur ista: *Conquestionis autem huiusmodi de rebus partes petere oportebit.* Sed haec inepte interrumpunt orationis filum. Non enim statim sequuntur loci misericordiae captandae; sed primum definitio ponitur conquestionis. Itaque istam laciniam, utpote a glossatore forte assutam, resecuimus.

Per quem, rei) *Rei* inseruimus, ne subiecto careat haec sententia, et quae proxime sequuntur.

solatium, educatio, et si qua simili in genere quolibet incommoda per conquestionem dici poterunt. Quartus, per quem res turpes et humiles et illiberales proferentur, et indignae aetate, genere, fortuna, pristino honore, beneficiis; quas passi perpessurive sint. Quintus, per quem omnia ante oculos singillatim incommoda ponentur, ut videatur is, qui audit, videre, et re quoque ipsa, quasi adsit, non verbis solum, ad misericordiam ducatur. Sextus, per quem aliquis praeter spem in miseriis demonstratur esse; et, quum boni aliquid exspectaret, non modo id non adeptus esse, sed in summas miserias incidisse. Septimus, per quem ad ipsos, qui audiunt, similem casum convertimus, et petimus, ut de suis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis carus debeat esse, nos quum videant, recordentur. Octavus, per quem aliquid dicitur esse factum, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit, hoc modo: *Non affui, non vidi, non postremam eius vocem audivi, non extremum spiritum excepi.* Item: *Inimicorum in manibus mortuus est, hostili in terra turpiter iacuit insepultus, a feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit.* Nonus, per quem oratio ad mutas res et expertes animi refertur: ut si ad

Et, si qua simili in genere quolibet incommoda, per conquestionem dici poterunt) Ita constituimus locum vulgo minus concinne sic exaratum: *et si qua simili in genere, quolibet de incommodo per conquestionem dici poterunt.* Nempe verba *per conquestionem dici poterunt* apodosin faciunt sententiae *si qua — incommoda*, ubi subintelligendum *sunt.*

Aliquis praeter spem in miseriis demonstratur) Quum hic transitus fiat e plurali numero in prioribus misericordiae locis usurpato ad singularem, constructionis fulciendae causa pronomen *aliquis* inseruimus. Sic postea non est, quod *exspectaret* in *exspectares* mutetur, quod Purgoldo in mentem venit.

Et, quum boni aliquid exspectaret) Oppositionis vis postulabat, ut *boni aliquid* scriberemus, etsi *boni* in codd. et edd. omissum est.

Non extremum spiritum) Ita edidit Lambinus; melius, quam vulgo: *non extremum eius spiritum.*

Mutas res et expertes animi) Ordinem verborum concinniorem prae-

equum, domum, vestem, sermonem alicuius accommodes, quibus animus eorum, qui audiunt et aliquem dilexerunt, vehementer commovetur. Decimus, per quem inopia, infirmitas, solitudo demonstratur. Vndecimus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut sui corporis sepeliendi, aut alicuius eiusmodi rei commendatio fit. Duodecimus, per quem disiunctio deploratur ab aliquo, quum diducaris ab eo, quicum libentissime vixeris, ut a parente, filio, fratre, familiari. Tertiusdecimus, per quem cum indignatione conquerimur, quod ab iis, a quibus minime conveniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus benefecerimus; quos adiutores fore putaverimus, aut, a quibus indignum sit, servis, libertis, clientibus, supplicibus. Quartusdecimus, qui per obsecrationem sumitur: in quo orantur modo illi, qui audiunt, humili et supplici oratione, ut misereantur. Quintusdecimus, per quem non nostras, sed eorum, qui cari nobis debent esse, fortunas conqueri nos demonstramus. Sextusdecimus, per quem animum nostrum in alios misericordem esse ostendimus; et tamen amplum et excelsum et patientem incommodorum esse, et futurum esse, si quid acciderit, demonstramus. Nam saepe virtus et magnificentia, in quo gravitas et auctoritas est, plus proficit ad misericordiam commovendam, quam humilitas et obsecratio.

bent MSS. Ox. ω, 1. Vulg. *mutas et expertes animi res.*

A quibus indignum sit, servis) In edd. est *indignum est, ut servis.* Sed recte commendavit Oudend. lectionem Voss. 2, quam recepimus.

Sextusdecimus) Vulgo hic et supra post *Quintus* additur *est*, quod auctoritate codd. Oudend. delevimus.

Patientem incommodorum) *Incommodorum* suspectum est Oudendorpio, cuius a codd. abest, praeter unum, ubi in margine legitur. Est tamen etiam in loco simili ap. a. ad Herenn. II, 31.

In quo gravitas) Optime monuit Oudend. ut hanc MSS. omnium, quos viderat, lectionem vulgatae *in qua* praeferremus; *in quo* nimirum est *in quo homine.*

Commotis autem animis, diutius in conquestione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, lacryma nihil citius arescit.

56. Sed quoniam et satis videmur de omnibus partibus orationis dixisse, et huius voluminis magnitudo longius processit; quae sequuntur, deinceps in secundo libro dicemus.

RHETORICORVM LIBRI I FINIS

M. TVLLII
CICERONIS
RHETORICORVM
LIBER SECVNDVS

SVMMARIVM

Prooemium ducitur a consilio Zeuxis Heracleotae, quo in pingendo Crotoniatis Helenae simulacro usus erat, ut e quinque formosissimis virginibus, quae venustissima essent, in imaginem suam transferret, cui quidem consilio ratio auctoris comparatur, quippe qui omnibus in unum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere visus esset, excerpendum putarit, ita tamen, ut de suo quoque nonnihil in commune conferret. Cap. 1--3.

Sequitur locorum confirmandi et reprehendendi in singula genera causarum expositio.

Ac primum quidem Cicero de iudiciali genere agit, in quo proficiscitur a coniecturali constitutione Cap. 4, *cuius exemplo proposito exponit locos, quorum pars aliqua coniecturalem incidit controversiam.* Cap. 5 seqq. *Coniectura autem capitur* 1. ex causa, *quae distribuitur in* impulsionem *et* ratiocinationem; *ad utramque et accusatoris* Cap. 6 7, *et defensoris* Cap. 8 *loci exponuntur;* 2. ex persona, *cuius coniecturae argumentis breviter repetitis* Cap. 9, *quomodo accusator* Cap. 10 *et defensor* Cap. 11 *utatur, docet;* 3. *ex* facto, *ubi suspiciones ducuntur partim ex negotio separatim, in quo spectantur, quae sint cum eo continentia, quid in gestione ipsa negotii occurrat,*

quid sit adiunctum, et quae consequantur, Cap. 12, *partim communiter ex personis atque negotio. Postea docet auctor hic nec facile esse nec necessarium distinguere, ut in superioribus partibus, quo pacto quidque accusatorem, et quomodo defensorem tractare oporteat,* Cap. 14; *exponitque locos communes, qui in coniecturalem constitutionem incidere soleant.* Cap. 15, 16.

Secundo loco de nominis controversia sive constitutione definitiva agit; cuius exemplum ponit Cap. 17, *et qui sint accusatoris et defensoris loci,* Cap. 18 *ostendit.*

Tertio constitutionem translativam pertractat, quae cur rarius in consuetudine Romana incidat, postquam demonstravit, Cap. 19, *exemplum eius proponit; et quae in hac causa ab utroque quaerenda sint, demonstrat.* Cap. 20.

Quarto accedit ad constitutionem generalem; in qua primum negotialis *exemplo proposito* Cap. 21 *et praeceptis* Cap. 22 *illustratur. Deinde* iuridicialis, *in qua aequi et iniqui natura, et praemii aut poenae ratio quaeritur, eiusque partes duae tum* absoluta Cap. 23, *tum* assumtiva. *In assumtiva primum comparationis* Cap. 24 *exemplum et loci traduntur; deinde simili modo relatio criminis,* Cap. 26–28, *tum remotio criminis, (in qua tum causa,* Cap. 29, *tum ipsa res* Cap. 30 *removetur) tum denique concessio pertractatur. Cuius duae partes sunt: primum* purgatio, *vel ex imprudentia, vel ex casu, vel ex necessitudine* Cap. 31–33, *deinde* deprecatio Cap. 34–36. *Restabat earum causarum in iuridiciali parte constitutionis generalis expositio, in quibus de praemio et poena quaeritur. Hanc subiungit auctor* Cap. 37–39, *ita tamen, ut de praemii tantum ratione agat.*

Sequitur locus de iis controversiis, quae in scripto versantur. Hic primum exponitur controversia ex ambiguo, Cap. 40, 41, *deinde ea, quae ex scripto et sententia consistit,* Cap. 42, *in quo scriptoris sententia ab eo, qui sententia se defendit, tum semper ad idem spectare demonstratur, tum aut ex facto, aut ex eventu aliquo ad tempus accommodatur. Sequuntur loci eius, qui scriptum defendit* Cap. 43–46, *et eius, qui contra scriptum dicit,* Cap. 47 *cum locis communibus utriusque* Cap. 48. *Tum controversia, quae ex contrariis legibus nascitur* Cap. 49, *et quae ex ratiocinatione* Cap. 50, *denique ea, quae ex definitione exsistit,* Cap. 51 *pertractatur.*

Hactenus de argumentationibus, quae in iudiciale genus accommodantur.

Deinceps agitur de genere deliberativo ac demonstrativo Cap. 52.

In deliberativo genere quaeritur de iis, quae honesta, quae honesta et utilia, et quae utilia sint Cap. 53. *Itaque primum de genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur* Cap. 54, *deinde de honesto, cui utilitas adiuncta est*, Cap. 55, *postremo de utilitate agitur* Cap. 56. *Et quoniam his tribus rebus attributae erant necessitudo et affectio, de necessitudine dicitur* Cap. 57, *de affectione* Cap. 58.

Ultimo loco de genere demonstrativo breviter exponitur, ita ut loci laudum et vituperationum demonstrentur Cap. 59, *totaque disputatio de inventione rhetorica finitur* Cap. 60.

I. Crotoniatae quondam, quum florerent omnibus copiis, et in Italia cum primis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxin, qui tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is et ceteras complures tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit; et, ut excellentem muliebris formae pulcritudinem muta in sese imago contineret, Helenae se pingere simulacrum velle dixit; quod Crotoniatae, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis praestare saepe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim, si, quo in genere plurimum posset, in eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano

Cum primis) *Quum in primis* multae habent edd. ut inter nuperas Lallem. et Olivet. Lambinus *cum primis* edidit e MS. idque Ernesti probavit, quia repetitio τοῦ *quum* in tali narratione admodum frigeat.

Templum Iunonis) Iunonis Laciniae templum, prope Crotonem urbem, sanctum omnibus circa populis, ex Livio lib. XXIV; Ruaeus *in* Aeneid. III, 552:

Attollit se diva Lacinia etc.

Putaverunt enim, si) Edd. vett. *putaverunt enim eum, si.* Sed *eum* abest MSS. Lambin. Grut. Oudend. et rectius abest.

relicturum. Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis illico quaesivit ab eis, quasnam virgines formosas haberent. Illi autem statim hominem deduxerunt in palaestram, atque ei pueros ostenderunt multos, magna praeditos dignitate. Etenim quodam tempore Crotoniatae multum omnibus corporum viribus et dignitatibus antesteterunt, atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt. Quum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere miraretur: *Horum*, *inquiunt illi*, *sorores sunt apud nos virgines. Quare*, *qua sint illae dignitate*, *potes ex his suspicari.* — *Praebete igitur mihi*, *quaeso*, *inquit*, *ex istis virginibus formosissimas*, *dum pingo id*, *quod pollicitus sum vobis*, *ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur.* Tum Crotoniatae, publico de consilio, virgines unum in locum conduxerunt, et pictori, quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit; quarum nomina multi poëtae memoriae tradiderunt, quod eius essent iudicio probatae, qui verissimum pulcritudinis habere iudicium debuisset. Neque enim putavit, omnia, quae quaereret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse; ideo quod nihil, simplici in genere,

Neque tum eos illa opinio fefellit) *Illa* omittit cod. Leid. 3, et profecto omittendum est, ne particula *tum* abundet, pro qua in edd. ante Ald. inepte legebatur *tamen*.

Quasnam) Lambin. conj. *ecquasnam*. Lectio vulg. tamen praeferenda, ne parum urbanus videatur pictor, si a Crotoniatis quaesivisset, *an* omnino formosas quasdam puellas haberent. Hoc vero tantum scire volebat, quaenam essent formosae.

Deduxerunt) Recte Ernesti hoc e MSS. Oudend. Cass. Guelf. et edd. pr. pro vulg. *duxerunt* recepit.

Corpora et formas) Hic verborum ordo, quem Gulielm. e cod. Grevenb. eruit, cum per se aptior est, tum ut versus hexameter evitetur in vulgari: *Quum puerorum igitur formas et corpora magno.*

Inquiunt illi) *Illi*, quod in compluribus edd. omittitur, recte repetunt MSS. Oudend. Cass. Guelf.

Tum Crotoniatae) Recte MSS. IV Oud. Vulgo *tunc*.

omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. Itaque, tanquam ceteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi, aliquo adiuncto incommodo, muneratur.

2. Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, ut artem dicendi perscriberemus, non unum aliquod proposuimus exemplum, cuius omnes partes, quocunque essent in genere, exprimendae nobis necessario viderentur; sed, omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videbatur, excerpsimus, et ex variis ingeniis excellentissima quaeque libavimus. Ex his enim, qui nomine et memoria digni sunt, nec nihil optime, nec omnia praeclarissime quisquam dicere nobis videbatur. Quapropter stultitia visa est, aut a bene inventis alicuius recedere, si quo in vitio eius offenderemur, aut ad vitia quoque eius accedere, cuius aliquo bene praecepto duceremur. Quod si in ceteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantia offenderent; non tantopere in vitiis perseverarent; aliquanto levius ex inscitia laborarent. Ac si par in nobis huius artis, atque in illo picturae, scientia fuisset, fortasse magis hoc suo in genere opus nostrum, quam

Omnibus ex partibus) Ita scribendum esse monuerunt Gronovius et Oudend. ille trium codd. hic omnium suorum auctoritate motus. Accedunt cod. Altorf. et edd. vett. Vulg. *omni ex parte*. Ceterum *simplici in genere* vere intp. Ernesti *in una eademque re, in re singulari*; nam statim sequitur, *si uni cuncta concesserit*.

Itaque) Non erat, quod Ernesti de veritate huius lectionis dubitaret. *Itaque* enim h. l. est idem ac *et ita*, ut Cic. de off. II, 20 et saepius.

Vni alicui certo) Male Lallem. *alicui uni certo*. Pro *vellent* habet edit. Omniboni *mallent*. Recte autem *vellent* ab Oudendorpio defenditur; subintelligendum nempe *potius* ante *quam*, ut alibi saepe.

Inscitia) Hoc e Leid. 3, et ed. Omnib. praeferendum vulg. *inscientia*. — Tamen in textu non recepit. Ed. T,

Opus nostrum, quam ille) Ernestio videbatur esse debere: *quam illius in suo pictura nobilis eniteret*.

ille in sua pictura nobilis eniteret. Ex maiore enim copia nobis, quam illi, fuit exemplorum eligendi potestas. Ille una ex urbe, et ex eo numero virginum, quae tum erant, eligere potuit; nobis omnium, quicunque fuerunt, ab ultimo principio huius praeceptionis usque ad hoc tempus, expositis copiis, quodcunque placeret, eligendi potestas fuit.

Ac veteres quidem scriptores artis, usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos, unum in locum conduxit Aristoteles, et nominatim cuiusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit; ac tantum inventoribus ipsis suavitate et brevitate dicendi praestitit, ut nemo illorum praecepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, qui, quod illi praecipiant, velint intelligere, ad hunc, quasi ad quendam multo commodiorem explicatorem, revertantur. Atque hic quidem ipse, et sese ipsum nobis, et eos, qui ante se fuerant, in medio posuit, ut et ceteros et seipsum per se cognosceremus; ab hoc autem qui profecti sunt, quamquam in maximis

Ac iam Lambinus dederat: *quam illius pictura nobilis eniteret.* Verum Iac. Frid. Heusinger ad Cic. Off. II, 2, nube exemplorum excitata docuit hanc formam Ciceroni valde usitatam, e quibus vel ex unis de Oratore libris attulit I, 4: *Ingenia vero nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt;* ibid. cap. 6: *ut eorum auctoritatem Graecis anteponam;* c. 44: *si cum illorum Lycurgo et Solone nostras leges conferre volueritis;* — et statim: *nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre;* c. 89 extr. *Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit.*

Tisia) Cum hoc Tisia, Coracis discipulo, legatum Gorgiam Leontinum Athenas profectum scribit Pausanias lib. VI. Hic multa in orationem contulit, et persuadendi peritissimus omnium suo tempore habitus est. Hunc in Phaedro Platonis Socrates deridet: cuius tamen auditorem Isocratem fuisse scribit Plutarchus. Corrad. in *Brut.* cap. 12.

Enodata diligenter) Haec lectio, quam Aldus induxit, superiorum edit. scriptura *enodata et diligenter* concinnior est.

Ac tantum) Ernesti recepit e MSS. Leid. *at tantum.* Nihil opus erat vulgarem mutare. Nam illud *ac* h. l. ponitur pro *ac tamen.* — Legitur tamen *at* in edit. Lips. Ed. T.

philosophiae partibus operae plurimum consumserunt, sicut et ipse, cuius instituta sequebantur, fecerat; tamen permulta nobis praecepta dicendi reliquerunt. Atque alii quoque alio ex fonte praeceptores dicendi emanaverunt, qui item permultum ad dicendum, si quid ars proficit, opitulati sunt. Nam fuit tempore eodem, quo Aristoteles, magnus et nobilis rhetor Isocrates; cuius ipsius quam constet esse artem, non invenimus. Discipulorum autem atque eorum, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte praecepta reperimus. Ex his duabus diversis sicuti familiis, quarum altera quum versaretur in philosophia, nonnullam rhetoricae quoque artis sibi curam assumebat, altera vero omnis in dicendi erat studio et praeceptione occupata, unum quoddam est conflatum genus a posterioribus, qui ab utrisque ea, quae commode dici videbantur, in suas artes contulerunt; quos ipsos simul, atque illos superiores, nos nobis omnes, quoad facultas tulit, proposuimus, et ex nostro quoque nonnihil in commune contulimus.

3. Quod si ea, quae in his libris exponuntur, tantopere eligenda fuerunt, quanto studio electa sunt, profecto neque nos, neque alios industriae nostrae poenitebit. Sin autem temere aliquid alicuius praeteriisse, aut non satis eleganter sequuti videbimur, docti ab aliquo facile et libenter sententiam commutabimus. Non enim parum cognosse, sed in parum cognito stulte et diu perseverasse turpe est; propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari uniuscuiusque vitio est attributum. Quare nos quidem sine ulla affirmatione, simul quaerentes, dubitanter unumquodque dicemus, ne, dum parvulum hoc consequimur, ut satis commode haec perscripsisse videamur,

illud amittamus, quod maximum est, ut ne cui rei temere atque arroganter assenserimus. Verum hoc quidem, et hoc tempore, et in omni vita studiose, quoad facultas feret, consequemur. Nunc autem, ne longius oratio progressa videatur, de reliquis, quae praecipienda videntur esse, dicemus.

Igitur primus liber, exposito genere huius artis et officio et fine et materia et partibus, genera controversiarum, et inventiones continebat; deinde partes orationis, et in eas omnes omnia praecepta. Quare quum in eo ceteris de rebus distinctius dictum sit, disperse autem de confirmatione et de reprehensione;

Amittamus) Purgoldus mavult *omittamus*. Sed h. l. non id quod quis intermittit, sed emolomentum, quod ei perit, significatur.

Verum hoc quidem) *Nos*, quod vulgo additur, rectius abest, ut in Gronovii codd. duobus.

Hoc tempore) Vulg. *in hoc tempore*. *Tempore* autem, quod in uno codice non reperiebat Lambinus, forsan supervacaneum et a glossatore adiectum suspicabatur. Non assentior. Delevi potius *in* ante *hoc tempore*, quod in hac formula melius omittitur.

Et inventiones) Vulg. additur: *et constitutiones et iudicationes*. Sed primum utrumque abest cod. Voss. c. Schol. Leid. 2, Altorf., *et iudicationes* a Manutianis codd. abfuit, *et constitutiones* omittitur ed. Omniboni. Deinde ipsa ratio confirmat ista verba temere a mala manu adiecta. Nam *constitutiones* idem est, quod *genera causae*. Et si Cicero voluisset *iudicationes* hic ponere, non omisisset ceteras partes iudicationi connexas, *quaestionem*, *rationem* etc. Cf. I, 13. Denique nec Victorinus aliud quid hic legisse videtur praeter *genera controversiarum et inventiones*. Ceterum Tullius de genere artis rhetoricae et officio et fine et materia et partibus breviter dixerat I, c. 5–7; de genere controversiarum et inventionibus I, c. 8 sqq. de partibus orationis c. 15 sqq. — *Et inventiones*) Victorinus explicans hunc locum, *Nam*, inquit, *de quinque partibus orationis solam inventionem tractat*. Quibus verbis quid sibi velit, non intelligo; satisque apparet, vim huius loci ignorasse. Ego vero crediderim *inventiones*, non argumentum, ut quidam falso existimant, sed intentionem in primis, et depulsionem esse intelligendas. Nam proposita controversia, considerandum est primum, an causa consistat; quod ex intentione et depulsione cognoscitur. *Intentio* est prima pars, quum actor proponit et facit litem. *Depulsio* est responsio rei. Quum igitur ex intentione et depulsione omnis controversia, id est constitutio, sive quaestio fiat, merito *inventiones* appellantur. Hoc autem ita esse, facile ex textu intelligi potest: nam sequitur, *et constitutiones*. Nascimb.

nunc certos confirmandi et reprehendendi in singula causarum genera locos tradendos arbitramur. Et quia, quo pacto tractari conveniret argumentationes, in libro primo non indiligenter expositum est, hic tantum ipsa inventa unamquamque in rem exponentur simpliciter sine ulla exornatione, ut ex hoc inventa ipsa, ex superiore autem expolitio inventorum petatur. Quare haec, quae nunc praecipientur, ad confirmationis et reprehensionis partes referre oportebit.

4. Omnis et demonstrativa et deliberativa et iudicialis causa, necesse est in aliquo eorum, quae ante exposita sunt, constitutionis genere, uno pluribusve, versetur. Hoc quamquam ita est, tamen quum communiter quaedam de omnibus praecipi possint, separatim quoque aliae sunt cuiusque generis, et diversae praeceptiones. Aliud enim laus aut vituperatio, aliud sententiae dictio, aliud accusatio, aut recusatio, conficere debet. In iudiciis, quid aequum sit, quaeritur; in demonstrationibus, quid honestum; in deliberationibus, ut nos arbitramur, quid honestum sit, et quid utile. Nam ceteri utilitatis modo finem in suadendo et in dissuadendo exponi oportere arbitrati sunt. Quorum igitur generum fines et exitus diversi sunt, eorum praecepta eadem esse non possunt. Neque nunc hoc dicimus, non easdem incidere constitutiones, verum-

Tamen quum — possint, separatim) Purgoldus emendandum censebat, *tamen quum — possunt, tum separatim.* Quod non est necessarium. Nam *tamen quum — possint* idem est, ac si dixisset: *etiamsi non negandum est, communiter quaedam de omnibus praecipi posse, tamen separatim quoque aliae sunt* etc.

Cuiusque generis, et diversae praeceptiones) Cod. Altorf. *cuiusque generis divisae praeceptiones.*

Neque nunc hoc dicimus) *Nunc*, quod abest cod. Guelf. 1, suspectum videbatur Ernestio; quia in hac forma addi non soleat, sed *nos* aut *vero*. Sensum tamen *nunc* praebet haud ineptum.

Non easdem incidere constitutiones) Nihil opus est mutari, etsi Lambinus dedit: *non easdem in unumquodque genus causae incidere constitutiones.* Ernesti autem coniecit: *non in easdem incidere constitutiones* sc. tria illa

tamen oratio quaedam ex ipso fine causae nascitur, quae pertineat ad vitae alicuius demonstrationem, aut ad sententiae dictionem. Quare nunc in exponendis controversiis, in iudiciali genere causarum et praeceptorum versabimur, ex quo pleraque in cetera quoque causarum genera, simili implicata controversia, nulla cum difficultate transferentur; post autem separatim de reliquis dicemus.

5. Nunc ab coniecturali constitutione proficiscemur; cuius exemplum sit hoc expositum: « In itinere quidam proficiscentem ad mercatum quendam, et secum aliquantum nummorum ferentem, est consequutus. Cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit;

genera causarum. Sed idem sensus ex vulgata lectione facile exit.

Ex ipso fine causae nascitur) Vulgo editur: *ex ipso fine et ex genere* (vel *et genere*) *causae nascitur*. In quo quid b. l. significet *et ex genere*, non assequor. Cicero dicit, quamquam in genus deliberativum et demonstrativum eaedem constitutiones, quae in iudiciale, incidant, tamen esse quandam in his generibus orationis partem, quae ex ipso fine his generibus proprio nascatur, ut adeo de his quaedam separatim praecipi possint. Cf. c. 52 ubi dicitur: *deinceps in deliberativum genus et demonstrativum argumentandi locos et praecepta dabimus, non quo non in aliqua constitutione omnis semper causa versetur, sed quia proprii tamen harum causarum quidam loci sunt, non a constitutione separati, sed ad fines horum generum accommodati.*

Quae pertineat — dictionem) H. e. quae vel ad genus demonstrativum vel ad deliberativum pertineat. Lambin. addidit *aut ad iudicium*; quo tamen non est opus.

In exponendis controversiis) Controversiae vocabulum hic universe de omni disceptatione sumitur; itaque etiam in genere deliberativo potest incidere controversia; itemque in demonstrativo, ut Caesar Ciceronis *Catoni*, quem hic summis extulerat laudibus, Anti-Catonem opposuit.

Simili implicata controversia) H. e. si forte in genere deliberativo vel demonstrativo quaedam controversia inciderit, eadem praecepta valebunt, quae in iudiciali genere exponendo tradita sunt.

Ab coniecturali constitutione) Edd. pr. ante Aldum: *ad coniecturalem constitutionem*. Recte vero illud e MSS. Ernesti reposuit.

Expositum) Hoc abest a duobus Oudendorpii libris. Non tamen ideo delendum. — *Expositum*, est propositum. Vid. cap. 11, 12, et Clav. Ern.

Consequutus) Hanc lectionem e cod. Pal. 2, Gruterus eruit, utique veriorem, quam illam alteram *comitatus*. Non enim statim erat comes, sed in via demum eum consequutus

ex quo factum est, ut illud iter familiarius facere vellent. Quare, quum in eandem tabernam devertissent, simul coenare, et in eodem loco somnum capere voluerunt. Coenati discubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur post inventum, quum in alio maleficio depreheusus esset) quum illum alterum videlicet, qui nummos haberet, animadvertisset: noctu, postquam illos arctius, ut fit, ex lassitudine dormire sensit, accessit, et alterius eorum, qui sine nummis erat, gladium propter appositum e vagina eduxit, et illum alterum occidit, nummos abstulit, gladium cruentum in vaginam recondidit, ipse se in lectum suum recepit. Ille autem, cuius gladio occisio erat facta, multo ante lucem surrexit, comitem suum inclamavit semel et saepius. Illum somno impeditum non respondere existimavit; ipse gladium, et cetera, quae secum attulerat, sustulit, solus profectus est. Caupo non multo post conclamavit, hominem occisum, et cum quibusdam deversoribus illum, qui ante exierat, consequitur. In itinere hominem comprehendit, gladium eius e vagina

est. Qnod autem Oudendorpius coniecit, Ciceronem forsan scripsisse *est continuatus*, b. e. protinus adcucurrit et comitem se fecit, hoc Apuleii quidem stilo, non Ciceronis convenit.

Quum illum alterum videlicet, qui nummos haberet, animadvertisset) Vulgo sic interpungitur: *quum illum alterum, videlicet qui nummos haberet, animadvertisset*, quae interpunctio Lambinum quidem induxit, ut scriberet *quum illum alterum nummos habere animadvertisset.* Ernestinm autem, ut haec verba, *videlicet, qui nummos haberet*, glossatori tribueret, eaque delenda putaret. Sed commate, nt fecimus, transposito, *videlicet* suaviter notat cauponis sagacitatem, qui statim illum alterum, qui nummos haberet, animadvertisset.

Arctius) *Iam* addunt Lallem. Oliv.

Cruentum) *Cruentatum* MS. Lambin. Altorf. Voss. c. Schol. Leid. 3.

Ipse se) Sic melius codd. Oud. fere omnes. Nam in *ipse sese* inficete deinceps ter repetitur syllaba *se*. Pro *recepit* Lambin. *recipit*, minus bene.

Comitem suum) Vulg. *illum* ante *comitem*, quod abest edd. pr. recte delevit Ernesti. Nam alterum *illum* ante *somno impeditum*, quod Oudendorpius deleri volebat, rectius servatur, sequenti *ipse* oppositum.

Hominem occisum) *Esse*, quod vulgo interseritur, deest cod. Voss. c. Schol. probante Oudendorpio.

educit, reperit cruentum; homo in urbem ab illis ducitur, ac reus fit.» In hac causa intentio est criminis: *Occidisti.* Depulsio: *Non occidi.* Ex quibus quaestio, eadem in constitutione coniecturali, quae iudicatio: *Occideritne.*

6. Nunc exponemus locos, quorum pars aliqua in omnem coniecturalem incidit controversiam. Hoc autem et in horum locorum expositione, et in ceterorum oportebit attendere, non omnes in omnem causam convenire. Vt enim omne nomen ex aliquibus, non ex omnibus literis scribitur: sic omnem in causam non omnis argumentorum copia, sed eorum necessario pars aliqua conveniet. Omnis igitur, ex causa, ex persona, ex facto ipso, coniectura capienda est.

Causa distribuitur in impulsionem, et in ratiocinationem. *Impulsio* est, quae sine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, aegritudo, vinolentia, et omnino omnia, in quibus aliquis ita videtur affectus fuisse, ut rem perspicere cum consilio et cura non potuerit; et

Ducitur) Hoc e cod. Voss. 1 auctore Oudendorpio praetuli vulg. *deducitur.* Illud enim aptius est huic loco, ubi de reo in custodiam ducendo agitur.

In hac causa) Vulgo *in hac*, incommoda ellipsi, quam bene supplet cod. Guelf. 2. Sed in ceteris exemplis Cicero simpliciter partes constitutionis sic designare incipit: *Intentio est* etc. Quare forsan aliquis suspicetur, hic quoque omissis *in hac causa* ita scribendum: *Intentio est criminis.* Sed quia hoc primum est quod affertur exemplum, Cicero plenius efferre poterat, quae post brevius contrahit.

Ex quibus quaestio est eadem in coniecturali constitutione, quae iudicatio: Occideritne?) Vulgo sic legitur: *ex quibus constitutio est. Quaestio eadem in coniecturali, quae iudicatio: Occideritne?* Acute sensit Ernesti, haec depravata esse; et locum ita constitui voluit: *ex quibus quaestio eadem est, quae iudicatio: Occideritne?* Nostra tamen ratio planior, et iis, quae auctor ad Herennium I, c. 17 docet, convenientior esse videtur.

Necessario) Sic MSS. Oud. omnes; it. cod. Altorf. ed. Omnib. Sensus hoc postulat, quod iam Oudendorpius intellexit, non vulg. *necessaria.*

Aliquis) Vulg. *animus.* Sed in hac lectione absurda inest consecu-

id, quod fecit, impetu quodam animi potius, quam cogitatione fecerit.

Ratiocinatio autem est diligens et considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. Ea dicitur interfuisse tum, quum aliquid certa de causa vitasse, aut sequutus esse animus videtur, ut, si amicitiae quid causa factum dicetur, si inimici ulciscendi, si metus, si gloriae, si pecuniae, si denique, ut omnia generatim amplectamur, alicuius retinendi, augendi, adipiscendive commodi, aut contra reiiciendi, deminuendi, devitandive incommodi causa. Nam horum in genus alterutrum illa quoque incident, in quibus aut incommodum aliquod maioris vitandi incommodi causa, aut maioris adipiscendi commodi suscipitur; aut commodum aliquod maioris adipiscendi commodi, aut maioris vitandi incommodi, praeteritur.

7. Hic locus sicut aliquod fundamentum est huius constitutionis. Nam nihil factum esse cuiquam probatur, nisi aliquid, quare factum sit, ostenditur. Ergo accusator, quum *impulsione* aliquid factum esse dicet, illum impetum, et quandam commotionem animi, affectionemque verbis et sententiis amplificare debebit, et ostendere, quanta vis amoris sit, quanta animi perturbatio ex iracundia fiat, aut ex aliqua causa earum, qua impulsum aliquem id fecisse dicet. Hic et exemplorum commemoratione, qui simili impulsu aliquid commiserint, et similitudinum collatione, et ipsius

tio: *animus ita affectus, ut rem perspicere non potuerit, et id, quod fecit, impetu animi — fecerit.* Quis quaeso, ita loquatur: *animus impetu animi aliquid fecit?*

Interfuisse) Ernesti, conj. *intercessisse.*

Quum aliquid certa de causa vitasse, aut sequutus esse animus videtur) Post *quum aliquid* vulgo additur: *faciendum aut non faciendum*, quod glossator aliquis temere et inepte ex antecedenti ratiocinationis definitione repetiit.

Impulsione aliquid) Vulgo: *aliquid impulsione*, ordine minus apto,

animi affectionis explicatione, curandum est, ut non mirum videatur, si quod ad facinus tali perturbatione commotus accesserit.

Quum autem non impulsione, verum *ratiocinatione* aliquem commisisse quid dicet, quid commodi sit sequutus, aut quid incommodi fugerit, demonstrabit, et id augebit quam maxime poterit, ut, quoad eius fieri possit, idonea quam maxime causa ad peccandum hortata videatur. Si gloriae causa; quantam gloriam consequuturam existimarit. Item si dominationis, si pecuniae, si amicitiae, si inimicitiarum; et omnino quidquid erit, quod causae fuisse dicet, id summe augere debebit. Et hoc eum magnopere considerare oportebit, non quid in veritate modo, verum etiam vehementius, quid in opinione eius, quem arguet, fuerit. Nihil enim refert, non fuisse, aut non esse aliquid commodi, aut incommodi, si ostendi potest, ei visum esse, qui arguatur. Nam opinio dupliciter fallit homines; quum aut res aliusmodi est, ac putatur, aut non is eventus est, quem arbitrati sunt. *Res aliusmodi* est tum, quum aut id, quod bonum est, malum putant; aut contra, quod malum est, bonum; aut quod nec malum est, nec bonum, malum aut bonum; aut quod malum aut bonum est, nec malum nec bonum. Hoc intellecto, si quis negabit, ullam esse pecuniam, fratris aut amici vita, aut denique officio antiquiorem, aut suaviorem, non erit hoc accusatori negandum. Nam in eum culpa, et summum odium transferetur, qui id, quod tam vere et pie dicetur, negabit. Verum illud dicendum erit, illi non esse ita visum; quod sumi

Commotus) Vulgo additur *animus*, quod parum h. l. aptum esse, iam observatum est ab Ernestio. Repetendum est *aliquis*, ex verbis superioribus, *qua impulsum aliquem id fecisse dicet.*

Aut denique officio) Recte delevit Ernesti, quod vulgo addebatur, *suo*.

oportebit ex iis, quae ad personam pertinent, de quo post dicendum est. *Eventus* autem tum fallit, quum aliter accidit, atque ii, qui arguuntur, arbitrati esse dicuntur; ut, si qui dicatur alium occidisse, ac voluerit, quod aut similitudine, aut suspicione, aut demonstratione falsa deceptus sit; aut eum necasse, cuius testamento non sit heres, quod eius testamento se heredem arbitratus sit. Non enim ex eventu cogitationem spectari oportere; sed qua cogitatione et spe ad maleficium profectus sit, considerari; et quo animo quid quisque faciat, non quo casu utatur, ad rem pertinere. In hoc autem loco caput illud erit accusatori, si demonstrare poterit, alii nemini causam fuisse faciendi; secundarium, si tantam, aut tam idoneam nemini. Sin fuisse aliis quoque causa faciendi videbitur; aut potestas aliis defuisse demonstranda est, aut facultas, aut voluntas. *Potestas,* si aut nescisse, aut non affuisse, aut conficere non potuisse aliquis dicetur. *Facultas*, si ratio, adiutores, adiumenta, et cetera, quae ad rem pertinebunt, defuisse alicui demonstrabuntur. *Volun-*

Arbitrati esse dicuntur) Cave, ne hunc indicativum coniunctivo permutandum cum Ernestio opineris.

Oportere—pertinere) Ernestio placebat *oportet* e MS. Cass. cui deinde respondere deberet *pertinet*. Nam ista non tam e persona accusatoris dici putabat, cuius hic nulla mentio sit, quam Ciceronis. Verum salva est lectio vulgata. Persona accusatoris intelligitur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ; non in verbis, quae praecedunt, *qui arguuntur*, latet.

Qua cogitatione et spe ad maleficium profectus sit) Lamb. adiuvante MS. coniiciebat: *sed qua cogitatione animi et spe*. Gruteri codd. *qua cogitatione animus et spe*. Atque sic etiam codd. Oudend. omnes. *Animus* tamen quum statim recurrat, ac *profectus sit* facile referatur ad eum, qui ante dictus est *alium occidisse; — aut eum necasse* etc. ab hoc recipiendo abstinui.

Considerari) Ita propter antecedens *spectari* corrigendum erat; vulg. *considerare*.

Et quo animo quid quisque faciat) Iniuria haec a glossatore inserta putabat Oudendorpius. Ταυτολογίαν ille sibi visus erat hic reperisse, quae nulla est. In verbis enim: *et quo — pertinere* eadem, quae antea separatim de certi hominis maleficio dicta erant, nunc generatim de omnibus rebus, in quibus casus et eventus animi opinionem fallit, enuntiantur.

Pertinebunt) Non erat, quod Ernesti *pertinebant* aut *pertinerent* repo-

tas, si animus a talibus factis vacuus et integer esse dicetur. Postremo, quas ad defensionem rationes reo dabimus, iis accusator ad alios ex culpa eximendos abutetur. Verum id brevi faciendum est, et in unum multa sunt conducenda, ut ne alterius defendendi causa hunc accusare, sed huius accusandi causa defendere alterum videatur. Atque accusatori quidem haec fere sunt in causa facienda, et consideranda.

8. Defensor autem ex contrario primum *impulsionem* aut nullam fuisse dicet, aut, si fuisse concedet, extenuabit, et parvulam quandam fuisse demonstrabit, aut non ex ea solere huiusmodi facta nasci docebit. Quo et erit in loco demonstrandum, quae vis et natura eius sit affectionis, qua impulsus aliquid reus commisisse dicetur; in quo et exempla et similitudines erunt proferendae, et ipsa diligenter natura eius affectionis quam lenissimam et quietissimam ad partem explicanda, ut et res ipsa a facto crudeli et turbulento ad quoddam mitius et tranquillius traducatur, et oratio tamen ad animum eius, qui audiet, et ad animi quendam intimum sensum accommodetur.

nendum suspicaretur. Etenim *quae pertinebunt* h. l. idem est, ac quae accusatori pertinere videbantur; in quo futurum tempus aeque ac in *demonstrabuntur* valet.

Quo et) Copulam recte addunt MSS. Oudend. omnes.

Quam lenissimam et quietissimam) Adoptavi Lambini lectionem. Nam in vulgata: *et ipsa diligenter natura eius affectionis quam lenissime quietissimam ad partem explicanda*, primum difficile est dicere, quid sit *lenissime explicare*; deinde adverbia ista sic deinceps posita, *diligenter quam lenissime*, insolentem facerent structuram. *Affectionem* autem *ad lenissimam et quietissimam partem explicare* nihil aliud est, quam eius vim oratione sic minuere, ut ex ea facinus tam crudele aut turbulentum oriri potuisse haud videatur. Quod hic vocabulis *lenissimae et quietissimae partis* designatur, idem mox *mitius et tranquillius* dicitur.

Et oratio tamen) In duobus Oudendorpii codd. legitur *et oratio tum*, quod cur illi placuerit, haud intelligo.

Ad animum eius, qui audiet, et ad animi quendam intimum sensum accommodetur) Haec integra esse mihi nemo facile persuaserit. Forsan ita scripsit Cicero: *ad mentem eius, qui*

Ratiocinationis autem suspiciones infirmabit, si aut commodum nullum fuisse, aut parvum, aut aliis magis fuisse, aut nihilo sibi magis, quam aliis, aut incommodum sibi maius, quam commodum dicet; ut nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicatur, magnitudo, aut cum eo incommodo, quod acciderit, aut cum illo periculo, quod subeatur, comparanda; qui omnes loci similiter in incommodi quoque vitatione tractabuntur. Sin accusator dixerit, reum id esse sequutum, quod ei visum sit commodum, aut id fugisse, quod putarit esse incommodum, quamquam in falsa fuerit opinione; demonstrandum erit defensori, neminem tanta esse stultitia, qui tali in re possit veritatem ignorare. Quod si id concedatur, illud non concessum iri: ne dubitasse quidem hunc, quid verius esset, sed id, quod falsum fuerit, sine ulla dubitatione

audiet, et ad animi quendam intimum sensum; vel sic: *ad eius, qui audiet, intimum sensum.* Ceterum quae sit horum verborum sententia, in promtu est. Cicero iubet oratorem exemplis et similitudinibus hoc efficere, ut illa affectionis descriptio, qua eius natura ad lenissimam et quietissimam partem traducatur, ipsis iudicibus vera esse videatur, ab eorumque mentibus ac sensibus minime abhorrent.

Reum) Ita rescripsi, quia vulg. *eum* non habet, quo referatur.

Tanta esse stultitia) *Tantae stultitiae* alii, ut Lallem. Oliv.

Quod si id concedatur, illud non concessum iri: ne dubitasse quidem hunc, quid verius esset, sed id, quod falsum fuerit, sine ulla dubitatione pro vero probasse) Vulgo edunt omnes: *Quod si id concedatur, illud non concessum iri; ne dubitasse quidem hunc, quid eius iuris esset; sed id, quod falsum fuerit, sine ulla dubitatione pro falso, quod verum, pro vero probasse.* In quo primum semicolon post *concessum iri* mutavi in colon; nam illud, quod negatur concessum iri, non est in superioribus, sed in iis, quae proxime sequuntur. Deinde pro *eius iuris*, quod h. l. sensum non admittit, scripsi *verius*; et glossema ineptum, *pro falso, quod verum*, quod totam sententiam, quae sequitur, pervertit, expunxi. Ita omnia facile explicantur. Si accusator dixerit, reum id esse sequutum, quod ei visum sit commodum, aut id fugisse, quod putaverit esse incommodum, quamquam *in falsa* fuerit *opinione*; demonstrandum erit defensori, neminem tanta esse stultitia, qui tali in re possit veritatem ignorare. Quod si id concedatur (*aliquem posse in his veritatem ignorare*), illud (quod

pro vero probasse. Quod si dubitaverit, summae fuisse amentiae, dubia spe impulsum, certum in periculum se committere. Quemadmodum autem accusator, quum ab aliis culpam demovebit, defensoris locis utetur: sic iis locis, qui accusatori dati sunt, utetur reus, quum in alios ab se crimen volet transferre.

9. Ex *persona* autem coniectura capietur, si eae res, quae personis attributae sunt, diligenter considerabuntur, quas omnes in primo libro exposuimus. Nam et de *nomine* nonnunquam aliquid suspicionis nascitur. Nomen autem quum dicimus, cognomen quoque intelligatur oportet; ut, si dicamus, idcirco aliquem Caldum vocari, quod temerario et repentino consilio sit; aut si, ea re hominibus Graecis imperitis verba dedisse, quod Clodius, aut Caecilius, aut Mucius, vocaretur.

sequitur) non concessum iri, ne dubitasse quidem hunc, quid verius (*commodum*) fuerit, sed id, quod falsum fuerit, sine ulla dubitatione pro vero probasse. Quod si (*autem*) dubitaverit, summae fuisse amentiae, dubia spe impulsum certum in periculum se committere.

Nomen autem quum dicimus, cognomen quoque) Additur *et agnomen* cod. Grevenb. Pal. 1, Altorf. Sed vereor, ne hoc a glossatore sit. Imo tota ῥήσει *nomen — oportet* facile carebamus.

Oportet) In edd. et codd. additur: *de hominis enim certa et proprio vocabulo agitur*, quod, ut manifestum scioli alicuius emblema, ex Iuv. I, 24, consarcinatum, delevi. — Legitur tamen in textu edit. Lips. Ed. T.

Caldum) Burmann. ad Quintil. p. 883 legendum censet *Calidum*. Non video, cur mutandum sit *Caldum*; id enim fuit cognomen nonnullorum ex gente *Coelia*.

Quod Clodius, aut Caecilius, aut Mucius) Notantur Graeci, qui quum ICtum aliquem vellent consulere, ad aliquem deveniebant indoctum, quod scilicet putarent, omnes Clodios et Mucios ICtos esse, ut Appius Claudius Caecus vel Mucii Scaevolae, iuris peritia clarissimi. Pro *Caecilius* arbitror Ciceronem scripsisse *Cascellius*; nam in *Cascelliorum* familia Iurisprudentiae laus paene haereditaria fuit. — (*Quod Clodius*) *Clodius*, quod claudicet, vel corpore, vel animo. *Caecilius*, quod caecutiat. *Mutius*, quod mutus. Has vero nugas in Oratore quis ferat? Mvret. Proderit tamen ad ridiculum: quo modo Tullius in Verrem, IV, 24: *Quod unquam huiusmodi verriculum fuit?* Pavst.

Vocaretur) Ita scribendum erat auctoritate cod. Voss. c. Schol. Vulgo *vocarentur*. Sed exemplum ab uno, non a pluribus petitur. Et *dedisse — vocaretur* pendent ab antecedente *aliquem*.

Et de *natura* licet aliquantulum ducere suspicionis. Omnia enim haec, vir, an mulier; huius an illius civitatis sit; quibus sit maioribus, quibus consanguineis, qua aetate, quo animo, quo corpore, quae naturae sunt attributa, ad aliquam coniecturam faciendam pertinebunt. Et ex *victu* multae trahuntur suspiciones, quum, quemadmodum, et apud quos, et a quibus educatus et eruditus sit, quaeritur, et quibuscum vivat, qua ratione vitae, quo more domestico utatur. Et ex *fortuna* saepe argumentatio nascitur, quum, servus an liber, pecuniosus an pauper, nobilis an ignobilis, felix an infelix, privatus an in potestate sit, aut fuerit, aut futurus sit, consideratur; aut denique aliquid eorum quaeritur, quae fortunae esse attributa intelliguntur. *Habitus* autem, quoniam in aliqua perfecta et constanti animi aut corporis absolutione consistit, quo in genere est virtus, scientia, et quae contraria sunt; res ipsa, causa posita, docebit, ecquid hic quoque locus suspicionis ostendat. Nam *affectionis* quidem ratio perspicuam solet prae se gerere coniecturam, ut amor,

Quibus sit maioribus) Ita Demosthenes in Oratione pro Corona accusatus ab Aeschine se defendit a genere, et indicium facit se virum optimum esse, quod optimis maioribus sit natus: Aeschinem vero pessimum, quod infimo genere sit natus. NASCIMB.

Quo more domestico utatur) Vulg. *quo more domestico vivat.* Ego vero Ciceronem sic scripsisse: quibuscum *vivat*, qua ratione *vitae — vivat*, minime credo. Et vide, quaeso, quam diligenter in eadem re alibi dictionem variaverit Inv. I, 25: *In victu considerare oportet, apud quos, et quo more, et cuius arbitratu sit educatus, quos habuerit liberalium artium magistros, quos vivendi praeceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quaestu, artificio sit occupatus, quo modo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit.* Ex quo loco intelligitur, hic *qua ratione vitae utatur* idem esse ac supra, *quo in negotio, quaestu, artificio sit occupatus.* Quintilian. Inst. or. V, 10 rationem vitae *studium*, morem domesticum *victum* vocat: « *Victus*, luxuriosus an frugi, an sordidus, quaeritur. *Studia* quoque; nam rusticus, forensis, negotiator, miles, navigator, medicus, aliud efficiunt. »

In potestate) Hoc dedit Gruterus pro *eum potestate* auctoritate trium codd. Lambin. et trium Pall.

iracundia, molestia: propterea quod et ipsorum vis intelligitur, et quae res harum aliquam rem consequuntur, faciles cognitu sunt. *Studium* autem quoniam est assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, facile ex eo ducetur argumentatio, quam res ipsa desiderabit in causa. Item ex *consilio* sumetur aliquid suspicionis. Nam consilium est, aliquid faciendi, non faciendive excogitata ratio. Iam *facta* et *casus* et *orationes*, quae sunt omnia (ut in confirmationis praeceptis dictum est) in tria tempora distributa, facile erit videre, ecquid afferant ad coniecturam confirmandam suspicionis.

10. Ac personis quidem res eae sunt attributae, quibus omnibus unum in locum coactis *accusatoris* erit in improbatione hominis uti. Nam causa facti parum firmitudinis habet, nisi animus eius, qui insimulatur, in eam suspicionem adducatur, ut a tali culpa non videatur abhorruisse. Vt enim animum alicuius improbare nihil attinet, quum causa, quare peccaverit, non intercessit; sic causam peccati intercedere leve est, si animus nulli minus honestae rationi affinis ostenditur. Quare vitam eius, quem arguit, ex ante factis accusator improbare debebit, et ostendere, si quo in pari ante peccato convictus sit. Si id non poterit, si quam in similem ante suspicionem venerit,

Iam facta) Sic duo codd. Lambini. *Item facta* edd. vett., quod servavit Lallem.

Coniecturam confirmandam suspicionis) *Confirmandam coniecturam suspicionis* cod. Altorf.

Peccaverit) MSS. Oud. Cass. Guelf. *peccavit*. Bene.

Intercessit) Cod. Voss. c. Schol. a m. pr. Voss. 1, Leidd. omnes, it. MSS. Cass. Guelf. Recte. Olim in plurimis edd. *intercesserit*.

Si id non poterit) Pessima lectio insedit Ernesti editionem, e qua in Bipontinam fluxit, *Sed id non poterit*. Post *poterit* addit cod. Altorf. *monstrare debebit*, quod, si plures codd. addicerent, haud spernerem. Vt nunc est, licet ex antecedentibus repetere *ostendet*.

ac maxime, si fieri poterit, simili aliquo in genere eiusdem modi causa aliqua commotum peccasse, aut in aeque magna re, aut in maiore, aut in minore; ut si, quem pecunia dicat inductum fecisse, eius possit demonstrare aliqua in re aliquod factum avarum. Item in omni causa naturam, aut victum, aut studium, aut fortunam, aut aliquid eorum, quae personis attributa sunt, ad eam causam, qua commotum peccasse dicet, adiungere, atque ex dispari quoque genere culparum, si ex pari sumendi facultas non erit, improbare animum adversarii oportebit; ut si avaritia inductum arguas fecisse, et avarum eum, quem accuses, demonstrare non possis, aliis affinem esse vitiis doceas, et ea re non esse mirandum, qui in illa re turpis, aut cupidus, aut petulans fuerit, hac quoque in re eundem deliquisse. Quantum enim de honestate et auctoritate eius, qui arguitur, detractum est, tantundem ei de facultate totius est defensionis deminutum. Si nulli affinis poterit vitio demonstrari, locus inducetur ille, per quem hortandi iudices erunt, ut veterem famam hominis nihil ad rem putent pertinere. Nam eum ante celasse, nunc manifesto teneri; quare non oportere hanc rem ex superiori vita spectari, sed superiorem vitam ex hac re improbari; et aut potestatem ante peccandi non fuisse, aut cau-

Eius possit) *Eius* retraxi, vulgo post *aliqua in re* positum. Atque sic illud concinnius poni iam Ernesti monuerat.

Ea re) Vulg. *ex ea re*. Praepositionem rectius omittit cod. Leid. 1.

Eundem deliquisse) Ita rescripsi pro vulg. *eum deliquisse*. Illud iam Purgoldus commendavit recte advocato loco simili ad Herenn. II, 3: *deinde qui illud fecerit tam nequiter, eundem hoc tam perperam fecisse, non esse mirandum.*

Tantundem ei) Vulgo abest *ei*, auctore Oudendorpio a nobis adiectum, qui id reperit in suis codd.

Si nulli affinis poterit vitio) Verba in edd. et MSS. adiecta, *reus ante admisso*, de sententia Gruteri, qui ea recte animadvertit e glossa in textum irrepsisse, delevimus.

sam; aut, si haec dici non poterunt, dicendum erit illud extremum, non esse mirum, si nunc primum deliquerit. Nam necesse esse, eum, qui velit peccare, aliquando primum delinquere. Sin vita ante acta ignorabitur, hoc loco praeterito, et cur praetereatur, demonstrato, argumentis accusationem statim confirmare oportebit.

11. *Defensor* autem primum, si poterit, debebit vitam eius, qui insimulabitur, quam honestissimam demonstrare. Id faciet, si ostendet aliqua eius nota et communia officia; quod genus, in parentes, cognatos, amicos, affines, necessarios, etiam quae magis rara et eximia sunt, si ab eo cum magno aliquo labore, aut periculo, aut utraque re, quum necesse non esset, officii causa, aut in rempublicam, aut in parentes, aut in aliquos eorum, qui modo expositi sunt, facta esse dicet; deinde si nihil deliquisse, nulla cupiditate impeditum ab officio recessisse. Quod eo confirmatius erit, si quum potestas impune aliquid faciendi minus honeste fuisse dicetur, voluntas ei faciendi demonstrabitur abfuisse. Hoc autem ipsum erit eo firmius, si eo ipso in genere, quo arguetur, integer antea fuisse demonstrabitur; ut si, quum avaritiae causa fecisse arguatur, minime omni in vita pecuniae cupidus fuis-

Nam necesse esse) Ita scribendum fuit, non, ut vulgo, *nam necesse est*, quod Ernestio quoque placebat. Sic in eadem re Quintilian. Inst. or. VII, 2, 33: «Si nihil obiicietur, patronus quidem in hoc vehementer incumbet; accusator autem ad praesentem quaestionem, de qua sola iudicium sit, cognitionem alligabit, dicens, *neminem non aliquando coepisse peccare.*»

Si ab eo cum mogno aliquo labore — facta esse dicet) Recepi lectionem cod. Altorf. et ed. Victor. Gruterus invenit in MSS. *magno aliquid labore.* Alii, ut Ernesti, *cum magno aliquo labore — factum aliquid esse dicet.* Sed ita nimium saepe occurrit pronomen *aliquis.*

Hoc autem ipsum) Vulg. additur *genus*, quod male interpolatum est e seqq. verbis, *ipso in genere.* Nam non *genus* aliquod hic firmius dicitur, sed argumentum, quod modo propositum erat.

se doceatur. Hic illa magna cum gravitate inducetur indignatio, iuncta conquestioni, perquam miserum facinus esse, et indignum, quum animus omni in vita fuerit a vitiis remotissimus, eam causam putare, quae homines audaces in fraudem rapere soleat, castissimum quoque hominem ad peccandum potuisse impellere; aut iniquum esse, et optimo cuique perniciosissimum, non vitam honeste actam tali in tempore quam plurimum prodesse, sed subita ex criminatione, quae confingi quamvis facile possit, non ex ante acta vita, quae neque ad tempus fingi, neque ullo modo immutari possit, facere iudicium. Sin autem in ante acta vita aliquae turpitudines inerunt; aut falso venisse in eam existimationem dicetur, ex aliquorum invidia, aut obtrectatione, aut falsa opinione; aut imprudentiae, necessitudini, aut persuasioni adolescentiae, aut alicui non malitiosae animi affectioni attribuentur, aut dissimili generi vitiorum, ut animus non omnino integer, sed ab tali culpa remotus esse videatur. Ac si nullo modo vitae turpitudo, aut infa-

Perquam miserum facinus esse, et indignum) Recepi Gruteri emendationem, ab Oudendorpio et Ernestio in notis probatam, neque tamen in ordinem receptam. Vulgo minus apte: *perquam miserum facinus esse et indignum demonstrabitur.*

Quae confingi quamvis facile possit) *Quamvis* aberat in edd. pr. Gronovius id e MSS. eruit, Ernesti recepit. Cod. Voss. c. Schol. *quae confingi quamvis falso possit*, superscripto *facile*; unde Oudendorp. conj. *quae confingi facile quamvis falso possit.* Cod. Altorf. *quamvis facile fingi possit, quamvis falso possit.*

Facere iudicium) Ernesti conj. *fieri iudicium.*

Inerunt) Ita cod. Voss. 1, Leid, 3. Vulgo *erunt.*

Dicetur) Sic legendum est, ut ad *reum*, qui arguitur, pertineat, non, ut omnes fere praeter Lallem., *dicentur.*

Ex aliquorum invidia) Ita cod. Alt. rectius, quam vulg. *aut ex aliquorum.* Post *opinione* plenius distinximus. Membra enim disiunctionis haec sunt: *aut — dicetur, aut — attribuentur,*

Dissimili generi) Hanc lectionem cod. Leid. antetuli vulgatae *dissimili in genere*, quae nexum orationis obscurat.

Ac si nullo modo — agi oportere) Idem auctor ad Herenn. II, 3, cle-

mia leniri poterit oratione; negare oportebit de vita eius, et de moribus quaeri, sed de eo crimine, quo arguatur; quare, ante factis omissis, illud, quod instet, agi oportere.

12. *Ex facto* autem ipso suspiciones ducentur, si totius administratio negotii ex omnibus partibus pertentabitur; atque hae suspiciones partim ex negotio separatim, partim communiter ex personis atque ex negotio proficiscentur. Ex *negotio* duci poterunt, si eas res, quae negotiis attributae sunt, diligenter considerabimus. Ex iis igitur in hanc constitutionem convenire videntur genera earum omnia, partes generum pleraeque. Videre igitur primum oportebit, quae sint *continentia* cum ipso negotio, hoc est, quae ab re separari non possunt. Quo in loco satis erit diligenter considerare, quid sit ante rem factum, ex quo spes perficiendi nata, et faciendi facultas quaesita videatur; quid in ipsa re gerenda; quid postea consequutum sit. Deinde *ipsius* est *negotii gestio* pertractanda. Nam hoc genus earum rerum, quae negotio sunt attributae, secundo in loco nobis est expositum. Hoc ergo in genere spectabitur locus, tempus, occasio, facultas: quorum uniuscuiusque vis

ganter sic efferl: *Sin nihil horum fieri poterit, utatur extrema defensione, et dicat, non se de moribus eius apud censores, sed de criminibus adversariorum apud iudices dicere.* Cf. etiam Quintil. VII, 2, 29.

Et de moribus) Sic codd. Gronov. et Oudend. Recte. In edd. omittitur praepositio.

De eo crimine, quo arguatur) Volgo: *quo de arguatur.* In uno cod. Oudend. invenit *de quo arguatur.* Sed *crimine aliquo aliquem arguere* dicitur, ut paulo ante, *eo ipso in genere, quo arguetur;* non *de crimine arguere.*

Genera earum) Volg. *genera eorum.* Sed *earum* refertur ad solecedens *rerum*, sicut paolo post: *genus earum rerum.*

Quae ab re separari non possunt) Lambin. *possint;* sed quia his verbis, *quae — possunt*, inest definitio sive explicatio vocaboli *continentia*, indicativus requiritur.

Sunt attributae) Sic Lamb. concinnius, quam plerique *attributae sunt.*

diligenter in confirmationis praeceptis explicata est. Quare, ne aut hic non admonuisse, aut ne eadem iterum dixisse videamur, breviter iniiciemus, quid quaque in parte considerari oporteat. In loco igitur opportunitas, in tempore longinquitas, in occasione commoditas ad faciendum idonea, in facultate copia et potestas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit, aut sine quibus omnino confici non potest, consideranda est. Deinde videndum est, quid *adiunctum* sit negotio, hoc est, quid maius, quid minus, quid aeque magnum sit, quid simile; ex quibus coniectura quaedam ducitur, si, quemadmodum res maiores, minores, aeque magnae, similesque agi soleant, diligenter considerabitur. Quo in genere eventus quoque videndus erit, hoc est, quid ex unaquaque re soleat evenire; ut metus, laetitia, titubatio. Quarta autem pars erat ex iis, quas negotiis dicebamus esse attributas, *consecutio*. In ea quaeruntur ea, quae gestum negotium confestim, aut ex intervallo consequuntur. In qua videbimus ecqua consuetudo sit, ecqua lex, ecqua actio, ecquod eius rei artificium

Breviter iniiciemus) Vulg. *breviter demonstrabimus*. At in codd. Voss. c. Schol. et Altorf. est *iniecimus*, quod non displicet Oudendorpio et Ernestio, et sane exquisitius videtur, quam pro captu glossatoris. Sed futuro, non praeterito hic locus est.

Propter quas) *Per quas*, quod est in quibusdam libris, praefert Oudend.

Hoc est, quid ex unaquaque re soleat evenire) In MSS. et edd. additur, *magnopere considerandum est*, quod recte Ernesti spurium iudicavit: nam Cicero tantum definitionem eventus his verbis voluit dare. Ad rem, de qua hic agitur, cf. ad Herenn. II, 5 extr. Cic. Topic. c. 12, Partitt. or. c. 33.

Quid ex unaquaque re) *Quid ex qua re* MSS. Voss. 2, Cass.

Ecqua lex) Has voces, quas in editionibus Gruteriana posterioribus male excidisse, iam Oudend. monuit, restituimus.

Ecqua actio) In Voss. c. Schol. a m. pr. et Palat. uno est *pactio*, quod Oudendorpius verissimum iudicat. Mirum est, viro doctissimo in mentem non venisse locum de Inv. I, c. 28, ad quem hic respicitur; ubi Cicero, *deinde*, inquit, *ecqua ea de re aut eius rei sit lex, consuetudo, actio*

sit, aut usus, aut exercitatio, hominum aut approbatio, aut offensio; ex quibus nonnunquam elicitur aliquid suspicionis.

13. Sunt autem et aliquae suspiciones, quae *communiter* et *ex negotiorum*, et *ex personarum* attributionibus sumuntur. Nam et ex fortuna, et ex natura, et ex victu, studio, factis, casu, orationibus, consilio, et ex habitu animi, aut corporis pleraque pertinent ad easdem res, quae rem credibilem, aut incredibilem facere possunt, et cum facti suspicione iunguntur. Maxime enim quaeri oportet in hac constitutione, primum potueritne aliquid fieri; deinde si quo ab alio potuerit; deinde facultas, de qua ante diximus; deinde utrum id facinus sit, quod poenitere fuerit necesse; item quod spem celandi non haberet; deinde necessitudo; in qua, num necesse fuerit id aut fieri, aut ita fieri, quaeritur. Quorum pars ad consilium pertinet, quod personis attributum est, ut in ea causa, quam exposuimus. Ante rem erit, quod in itinere se tam familiariter applicaverit, quod sermonis causam quaesierit, quod simul deverterit, coenarit. In re, nox,

iudicium, *scientia*, *artificium*. Nam quod Oudend. Victorinum testem advocat lectionis *pactio*, id vero testimonium nullum est. Is enim lectionem *actio* his verbis explicat pag. 111, edit. Venet. « Deinde quod ait *consuetudo*, *actio*, *iudicium*, *scientia*, *artificium* et haec omnia gestum negotium consequuntur. Nam et consuetudo rei iam antea gestae est, et rursus rem gestam solet aliqua actio consequi vel iudicium. » Haec ille ad Inv. I, 28. Deinde ad eum, in quo versamur, locum: « Quarta etiam, inquit, pars, quae gestum negotium consequitur, ad coniecturam tribuet argumenta; ubi quaeritur lex, consuetudo, *actio*, usus, exercitatio. »

Et aliquae) *Et aliae* cod. Voss. c. Schol. Voss. 1, Leid. 2, 3, Altorf., quod praefert Oudend. nisi forte legatur *et aliae aliquae*, vel, quod idem significat, *et aliquae*.

Si quo) I. e. *an quo*. Hoc est in cod. Leid. 1, 3. Vulgo *ecquo*.

Quod poenitere) « Cave, ne cum Lambino legas *cuius*. Adi Victor. p. 199. Sanctii Min. III, 1, ibique Perizon. p. 266, et Davis. ad Cic. Tusc. V, 28: *Nihil, quod poenitere possit, facere*, et ad Minuc. Fel. c. 28: *unum solummodo, quod non ante fuerit, poeniteret.* » OVDEND.

Quaesierit) Hanc formam, quae

somnus. Post rem, quod solus exierit, quod illum tam familiarem comitem tam aequo animo reliquerit, quod cruentum gladium habuerit. Rursum quaeritur, utrum videatur diligenter ratio faciendi esse habita et excogitata, an ita, ut non verisimile sit, quemquam tam temere ad maleficium accessisse. In quo quaeritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri, vel a fortuna administrari. Nam saepe, si pecuniae, si adiumenta, si adiutores desint, facultas fuisse faciendi non videtur. Hoc modo si diligenter attendemus, apta inter se esse intelligemus haec, quae negotiis, et illa, quae personis sunt attributa.

14. Hic neque facile est, neque necessarium distinguere, ut in superioribus partibus, quo pacto quidque accusatorem, et quomodo defensorem tractare oporteat. Non necessarium, propterea quod, causa posita, quid in quamque conveniat, res ipsa docebit eos, qui non omnia hic se inventuros putabunt, sed quandam in

est apud Victorin. it. in MSS. Oud. omnibus, vulgatae *quaesiverit* praeferendam censui.

Rursum quaeritur) Vulgo: *Horum pars ad consilium pertinet. Quaeritur enim.* Sed verba *horum — pertinet* a glossatore ex antecedentibus repetita; et absunt a cod. Voss. c. Schol., qui pro his habet *rursum* a m. pr., quo adverbio eleganter Latini utuntur in connectendo; ut Quintil. I, 10, 40; IV, 5, 2. Pro *quaeritur enim*, quod abest Voss. 2, in cod. Voss. c. Schol. est *quaeritur ergo*. Sed nec *enim*, nec *ergo* h. l. quadrat.

An ita, ut non — accessisse) Vulg. *an ita temere, ut non — accessisse.* Qua in lectione repetitum *temere* valde displicet. Lambinus, quia in duobus codd. aberant ista: *ut non verisimile sit quemquam tam temere*, coniiciebat, simpliciter legendum esse: *an temere ad maleficium accessisse.* Nobis ista in duobus codd. verborum omissio, quae errore librarii propter duplex *temere* facile fieri potuit, non eo valere videtur, ut illa spuria videri possint. Sed potius prius *temere* intrusum putamus, et *an ita* sic explicandum, ut intelligatur, *an ita* scil. negligenter ratio faciendi sit habita.

Si adiumenta) Recte Ernesti addidit *si*; idemque praebet cod. Leid. 1, et Voss. c. Schol. Cur autem Ernestio *adiumenta* de glossa suspecta fuerint, causam nullam video. Certe iam in definitione facultatis c. 7, cum *adiutoribus* componebantur.

Attendemus — intelligemus) Alii *attendamus — intelligimus.*

Sed quandam) In edd. erat: *sed*

commune mediocrem intelligentiam conferent; non facile autem, quod et infinitum est tot de rebus utramque in partem singillatim de unaquaque explicare, et alias aliter haec in utramque partem causae solent convenire. Quare considerare haec, quae exposuimus, oportebit. Facilius autem ad inventionem animus incedet, si gesti negotii et suam et adversarii narrationem saepe et diligenter pertractabit, et quod quaeque pars suspicionis habebit, eliciens, considerabit, quare, quo consilio, qua spe perficiendi quidque factum sit; cur hoc modo potius, quam illo; cur ab hoc potius, quam ab illo; cur nullo adiutore, aut cur hoc; cur nemo sit conscius, aut cur sit, aut cur hic sit; cur hoc ante factum sit; cur hoc ante factum non sit; cur hoc in ipso negotio; cur hoc post negotium; aut quid factum de industria; aut quid rem ipsam consequutum sit; constetne oratio aut cum re, aut ipsa secum; hoc huiusne rei sit signum, an illius, an et huius et illius, et utrius potius; quid factum sit, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit. Quum animus hac intentione omnes totius negotii partes considerabit, tum illi ipsi in medium conservati loci procedent,

ad ea quae praecepta sunt comparationis modo; quae sine dubio spuria sunt, et a glossatore adiecta. Absunt vero praeter ultimum vocabulum a cod. Voss. e. Schol. Ernesti uncis inclusit. Sed *modo* quoque ab aliena manu est. In cod. Altorf. inverso ordine legitur: *modo comparationis.*

Quare considerare — oportebit) Forsan ab eodem glossatore, qui illa inculcaverat, haec quoque interiecta sunt.

Animus incedet) MSS. tres Lambini, Oudendorpii omnes, it. cod. Altorf. *animus incidet.* Neutrum tamen satis placet. Fortasse verius: *facilius autem ad inventionem animo incident;* ut pluralis huius verbi referatur ad *haec in utramque partem.* Sic Orat. II, c. 34 extr. *nihil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret atque incidet.*

Quod quaeque) Optimo iure Ernesti sic correxit vulg. *quid quaeque.*

An et huius et illius) Primum *et* recepit Ernesti ex Oudend. et suis MSS.

Tum illi ipsi in medium) Sensus est: Tum reconditi loci coniecturarum efferent se in lucem: et cum ex iis separatim sumptis, tum ex iis simul sumptis fient argumenta. PAVST.

Conservati loci procedent) Quid

de quibus ante dictum est; et tum ex singulis, tum ex coniunctis argumenta certa nascentur. Quorum argumentorum pars probabili, pars necessario in genere versabitur. Accedunt autem ad coniecturam saepe quaestiones, testimonia, rumores; quae omnia uterque simili via praeceptorum torquere ad suae causae commodum debebit. Nam et ex quaestione suspiciones, et ex testimonio, et ex rumore aliquo pari ratione, ut ex causa, et ex persona, et ex facto duci oportebit.

15. Quare nobis et ii videntur errare, qui hoc genus suspicionum, artificii non putant indigere, et ii, qui aliter hoc de genere, ac de omni coniectura praecipiendum putant. Omnis enim iisdem ex locis coniectura sumenda est. Nam et eius, quod in quaestione aliquid dixerit, et eius, quod in testimonio, et ipsius rumoris causa, et veritas ex iisdem attributionibus reperietur. Omni autem in causa pars argumentorum est adiuncta ei causae solum, quae dicitur, et ab ipsa ita ducta, ut ab ea separatim in omnes eiusdem generis causas transferri non satis commode possit; pars autem est pervagatior, et aut in omnes eiusdem generis, aut in plerasque causas accommodata. Haec ergo argumenta, quae transferri in multas causas possunt, locos communes nominamus. Nam locus communis aut certae rei quan-

conservati hic significare possit, ambigo. Forsan Cicero scripsit: *in medium universi loci procedent.*

Quaestiones) Id est, tormenta quae adhibito corporis cruciatu veritatem exprimunt. De quaestionibus his sive tormentis, itemque de testimoniis et rumoribus agit ex professo Quintil. lib. V, cap. 3, 4, 7. Cap.

Quae omnia) Vulg. *quae contra omnia.* Sed *contra* ineptum est, et recte delendum censuit Ernesti.

Nam et eius, quod in quaestione aliquis dixerit, et eius, quod in testimonio) Bis reposui *quod* pro vulgato *qui.* Nam non de causa et veritate eius, de quo quaestio habita est, vel eius, qui testimonium dixit, agitur, sed de veritate et causa eorum, quae in quaestione vel testimonio dicta sunt.

Dicitur) Vere sic MSS. Oudend. et edit. Omnib. Alii *dicetur*, sed futuro tempori hic non est locus.

dam continet amplificationem, ut si quis hoc velit ostendere: eum, qui parentem necarit, maximo supplicio esse dignum; quo loco, nisi perorata causa, non est utendum; aut dubiae, quae ex contrario quoque habeat probabiles rationes argumentandi; ut: suspicionibus credi oportere; et contra: suspicionibus credi non oportere. Ac pars locorum communium, per indignationem, aut per conquestionem inducitur, de quibus ante dictum est; pars per aliquam probabilem utraque ex parte rationem. Distinguitur autem oratio atque illustratur maxime, raro inducendis locis communibus, et aliquo loco, iam certioribus illis argumentis confirmatis. Nam et tum conceditur commune quiddam dicere, quum diligenter aliquis proprius causae locus tractatus est, et auditoris animus aut renovatur ad ea, quae restant, aut omnibus iam dictis exsuscitatur. Omnia enim ornamenta elocutionis, in quibus et suavitatis et gravitatis plurimum consistit, et omnia, quae in inventione verborum et sententiarum aliquid habent dignitatis, in communes locos conferuntur. Quare, non ut causarum, sic oratorum quoque multorum

Nisi perorata) Delevi, quod in edd. hic sequitur, *et probata*. Abest a codice Voss. c. Schol. et super *perorata* superscriptum est *confirmata et probata*, e quo facile intelligitur, *et probata* in aliis e glossa in textum immigrasse. Et sic Oudendorpio quoque visum.

Per indignationem) In edd. plerisque: *aut per indignationem*. Particulam *aut*, qua carent MSS. Oudend. omnes, Ernesti delevit.

Aliquo loco) Recte Ernesti interpretatus est *idoneo loco*; vel, ut scholion cod. Voss. explicat, *opportuno*; ut necesse non sit cum Purgoldo *apto loco* reponere.

Iam certioribus illis argumentis confirmatis) Sic editt. vett. ut Ald. ex Manutii correctione Venet. 1557. Vulgo: *iam certioribus illis auditoribus et argumentis confirmatis*. Sed vocem *auditoribus* cod. Voss. c. Schol. non habet nisi inter versus pro interpretatione, cum Victorino, qui *certioribus* ita supplet: « *scil. auditoribus* ». Itaque recte iudicavit Oudend., sicut edidimus, legendum esse: *certioribus argumentis* bene interp. Schol. cod. Voss. *propriis et causae ipsius*. Adstipulatur etiam similis Ciceronis locus Orat. III, 27: *Loci communes — quibus uti, confirmatis criminibus, oportet, aliter enim ieiuni sunt et inanes*.

communes loci sunt. Nam nisi ab iis, qui multa exercitatione magnam sibi verborum et sententiarum copiam comparaverint, tractari non poterunt ornate et graviter, quemadmodum natura ipsorum desiderat. Atque hoc sit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium.

16. Nunc exponemus, in coniecturalem constitutionem qui loci communes incidere soleant; suspicionibus credi oportere, et non oportere; rumoribus credi oportere, et non oportere; testibus credi oportere, et non oportere; quaestionibus credi oportere, et non oportere; vitam ante actam spectari oportere, et non oportere; eiusdem esse, qui in illa re peccarit, et hoc quoque admisisse, et non esse eiusdem; maxime spectari causam oportere, et non oportere. Atque hi quidem, et si qui eiusmodi ex proprio argumento communes loci nascentur, in contrarias partes deducentur. Certus autem locus est accusatoris, per quem auget facti atrocitatem; et alter, per quem negat malorum misereri oportere; defensoris, per quem calumnia accusatorum cum indignatione ostenditur; et per quem cum conquestione misericordia captatur. Hi, et ceteri omnes loci communes, ex iisdem praeceptis sumuntur, quibus ceterae argumentationes; sed illae tenuius et acutius et subtilius tractantur; hi autem gravius et ornatius et cum verbis, tum etiam sententiis excellentibus. In illis enim finis est, ut id, quod dicitur, verum esse videatur; in his, tametsi hoc quoque videri oportet, tamen finis est amplitudo. Nunc ad aliam constitutionem transeamus.

17. Quum est *nominis* controversia, quia vis voca-

Deducentur) In vulgatis inde ab Aldo *diducentur*. Male, Nam *in contrarias partes deducentur* idem est ac pariter ab accusatore ac defensore adhibebuntur.

buli definienda verbis est, constitutio *definitiva* dicitur. Eius generis exemplo nobis posita sit haec causa: « C. Flaminius is, qui consul rempublicam male gessit bello Punico secundo, quum tribunus plebis esset, invito senatu, et omnino contra voluntatem omnium optimatum, per seditionem ad populum legem agrariam ferebat. Hunc pater suus concilium plebis habentem de templo deduxit; arcessitur maiestatis. » Intentio est: *Maiestatem minuisti, quod tribunum plebis de templo deduxisti.* Depulsio est: *Non minui maiestatem.* Quaestio est: *Maiestatemne minuerit.* Ratio: *In filium enim quam habebam potestatem, ea usus sum.* Rationis infirmatio: *At enim, qui patria potestate, hoc est privata, tribunitiam, hoc est populi potestatem, infirmat, minuit is maiestatem.* Iudicatio est: *Minuatne is maiestatem, qui in tribunitiam potestatem patria potestate utatur.* Ad hanc iudicationem argumentationes omnes afferri oportebit.

18. Ac ne quis forte arbitretur, nos non intelligere, aliam quoque incidere constitutionem in hanc causam; eam nos partem solam sumimus, in quam praecepta nobis danda sunt. Omnibus autem partibus hoc in libro explicatis, quivis omni in causa, si diligenter attendet, omnes videbit constitutiones, et earum partes, et controversias, si quae forte in eas incident. Nam de omnibus perscribemus.

Primus ergo accusatoris locus est, eius nominis, cuius de vi quaeritur, brevis et aperta et ex hominum opinione definitio, hoc modo: « *Maiestatem minuere*

Qui patria potestate, hoc est privata, tribunitiam, hoc est populi potestatem, infirmat) Sic legendum recte censuit Oudend. Vulg. *hoc est privata quadam trib. potestatem hoc est p. p.*

Perscribemus) *praescribemus* MSS. Oudend. omnes, quod ille quidem praefert, nempe ut sit *praecepta dabimus*. Idem tamen fere sensus in *perscribemus*.

est de dignitate, aut amplitudine, aut potestate populi, aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare. » Hoc sic breviter expositum, pluribus verbis est et rationibus confirmandum, et ita esse, ut descripseris, ostendendum. Postea ad id, quod definieris, factum eius, qui accusabitur, adiungere oportebit, et ex eo, quod ostenderis esse, *maiestatem minuere*, docere, adversarium maiestatem minuisse, et hunc locum totum communi loco confirmare, per quem ipsius facti atrocitas, aut indignitas, aut omnino culpa cum indignatione augeatur. Post erit infirmanda adversariorum descriptio. Ea autem infirmabitur, si falsa demonstrabitur. Hoc ex opinione hominum sumetur, quum, quemadmodum, et quibus in rebus homines in consuetudine scribendi, aut sermocinandi eo verbo uti soleant, considerabitur. Item infirmabitur, si turpis, aut inutilis esse ostendetur eius descriptionis approbatio, et si, quae incommoda consequutura sint, ea concessa, demonstrabitur. Id autem ex honestatis et utilitatis partibus sumetur, de quibus in deliberationis praeceptis exponemus. Et si cum definitione nostra adversariorum definitionem conferemus, et nostram, veram, honestam, utilem esse demonstrabimus; illorum, contra. Quaeremus autem res, aut maiori, aut minori, aut pari in negotio similes, ex quibus affirmetur nostra

Quod ostenderis esse) Vulg. adiicitur *verbi causa*, quod spurium esse recte iudicavit Lambinus. Nam si novum aliquod Cicero proferret exemplum e multis electum, locum haberet *verbi causa*. Nunc quum in eodem illo exemplo *de maiestate minuenda* versetur, nec nunc demum de ea dicere incipiat, ridiculum esset *verbi causa* h. l. adiicere.

Descriptio) Hoc est, definitio eius vocabuli, cuius vis inquiritur, et significatio venit in controversiam. CAPPER.

Ea concessa) Ita sine dubio, auctore Lambino, legendum est. Nam e lectionibus codd. et edd. *eo concesso, et eis concessis* neutra est idonea: *ea concessa* refertur ad antecedens *descriptionis*.

Demonstrabitur) Hoc, auctore Oudend., e cod. Leid. 1 recepi pro vulg. *ostendetur*, ne bis idem verbum deinceps positum offenderet.

descriptio. Iam si res plures erunt definiendae; ut, si quaeratur: *Fur sit, an sacrilegus, qui vasa ex privato sacra surripuerit;* erit utendum pluribus definitionibus; deinde simili ratione causa tractanda. Locus autem communis in eius malitiam, qui non modo rerum, verum etiam verborum potestatem sibi arrogare conetur, ut et faciat quod velit, et id, quod fecerit, quo velit nomine appellet.

Deinde defensoris primus locus est item nominis brevis et aperta et ex opinione hominum descriptio, hoc modo: *Maiestatem minuere est aliquid de republica, quum potestatem non habeas, administrare.* Deinde huius confirmatio similibus et exemplis et rationibus. Postea sui facti ab illa definitione separatio. Deinde locus communis, per quem facti utilitas, aut honestas adaugetur. Deinde sequetur adversariorum definitionis reprehensio, quae iisdem ex locis omnibus, quos accusatori praescripsimus, conficietur; et cetera post eadem praeter communem locum inducentur. Locus autem communis erit defensoris is, per quem indignabitur, accusatorem sui periculi causa, non res solum convertere, verum etiam verba commutare conari. Nam illi quidem communes loci, qui aut calumniae accusatorum demonstrandae, aut misericordiae captandae, aut facti indignandi, aut a misericordia deterrendi causa sumuntur, ex periculi magnitudine, non ex causae genere, ducuntur. Quare non in omnem causam, sed in omne causae genus incidunt. Eorum mentionem in coniecturali constitutione fecimus. Inductione autem, quum causa postulabit, utemur.

19. Quum autem actio *translationis* aut *commutatio-*

Eorum mentionem — fecimus) Supra cap. 16 huius libri.

Inductione autem) Vulg. adduut eorum, quod recte abest MSS. aliquot Oud. Cass. Guelf. 1, et iam Ernesti eiecit.

nis indigere videtur, quod non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet, aut apud quos, qua lege, qua poena, quo crimine, quo tempore oportet, constitutio *translativa* appellatur. Huius nobis exempla permulta opus sint, si singula translationum genera quaeramus: sed quia ratio praeceptorum similis est, exemplorum multitudine supersedendum est. Atque in nostra quidem consuetudine multis de causis fit, ut rarius incidant translationes. Nam et praetoriis exceptionibus multae excluduntur actiones, et ita ius civile habemus constitutum, ut causa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. Quare in iure plerumque versantur. Ibi enim et exceptiones postulantur, et quodammodo agendi potestas datur, et omnis conceptio privatarum

Quia ratio praeceptorum similis est) Inutilis est coniectura Purgoldi, qui pro *similis* legi vult *facilis*. Cicero enim hoc innuit, non opus esse ad singula translationum genera singulis exemplis, quia ratio praeceptorum in omnibus similis sit. Hoc explicatione sua firmat Marius Victorinus: *Quum enim praecepta in omni genere translationis eadem sint, ad diversitatem frustra exempla quaerentur. Eadem enim praeceptorum ratio in omnibus translationis partibus et ubique servabitur.* Si quid mutandum esset, praeferrem doctissimi *Iacobsii* emendationem, in censura animadversionum Purgoldi propositam (*Allg. Lit. Zeit.* 1802 scida 250), ut legeretur: *ratio praeceptorum simplex est.* Enimvero *similis* eundem sensum parit; et eodem modo positum occurrit c. 32 init.

Praetoriis exceptionibus) excipere, proprie est detrahere: et inde dicta exceptio est, quod partem aliquam de universo actoris iure detrahat vulgari formula *Nisi si*, vel *Si non*, vel *Extra quam*; quasi defensor aliqua ex parte veram esse actoris intentionem fateretur, sed tamen cum exceptione. *Praetoriae* exceptiones erant, quia Praetor exposita causa actionis formulam praescribebat. PRVST.

Conceptio privatarum actionum) Sic fidenter rescripsi pro vulg. *conceptio privatorum iudiciorum.* Nam actiones quidem concipiuntur et formulae, at iudiciorum nulla est conceptio. Ac si Cicero scripsisset *privatorum iudiciorum*, deinceps scribere debuisset: *in publicis autem iudiciis rarius incidunt.* Nunc autem quum scripserit *in ipsis autem iudiciis*, intelliguntur iudicia publica, quae proprie et κατ' ἐξοχὴν dicuntur iudicia, hisque opponitur antea, *in iure* i. e. in iurisdictione civili et praetoria, quae item proprie *iurisdictio* appellatur. Ceterum ad h. l. recte intelligendum haec insuper notanda sunt. Cicero docet, ex Romanorum consuetudine s. more rarius omnino incidere translationes s. causas translativas; et in causis privatis quidem quod rarius incidant, has

actionum constituitur. In ipsis autem iudiciis rarius incidunt, et tamen si quando incidunt, eiusmodi sunt, ut per se minus habeant firmitudinis; confirmentur autem assumta alia aliqua constitutione. Vt in quodam iudicio, quum venefici cuiusdam nomen esset delatum, et, quia parricidii causa subscripta esset, extra ordinem esset acceptum, quum in accusatione alia quaedam crimina testibus et argumentis confirmarentur, parricidii autem solum mentio facta esset. Defensor in hoc ipso multum oportet et diu consistat: quum de nece parentis nihil demonstratum sit, indignum facinus esse, ea poena afficere eum, qua parricidae afficiuntur; id autem, si damnetur, fieri necesse esse, quoniam et id causae subscriptum, et ea re nomen extra ordinem sit acceptum. Ea igitur poena si affici reum non oporteat, damnari quoque non oportere, quoniam ea poena damnationem necessario consequatur. Hic defensor

esse causas, quod et praetoriis exceptionibus multae excludantur actiones, et secundum ius civile causa cadat is, qui non, quemadmodum oporteat, egerit. Si quae tamen incidant translationes, eas in iure (civili) plerumque versari. — In ipsis autem iudiciis publicis rarius etiam (quam in privatis) incidere; et si quando incidant, per se minus habere firmitudinis, confirmari autem assumta alia quadam constitutione. — *Conceptio*) A iureconsultis dicitur formula. PAVST.

Assumpta alia aliqua constitutione) Id est, assumendo quemdam alium statum quaestionis. CAPPER.

Vt in quodam iudicio — esset. Defensor) Hac interpunctione ἀνακολουθίαν illam evitamus, quam Ernesti observavit in his verbis inesse, si sic, ut vulgo fit, distinguantur: *ut in quodam iudicio — esset; defensor* etc. Ante vocabulum *defensor* tamen videntur excidisse verba: *Hoc in genere causae*, vel similia, quibus Cicero post exemplum causarum expositum uti solet.

Multum oportet et diu consistat) Ita cod. Voss. c. Schol. Leid. 2, quam lectionem vulgatae *oportet ut* recte Oudend. et Ernesti praetulerunt.

Afficiuntur) Indicativus hic servandus, etsi coniunctivum requiri putabat Ernesti. Idem bene *damnatur* pro *damnaretur* dedit.

Ea re) Ita MSS. Oud. omnes, melius quam vulg. *ex ea re*.

Nomen extra ordinem) Nempe iudicia de criminibus eo ordine, quo erant delata, habebantur: si vero atrocius crimen esset, ut parricidii, extra ordinem nomen accipiebatur, et iudex extraordinarius dabatur.

poenae commutationem ex translativo genere inducendo, totam infirmabit accusationem. Verumtamen ceteris quoque criminibus defendendis coniecturali constitutione translationem confirmabit.

Exemplum autem translationis in causa nobis positum sit huiusmodi: « Quum ad vim faciendam quidam armati venissent, armati contra praesto fuerunt, et cuidam equiti Romano quidam ex armatis, resistenti gladio manum praecidit. Agit is, cui manus praecisa est, iniuriarum. Postulat is, quicum agitur, a praetore exceptionem, EXTRA QVAM IN REVM CAPITIS PRAEIVDICIVM FIAT. » Hic is, qui agit, iudicium purum postulat; ille, quicum agitur, exceptionem addi, ait, oportere. Quaestio est: *Excipiendum sit, an non?* Ratio: « Non enim oportet, in recuperatorio iudicio, eius maleficii, de quo inter sicarios quaeritur, praeiudicium fieri. » Infirmatio rationis; « Eiusmodi sunt iniuriae, ut de his indignum sit non primo quoque tempore iudicari. » Iudicatio: « Atrocitas iniuriarum satisne causae sit, quare, dum de ea iudicetur, de aliquo maiore maleficio, de quo iudicium comparatum sit, praeiudicetur. » Atque exemplum quidem hoc est.

Criminibus defendendis) h. e. propulsandis; ut *iniuriam oportere defendi* Cic. pro Rosc. Amer. 1.

Coniecturali constitutione translationem confirmabit) Id est, confirmabit translativam illam causae constitutionem, movendo quaestionem facti, vel de facto. CAPPER.

Exemplum autem translationis in causa nobis positum sit huiusmodi) Fortasse Cicero scripsit: *Exemplum autem translationis in causa positae sit nobis huiusmodi*: *ut translatio in causa posita* sit eiusmodi causa translativa, quae per se satis habeat firmitudinis, nec alia quadam constitutione assumta debeat confirmari, ut in priore exemplo.

In reum capitis praeiudicium fiat) Quia nimirum is, qui equiti Romano manum praeciderat, praeter hanc atrocem iniuriam, caedis quoque factae vel reus erat, vel certe suspectus; ut se ab illa saltem actione iniuriarum liberaret, postulabat a praetore exceptionem: *extra quam in reum capitis praeiudicium fiat*; h. e. nisi, antequam de ista iniuriarum actione iudicetur, reus ob maleficium, de quo inter sicarios quaeritur, iudicandus

20. In omni autem causa ab utroque quaeri oportebit, a quo, et per quos, et quo modo, et quo tempore aut agi aut iudicari, aut quid statui de ea re conveniat. Id ex partibus iuris, de quibus post dicendum est, sumi oportebit, et ratiocinari, quid in similibus rebus fieri soleat, et videre, utrum malitia aliud agatur, aliud simuletur, an stultitia; an necessitudine, quod alio modo agi non possit, an occasione agendi sic sit iudicium aut actio constituta; an recte, sine ulla re eiusmodi agatur. Locus autem communis contra eum, qui translationem inducet, fugere iudicium ac poenam, quia causae diffidat. A translatione autem: rerum omnium fore perturbationem, si non ita res agantur, et in iudicium veniant, quo pacto oporteat; hoc est, si aut cum eo agatur, quicum non oporteat, aut alia poena, alio crimine, alio tempore: atque hanc rationem ad perturbationem iudiciorum omnium pertinere. Tres igitur eae constitutiones, quae partes non habent, ad hunc modum tractabuntur. Nunc generalem constitutionem, et partes eius consideremus.

esset. *Recuperatorium iudicium* est, in quo iudices dantur iniuriis aestimandis, qui *recuperatores* dicti sunt.

In recuperatorio iudicio) Recuperatorium iudicium dicebatur, quod ferebant Recuperatores. Hi porro iudices quidam erant a Praetore privatis in controversiis de re qualibet dati; quos etiam a recuperando ita vocatos aiunt, quod per eos suum quisque ius recuperare posset, vel quod de bonorum inique ablatorum recuperatione, aestimandisque iniuriis cognoscerent. CAPPER.

Vtrum malitia aliud agatur) Sic cod. Voss. c. Schol. Laud. Guelf. 2, utique verius, quam ut vulgo olim edebatur: *utrum malitia quid aliud agatur.*

An recte, sine ulla re eiusmodi agatur) Delevi *res* ante *agatur*, quod est in MSS. et edd. Sed hic, ubi quaeritur, an aliquis ita, uti oportet, egerit, aptius erat *agitur* absolute poni.

Rerum omnium fore perturbationem) Addidi *rerum*, quod abest in codd. et edd. Ernesti putabat *iudiciorum* excidisse. Verum sic exsisteret insuavis tautologia, nam statim sequitur: *atque hanc rationem ad perturbationem iudiciorum omnium pertinere.*

Tres igitur eae constitutiones) nempe *coniecturalis* c. 4 sqq. *definitiva* c. 17 sqq. *translativa* c. 19 sq.

21. Quum et facto, et facti nomine concesso, neque ulla actionis illata controversia, *vis* et *natura* et *genus negotii ipsius* quaeritur, constitutionem *generalem* appellamus. Huius primas esse partes duas nobis videri diximus, negotialem et iuridicialem.

Negotialis est, quae in ipso negotio iuris civilis habet implicatam controversiam. Ea est huiusmodi: *Quidam pupillum heredem fecit; pupillus autem ante mortuus est, quam in suam tutelam veniret. De hereditate ea, quae pupillo venit, inter eos, qui patris pupilli heredes secundi sunt, et inter agnatos pupilli controversia est. Possessio heredum secundorum est.* Intentio est agnatorum: *Nostra pecunia est, de qua is, cuius agnati sumus, testatus non est.* Depulsio est: *Immo nostra, qui heredes secundi testamento patris sumus.* Quaestio est: *Vtrorum sit?* Ratio est: *Pater enim et sibi et*

Neque ulla actionis illata controversia) h. e. neque per constitutionem translativam ex causis c. 19 init. expositis, adversario, ut actio transferatur, aut commutetur, postulante.

Primas esse partes) h. e. quod nos dicimus *Oberabtheilung*. Nam constitutio generalis in negotialem et iuridicialem dividitur. Iuridicialis deinde in absolutam et assumtivam.

Videri diximus) Lib. I, c. 11.

Quidam pupillum heredem fecit) Vt haec causa magis dilucidetur, nominibus fictis utamur. Sempronius quidam Caii filium pupillum Titium heredem fecit. Hic Titius moritur, antequam in suam tutelam venisset. Pater Caius postea moritur, et in testamento eius heredes secundi filio substituti sunt Curtii. Inter hos Curtios et Titii agnatos de hereditate ea, quae pupillo a Sempronio venerat, controversia est.

Ante - quam - veniret) Iniuria Ernesti *venisset* reposuit. Cf. Cl. Conr. Heusingeri praef. ad Cic. de offic. p. 58, 59.

Quam in suam tutelam, etc.) Id est antequam pubes factus esset, et testari posset: *in suam* enim *tutelam* venire, vel *suae tutelae fieri*, nihil aliud est quam ad pubertatem venire. l. *si filiaefamilias* 51 *ff. de legat.* III, l. 5 §. 2 *ff. quibus ex causis in possessionem*. Gothofr.

Quae pupillo venit) nempe non de hereditate paterna, sed de adventicia, ex eius, qui pupillum heredem fecerat, testamento.

Intentio) petitio, postulatio. E. T.

Is, cuius agnati sumus) scil. pupillus, antequam in suam tutelam veniret, defunctus.

Depulsio) recusatio, denegatio. E.T.

Ratio est) scil. quam patris heredes secundi afferunt ad depulsionem firmandam.

filio testamentum scripsit, dum is pupillus esset. Quare, quae filii fuerunt, testamento patris nostra fiant necesse est. Infirmatio est rationis: *Immo pater sibi scripsit, et secundum heredem non filio, sed sibi iussit esse. Quare, praeterquam quod ipsius fuit, testamento illius vestrum esse non potest.* Iudicatio: *Possitne quisquam de filii pupilli re testari: an heredes secundi, ipsius patrisfamilias, non filii quoque eius pupilli heredes sint.*

Atque hoc non alienum est, quod ad multa pertineat, ne aut nusquam, aut usquequaque dicatur, hic admonere. Sunt causae, quae plures habent rationes in simplici constitutione: quod fit, quum id, quod factum est, aut quod defenditur, pluribus de causis rectum, aut probabile videri potest, ut in hac ipsa causa. Supponatur enim ab heredibus haec ratio: *Vnius enim pecuniae plures, dissimilibus de causis, heredes esse non possunt, nec unquam factum est, ut eiusdem pecuniae alius testamento, alius lege heres esset.* Infirmatio haec erit: *Non est una pecunia, propterea quod altera iam erat pupilli adventitia; cuius heres non, illo tempore, testamento quisquam scriptus erat, si quid pupillo accidisset; et de altera patris etiam nunc mor-*

Et sibi, et filio) Patri enim licebat et suo et impuberis filii nomine testamentum facere.

Quod ipsius fuit, *testamento illius*) *Ipsius*, intellige *patris*, minime autem, quod Ernesti putabat, *filii*. « Vulgo: *quod ipsius fuit in testamento ullius vestrum*, sine sensu. Interpunxi post *fuit*: *in* delevi, et pro *ullius* dedi *illius*, auctoribus MSS. et edd. pr. in quibus tantum vitiosa est interpunctio. Aldus primus dedit *ullius*, vitio, ut opinor, operarum. » Hactenus Ernesti, qui rem bene, Oudendorpium sequutus, administravit, nisi quod *ullius vestrum* sensu carere frustra negavit.

Possitne — heredes sint) i. e. possitne pater aliquis de filii pupilli re, de eius bonis adventiciis testari, ita ut heredes patris secundi etiam in filii bona adventicia succedant; an potius verum sit, heredes secundos patris familias non filii quoque eius heredes esse.

Atque hoc non alienum est) Fortasse scripsit Cicero: *Atque hoc loco non alienum est — pertineat, admonere.*

Supponatur enim — heres esset; infirmatio) Verior interpunctio Ernestio

tui voluntas plurimum valebit, quae illam mortuo pupillo suis heredibus concedebat. Iudicatio est: *Vnane pecunia fuerit.* At, si hac erunt usi infirmatione: *Posse plures esse unius pecuniae heredes dissimilibus de causis;* de eo ipso iudicatio nascetur: *Possintne eiusdem pecuniae plures dissimilibus generibus esse heredes.* Ergo una in constitutione intellectum est, quomodo et rationes et rationum infirmationes et praeterea iudicationes plures fiant.

22. Nunc huius generis praecepta videamus. Vtrisque, aut etiam omnibus, si plures ambigent, ius ex quibus rebus constet, est considerandum. Initium ergo eius ab natura ductum videtur; quaedam autem ex utilitatis ratione aut perspicua nobis, aut obscura, in consuetudinem venisse; post autem, approbata quaedam a consuetudine aut vero utilia visa, legibus esse firmata. Ac *naturae* quidem *ius* esse, quod nobis non opinio, sed quaedam innata vis afferat, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. *Religionem,* eam, quae in metu et caerimonia deorum sit, appellant; *pietatem,* quae erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine coniunctos officium

debetur. Antea sic: *Supponatur — heres esset. Infirmatio* etc.

Valebit) Sic necessario ad sensum e MS. Cass. Gu. legendum est, non, ut vulgo, *valebat.* Ordo est: *Etiam nunc valebit patris mortui voluntas.*

Quae illam) Ita rescripsi pro vulg. *quae iam*, quod h. l. sensu caret; nisi velis lectionem cod. Leid. 3, *cedebat* asciscere: *quae iam mortuo pupillo suis* i. e. patris *heredibus cedebat.* Quae tamen verborum constructio perplexa est et ambigua.

Approbata quaedam a consuetudine aut vero utilia visa) Hanc lectionem, post Lambinum ab Oliveto et Lall. receptam, verissimam esse iudico. Vulgo: *approbata quaedam aut a consuetudine aut a vero utilia visa.* At primum illud *aut* alieno loco inculcatum recte abest a compluribus MSS. Oud. *a vero* Ernesti quidem intp. *propter veritatem.* Simplicius tamen est *aut vero* exponere, ut Gallorum *ou bien*, aut nostrum *oder aber.* Nam quaedam consuetudine approbantur, etiamsi non sint utilia visa.

Ius esse) Ita recte monuit scribendum esse Gronovius. Olim falso *ius est.* Confirmant *esse* codd. Gronov., Oud., Cass.

conservare moneat; *gratiam*, quae in memoria, et remuneratione officiorum, et honoris, et amicitiarum, observantiam teneat; *vindicationem*, per quam vim, et contumeliam, defendendo, aut ulciscendo, propulsamus a nobis, et a nostris, qui nobis esse cari debent, et per quam peccata punimus; *observantiam*, per quam aetate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes veremur, et colimus; *veritatem*, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmaverimus, fiat, aut factum aut futurum sit. Ac naturae quidem iura minus ipsa quaeruntur ad hanc controversiam, quod neque in hoc civili iure versantur, et a vulgari intelligentia remotiora sunt; ad similitudinem vero aliquam, aut ad rem amplificandam saepe sunt inferenda. *Consuetudinis* autem *ius* esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobarit. In eo autem iura sunt quaedam *ipsa* iam certa propter vetustatem; quo in genere et alia sunt multa, et eorum multo maxima pars, quae praetores edicere consueverunt; quaedam autem *genera* iuris etiam certa consuetudine facta sunt; quod genus pactum, par, iudicatum. *Pactum* est, quod inter aliquos convenit, quod iam ita iustum putatur, ut iure praestare dicatur. *Par*,

Veremur) Hoc non est quod mutetur, etsi quidam codd. *veneramur*, alii *reveremur* habent.

Minus ipsa) i. e. per se ipsa minus veniunt in controversiam: *an und für sich selbst*; sed tamen ad similitudinem aliquam, aut ad rem amplificandam interdum inferuntur.

In eo autem) scil. *iure consuetudinis*. Vulg. *in ea* non habet, quo referatur.

Iura sunt quaedam ipsa iam certa) *Iura ipsa* hic dicuntur *singularia*, et opponuntur *generibus iurium*; e. c. *pactum* est aliquod genus iuris. Quod autem emtio potior habetur conductione, (ut nostri dicunt: *Kauf bricht Miethe*) hoc est *ipsum* quoddam ius, s. ius singulare. *Certa* autem iura sunt, de quibus ambigi non potest. Ceterum conf. de Inv. II, 53.

Vt iure praestare dicatur) Sic Ernesti hic quoque, ut ad Herenn. II, 13 edere debebat, non *ut iure praestari*. Vtroque loco lectio a nobis recepta etiam cod. Altorf. confirmatur. Eandem codd. aliquot Oudend. prae-

quod in omnes aequabile est. *Iudicatum*, de quo iam ante sententia alicuius, aut aliquorum constitutum est. Iam *iura legitima* ex legibus cognosci oportebit. His ergo ex partibus iuris, quidquid aut ex ipsa re, aut ex simile, aut ex maiore minoreve nasci videbitur, attendere, atque elicere pertentando unamquamque partem iuris oportebit. Locorum autem communium, quoniam (ut ante dictum est) duo sunt genera, quorum alterum dubiae rei, alterum certae continet amplificationem, quid ipsa causa det, et quid augeri per communem locum possit et oporteat, considerabitur. Nam certi, qui in omnes incidant, loci, praescribi non possunt: in plerisque fortasse ab auctoritate iurisconsultorum, et contra auctoritatem dici oportebit. Attendendum est autem et in hac, et in omnibus, num quos locos communes, praeter eos, quos exposuimus, ipsa res ostendat. Nunc iuridiciale genus et partes eius consideremus.

23. *Iuridicialis* est, in qua aequi et iniqui natura, et praemii aut poenae ratio quaeritur. Huius partes sunt duae, quarum alteram absolutàm, assumtivam alteram nominamus. *Absoluta* est, quae ipsa in se, non ut negotialis implicite et abscondite, sed patentius et expeditius recti et non recti quaestionem continet. Ea est huiusmodi: *Quum Thebani Lacedaemonios bello superavissent, et fere mos esset Graiis, quum inter se bellum gessissent, ut ii, qui vicissent, tropaeum aliquod in finibus statuerent, victoriae modo in praesentia declarandae causa, non ut in perpetuum belli memoria*

bent, qui tamen ex aliis malebat *iura praestare.*

Dici oportebit) « MSS. Oud. habent *duci*, et sic edd. pr., idque defendit Oudend., tanquam loci duci debeant ab *auctoritate* ICtorum. Sed ut hoc intelligi possit, tamen alterum *contra auctoritatem* non convenit. Saepe est in his *dicere ab et contra*, i. e. defendere et refellere. Itaque vulgatum servandum. » Hactenus Ernesti; qui sine dubio verum vidit. Lambinus dedit: *pro auctoritate iurisconsultorum*. Sed illud *pro* ex interpretatione τοῦ *ab* natum videtur.

maneret; aeneum statuerunt tropaeum. Accusantur apud Amphictyonas. Intentio est: *Non oportuit.* Depulsio est: *Oportuit.* Quaestio est: *Oportueritne?* Ratio est: *Eam enim ex bello gloriam virtute peperimus, ut eius aeterna insignia posteris nostris relinquere vellemus.* Infirmatio est: *Attamen aeternum inimicitiarum monumentum Graios de Graiis statuere non oportet.* Iudicatio est: *Quum summae virtutis celebrandae causa Graii de Graiis aeternum inimicitiarum monumentum statuerint, rectene, an contra fecerint.* Hanc ideo rationem subiecimus, ut hoc causae genus ipsum, de quo agimus, cognosceretur. Nam si eam supposuissemus, qua fortasse usi sunt: *Non enim iuste, neque pie bellum gessistis*; in relationem criminis delaberemur, de qua post loquemur. Vtrumque autem causae genus in hanc causam incidere perspicuum est. In hanc argumentationes ex iisdem locis sumendae sunt, atque in causam negotialem, qua de ante dictum est. Locos autem communes et ex causa ipsa, si quid inerit indignationis aut conquestionis, et ex iuris utilitate, et natura multos et graves sumere licebit, et oportebit, si causae dignitas videbitur postulare.

24. Nunc *assumtivam* partem iuridicialis consideremus. *Assumtiva* igitur tum dicitur, quum ipsum ex se factum probari non potest; aliquo autem foris adiuncto argumento defenditur. Eius partes sunt quatuor; comparatio, relatio criminis, remotio criminis, concessio.

Comparatio est, quum aliquod factum, quod per se ipsum non sit probandum, ex eo, cuius id causa

Amphictyonas) Vulgo additur: *id est apud commune Graeciae concilium.* Hoc autem glossatoris emblema esse vidit Lambinus, cui Oudendorpius (qui Alcuini locum p. 363, ad partes vocat) assentitur, nec Ernesti se valde repugnare ait.

Ex eo) Vulg. *et ex eo.* Sed copula hic prorsus inepta est.

factum est, defenditur. Ea est huiusmodi: *Quidam imperator, quum ab hostibus circumsideretur, neque effugere ullo modo posset, depactus est cum eis, ut arma et impedimenta relinqueret, milites educeret; itaque fecit; armis et impedimentis amissis, praeter spem milites conservavit. Accusatur maiestatis.* Incurrit huc definitio. Sed nos hunc locum, de quo agimus, consideremus. Intentio est: *Non oportuit arma et impedimenta relinquere.* Depulsio est: *Oportuit.* Quaestio est: *Oportueritne?* Ratio est: *Milites enim omnes periissent.* Infirmatio est, aut coniecturalis: *Non periissent;* aut altera coniecturalis: *Non ideo fecisti;* ex quibus sunt iudicationes: *Periissentne?* et: *Ideone fecerit?* aut haec comparativa, cuius nunc indigemus: *At enim satius fuit amittere milites, quam arma et impedimenta hostibus concedere.* Ex qua iudicatio nascitur: *Quum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venisset, utrum satius fuerit amittere milites, an ad hanc conditionem venire?*

25. Hoc causae genus et ex suis locis tractare opor-

Incurrit huc definitio) Id est, potest hic etiam constitutione definitiva orator uti. Post haec verba olim in quibusdam edd., ut Victor. addebantur ista: *quid sit laedere maiestatem*, in quibus recte Lambinus glossatoris manum agnovit, praesertim quum latine non dicatur *laedere maiestatem*, sed *minuere*.

Definitio) Id est, quaestionis oratoriae statos, cui nomen *Definitiva constitutio*, ὅρος, ὁρισμός. Capper.

Aut coniecturalis) Lambin. *aut haec coniecturalis.* Sed pronomen sic rectius omittitur. Secus est in altero membro: *aut haec comparativa*, ibi enim respondet: *cuius nunc indigemus.*

Coniecturalis) Id est, movendo quaestionem facti vel de facto. Cap.

Ad hanc pactionem venisset) Vulg. *venissent*; quod iure improbavit Gronovius, quum haec pactio militum non fuerit, neque hi se excusent de pactione quadam sua, sed, ut ante dixit, ipse imperator; ideoque *venissem* legendum esse coniecit. Sed cur *venissem*, ac non potius *venisset*? In iudicationibus enim non reus ipse loquens inducitur, sed de eius causa iudices quaerentes. Itaque post *venisset* intelligendum est *res*, ut alibi, e. c. cap. 31: *quum id fecerit, quod non oportuerit, et id non oportere nescierit, sitne supplicio dignus.* Ergo hic et postea rescripsi *venisset.*

Hoc causae genus et ex suis locis

tebit, et adhibere ceterarum quoque constitutionum rationem atque praecepta; ac maxime coniecturis faciendis infirmare illud, quod cum eo, quod crimini dabitur, ii, qui accusabuntur, comparabunt. Id fiet, si aut id, quod dicent defensores futurum fuisse, nisi id factum esset, quo de facto iudicium est, futurum fuisse negabitur; aut si alia ratione, et aliam ob causam, ac dicet se reus fecisse, demonstrabitur esse factum. Eius rei confirmatio, et item contraria de parte infirmatio ex coniecturali constitutione sumetur.

Sin autem certo nomine maleficii vocabitur in iudicium, sicut in hac causa (nam maiestatis arcessitur), definitione et definitionis praeceptis uti oportebit. Atque hoc quidem plerumque in hoc genere accidit, ut et coniectura et definitione utendum sit. Sin aliud quoque aliquod genus incidet, eius generis praecepta licebit huc pari ratione transferre. Nam accusatori maxime est in hoc elaborandum, ut id ipsum factum, propter quod sibi reus concedi putat oportere, quam plurimis infirmet rationibus. Quod facile erit, si quam plurimis constitutionibus aggredietur id improbare.

tractare oportebit) Vulgo obscurius legitur: *hoc causae genus ex his locis tractari oportebit*. Nam quinam sunt hi loci? *ex suis locis*, i. e. ex locis comparationi propriis, legendum esse, perspicitur ex verbis, quae infra sequuntur: *Ipsa autem comparatio separata a ceteris generibus controversiarum sic ex sua vi* (h. e. ex suis locis) *considerabitur* etc.

Ex coniecturali constitutione) Id est, ex eo quaestionis oratoriae statu, quem vulgo vocamus *facti* vel *de facto quaestionem*. Graeci Rhetores στοχασμὸν, στοχαστικὴν στάσιν. Capper.

Atque hoc quidem plerumque in hoc genere accidit) Lambin. in textu: *atque haec quidem plerumque in hoc genere incidunt*. Tres eius MSS. habebant *in hoc genere incidunt*. Emendandum vero ipse censebat: *atque hoc quidem plerumque in hoc genere accidit*. Et hoc quidem optimum ac facillimum est. Suffragantur codd. Pall. Gruteri, nisi quod vitiose est *hoc — accidunt*.

Coniectura et definitione) Hoc est, iis quaestionum oratoriarum statibus, quorum alter vocatur *coniecturalis*, στοχασμός, vulgo *facti quaestio*; alter definitivus, ὅρος, ὁρισμός. Capper.

Facile erit — aggredietur) Futurum habent codd. plerique Oudend. alii *aggrediatur*, alii *aggreditur*. Vl-

Ipsa autem comparatio, separata a ceteris generibus controversiarum, sic *ex sua vi* considerabitur, si illud, quod comparabitur, aut non honestum, aut non utile, aut non necessarium fuisse, aut non tantopere utile, aut non tantopere honestum, aut non tantopere necessarium demonstrabitur. Deinde oportet accusatorem, illud, quod ipse arguit, ab eo, quod defensor comparat, separare. Id autem faciet, si demonstrabit, non ita fieri solere, neque oportere, neque esse rationem, quare hoc propter hoc fiat, ut, propter salutem militum, ea, quae salutis causa comparata sunt, hostibus tradantur. Postea comparare oportebit cum beneficio maleficium, et omnino id, quod arguitur, cum eo, quod factum ab defensore laudatur, aut faciendum fuisse demonstratur, contendere, et hoc extenuando, maleficii magnitudinem simul adaugere. Id fieri poterit, si demonstrabitur, honestius, utilius, magis necessarium fuisse id, quod vitarit reus, quam illud, quod fecerit. Honesti autem, et utilis et necessarii vis et natura in deliberationis praeceptis cognoscetur. Deinde oportebit ipsam illam comparativam iudicationem exponere, tanquam causam deliberativam, et de ea ex deliberationis praeceptis

timum recepit Ernesti, quia praecedebat *facile est*. Sed in his plerumque futuro tempore utitur Cicero; itaque ad futurum *aggredietur* accommodavimus futurum *erit*.

Aut non tantopere necessarium demonstrabitur) Vox ultima abest a MSS. plerisque, quod recte aspernatus est Ernesti, qui aequo iure delevit *fuisse* ante *demonstrabitur*. Nam h. l. id repetere non erat necesse.

Arguit) Vulgo *arguat*. Sed indicativum poscit consecutio.

Quare hoc propter hoc fiat, ut, propter salutem militum, ea — — tradantur) Fortasse legendum: *quare propter hoc fiat; ut, cur propter — — tradantur.*

Arguitur — laudatur — demonstratur) Vulgo: *arguitur — laudabitur — demonstrabitur*. Sed *laudatur* Ernesti e cod. Guelf. 2 recepit, et favent huic lectioni MSS. cod. Voss. c. Schol. Voss. 1, 2, qui recte quoque mox habent *demonstratur*.

Fuisse id, quod) Hoc recte recepit Ernesti e cod. Leid. pro vulg. *illud, quod*.

Honesti — cognoscetur) Infra c. 53 sqq.

deinceps dicere. Sit enim haec iudicatio, quam ante exposuimus: *Quum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pactionem venisset, utrum satius fuerit perire milites, an ad hanc pactionem venire.* Hoc ex locis deliberationis, quasi aliquam in consultationem res veniat, tractari oportebit.

Defensor autem, quibus in locis ab accusatore aliae constitutiones erunt inductae, in iis ipse quoque ex iisdem constitutionibus defensionem comparabit; ceteros autem omnes locos, qui ad ipsam comparationem pertinebunt, ex contrario tractabit.

Loci communes erunt, accusatoris, in eum, qui quum de facto turpi aliquo, aut inutili, aut utroque fateatur, quaerat tamen aliquam defensionem; et facti inutilitatem, aut turpitudinem cum indignatione proferre; defensoris, nullum factum inutile, neque turpe, neque item utile, neque honestum putari oportere, nisi quo animo, quo tempore, qua de causa factum sit, intelligatur; qui locus ita communis est, ut bene tractatus in hac causa, magno ad persuadendum momento futurus sit; et alter locus, per quem magna cum amplificatione, beneficii magnitudo ex utilitate, aut honestate, aut facti necessitudine demonstratur; et tertius, per quem res expressa verbis, ante oculos eorum, qui audiunt, ponitur, ut ipsi se quoque idem facturos fuisse arbitrentur, si sibi illa res, atque ea faciendi causa per idem tempus accidisset.

26. *Relatio criminis* est, quum reus id, quod ar-

Ad ipsam comparationem) Hoc est, ad eum qualitatis assumptivae statum, cui nomen *comparatio*, *ἀντίστασις*. CAPPER.

Loci communes) Quod in edd. recentioribus additur *autem*, id a MSS. plerisque et edd. pr. abest, et recte delevit Ernesti.

Defensoris) Vulgo male addebatur *est*, quod Ernesti eiecit, omninoque vitiosam verborum, *Loci communes — accidisset*, interpunctionem bene correxit; quem sequutus sum.

Relatio criminis) Graeci vocant *ἀντέγκλημα*, quasi dicas *recriminationem*. CAPPER.

guitur, confessus, alterius se inductum peccato, iure fecisse demonstrat. Ea est huiusmodi: *Horatius, occisis tribus Curiatiis, et duobus amissis fratribus, domum se victor recepit. Is animadvertit sororem suam de fratrum morte non laborantem, sponsi autem nomen appellantem identidem Curiatii cum gemitu et lamentatione. Indigne passus, virginem occidit. Accusatur.* Intentio est: *Iniuria sororem occidisti.* Depulsio est: *Iure occidi.* Quaestio est: *Iurene occiderit.* Ratio est: *Illa enim hostium mortem lugebat, fratrum negligebat; me et populum romanum vicisse moleste ferebat.* Infirmatio est: *Tamen a fratre indemnatam necari non oportuit.* Ex qua iudicatio fit: *Quum Horatia fratrum mortem negligeret, hostium lugeret, fratris et populi romani victoria non gauderet, oportueritne eam a fratre indemnatam necari?*

27. Hoc in genere causae primum si quid ex ceteris dabitur constitutionibus, sumi ab accusatore oportebit, sicut in comparatione praeceptum est; postea si qua facultas erit, per aliquam constitutionem illum, in quem crimen transfertur, defendere; deinde levius esse, quod in alterum peccatum reus transferat, quam quod ipse susceperit; postea translationis partibus uti, et ostendere, a quo, et per quos, et quo modo, et quo tempore aut agi, aut iudicari, aut statui de ea re convenerit; ac simul ostendere, non oportuisse ante sup-

Curiatiis — Curiatii) *Curiatibus* Voss. 1, 2, Leid. 1, 2, ed. Omnib. Postea iidem *Curiatus.*

Ab accusatore) Haec verba ex ed. Lambini restituimus, quia semper diserte accusatoris partes defensoris partibus opponuntur.

Levius esse) *Illud* vulgo additum auctoritate cod. Voss. delevit Ernesti.

Translationis) Quam Tullius alibi vocat *translativam causae constitutionem*, Graeci *μετάληψιν*, et aliquando *παραγραφήν*. Tunc autem locum habet hic quaestionis oratoriae status, quum litigantium alter contendit non apud hos iudices, aut non hoc tempore, aut non hac lege secum agi oportere. Capper.

pliciun, quam iudicium, interponere. Tum leges quoque et iudicia demonstranda sunt, per quae potuerit id peccatum, quod sponte sua reus punitus sit, moribus et iudicio vindicari. Deinde negare debebit, audiri oportere id, quod in eum criminis conferatur, de quo is ipse, qui conferat, iudicium fieri noluerit; et id, quod iudicatum non sit, pro infecto haberi oportere; postea impudentiam demonstrare eorum, qui eum nunc apud iudices accusent, quem sine iudicibus ipsi condemnarint, et de eo iudicium faciant, de quo iam ipsi supplicium sumserint. Postea perturbationem iudicii futuram, et iudices longius, quam potestatem habeant, progressuros, si simul et de reo, et de eo, quem reus arguat, iudicarint; deinde, hoc si constitutum sit, ut peccata homines peccatis, et iniurias iniuriis ulciscantur, quantum incommodorum consequatur; ac si idem facere ipse, qui nunc accuset, voluisset, ne hoc quidem ipso quidquam opus fuisse iudicio; si vero ceteri quoque idem faciant, omnino iudicium nullum futurum. Postea demonstrabitur, ne, si iudicio quidem illa damnata esset, in quam id crimen ab reo conferatur, potuisse hunc ipsum de illa supplicium sumere; quare esse indignum, eum, qui ne de damnata quidem poenas sumere potuisset, de ea supplicium sumsisse, quae ne adducta quidem sit in iudicium. Deinde postulabit, ut legem, qua lege fecerit, proferat. Deinde

Punitus sit) Active pro *punierit*. Deponentis enim forma in hoc verbo saepius occurrit.

Iudicii futuram) Vulg. additur *dicemus*; quod quum propter primam personam male respondeat antecedentibus et consequentibus, iure delendum censuit Lambin. Est enim *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ demonstrabitur* hic repetendum.

Si idem facere ipse, qui nunc accuset, voluisset) Accusator nimirum sic dicere poterat: *Ego si voluissem Horatium sic ulcisci, ut ille sororem ultus est, cum prius occidissem, quam accusassem; ut ne opus quidem hoc iudicio fuisset.*

Ne, si — potuisse hunc ipsum de illa supplicium sumere) Scilicet hoc

quemadmodum in comparatione praecipiebamus, ut illud quod comparabatur, extenuaretur ab accusatore quam maxime; sic in hoc genere oportebit illius culpam, in quem crimen transferetur, cum huius maleficio, qui se iure fecisse dicat, comparare. Postea demonstrandum est, non esse illud eiusmodi, ut ob id hoc fieri convenerit. Extrema est, ut in comparatione, assumtio iudicationis, et de ea per amplificationem ex deliberationis praeceptis dictio.

28. Defensor autem, quae per alias constitutiones inducentur, ex iis locis, qui traditi sunt, infirmabit: ipsam autem relationem comprobabit, primum augendo eius, in quem referet crimen, culpam et audaciam, et quam maxime per indignationem, si res feret, iuncta conquestione, ante oculos ponendo; postea levius demonstrando reum punitum, quam illius pro meritis, et suum supplicium cum illius iniuria conferendo. Deinde oportebit eos locos, qui ita erunt ab accusatore tractati, ut refelli, et contrariam in partem converti possint, quo in genere sunt tres extremi, con-

romano more triumviris capitalibus relinquendum fuisset.

Comparabatur) Male Ernesti reposuit *comparabitur*, quamquam hoc exstat in MS. Cass. Si de re praesenti sermo fuisset, Cicero sic dixisset: *in comparatione praecipimus, ut illud, quod comparatur, extenuetur.* Iam quum res in praeteritum imperfectum traducatur, necesse est ita dicere, *praecipiebamus, ut illud, quod comparabatur, extenuaretur.*

Extrema est, ut in comparatione, assumtio iudicationis) Hoc quid sit, facilius intelligetur comparato loco, ad quem hic respicitur, cap. 25: *Deinde oportebit ipsam illam comparativam iudicationem exponere, et de ea ex deliberationis praeceptis deinceps dicere* etc.

Deliberationis) Id est earum orationum, quae versantur in genere deliberativo. Capper.

Relationem) Id est, eum qualitatis assumptivae statum, quem Cicero *relationem criminis*, Herennianus Rhetor *translationem criminis*, Graeci ἀντέγκλημα (quasi recriminationem) appellant. Id.

Quam illius pro meritis) Sic Oudendorpii cod. antiquissimus, in quo tamen post *quam* additur *sit*, quod melius omittitur. Edd. *quam sit ille promeritus.*

Et suum supplicium) Fortasse legendum; *et sumptum supplicium.*

trariis rationibus infirmare. Illa autem acerrima accusatorum criminatio, per quam perturbationem fore omnium iudiciorum demonstrant, si de indemnato supplicii sumendi potestas data sit, levabitur; primum si eiusmodi demonstrabitur iniuria, ut non modo viro bono, verum omnino homini libero videatur non fuisse toleranda; deinde ita perspicua, ut ne ab ipso quidem, qui fecisset, in dubium vocaretur; deinde eiusmodi, ut in eam is maxime debuerit animadvertere, qui animadverterit; ut non tam rectum, non tam fuerit honestum, in iudicium illam rem pervenire, quam eo modo, atque ab eo vindicari, quomodo et a quo sit vindicata; postea sic rem fuisse apertam, ut iudicium de ea re fieri nihil attinuerit. Atque hic demonstrandum est rationibus, et rebus similibus, permultas ita atroces, et perspicuas res esse, ut de his non modo non necesse sit, sed ne utile quidem, quam mox iudicium fiat, exspectare.

Locus communis accusatoris in eum, qui quum id, quod arguitur, negare non possit, tamen aliquid sibi spei comparet ex iudiciorum perturbatione. Atque hic utilitatis iudiciorum demonstratio, et de eo conquestio, qui supplicium dederit indemnatus; in eius autem, qui sumserit, audaciam et crudelitatem, indignatio. Ab defensore, in eius, quem ultus sit, audaciam conquestio; rem non ex nomine ipsius negotii, sed ex consilio eius, qui fecerit, et causa, et tempore considerari oportere; quid mali futurum sit, aut ex iniuria, aut ex scelere alicuius, nisi tanta, et tam perspicua audacia ab

Quam mox iudicium fiat) Optime sic Ernesti emendavit ineptum *quin mox iudicium fiat*, quod erat in omnibus edd.

Audaciam conquestio) Verem hanc lectionem Lambinus praeivit, cui tamen multi eorum, qui postea hos libros edidere, non paruerunt. Vulg. *audaciam sui conquestione*.

eo, ad cuius famam, aut ad parentes, aut ad liberos pertinuerit, aut ad aliquam rem, quam caram esse omnibus, aut necesse est, aut oportet esse, fuerit vindicata.

29. *Remotio criminis* est, quum eius intentio facti, quod ab adversario infertur, in alium, aut in aliud demovetur. Id fit bipartito. Nam tum causa, tum res ipsa removetur. *Causae remotionis* hoc nobis exemplo sit: «Rhodii quosdam legarunt Athenas. Legatis quaestores sumtum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non sunt. Accusantur.» Intentio est: *Proficisci oportuit.* Depulsio est: *Non oportuit.* Quaestio est: *Oportueritne?* Ratio est: *Sumtus enim, qui de publico dari solet, is ab quaestore non est datus.* Infirmatio est: *Vos tamen id, quod publice vobis datum erat negotii, conficere oportebat.* Iudicatio est: *Quum iis, qui legati erant, sumtus, qui de publico debebatur, non daretur, oportueritne eos conficere nihilominus legationem?* Hoc in genere primum, sicut in ceteris, si quid aut ex coniecturali, aut ex alia constitutione sumi possit, videre oportebit. Deinde pleraque et ex comparatione, et ex relatione criminis in hanc quoque causam convenire poterunt.

Accusator autem illum, cuius culpa id factum reus dicet, primum defendet, si poterit; sin minus poterit, negabit, ad hoc iudicium illius, sed huius, quem ipse accuset, culpam pertinere. Postea dicet, suo quemque officio consulere oportere; nec, si ille peccasset, hunc oportuisse peccare; deinde, si ille deliquerit,

Remotio criminis) Vnus est e qualitatis assumptivae statibus, cui nomen μετάστασις apud Graecos Rhetores. Lege sis Quintilian. lib. III, c. 6. CAPP.

Demovetur) Ita rescripsit Ernesti auctoritate cod. Voss. c. Schol. Vulg. *dimovetur*, minus apte.

Videre oportebit) Vere indicavit Ernesti, sic, non *videri oportebit*, ut vulgo, scribendum esse.

Ipse accuset) Ernesti mavult abesse pronomen.

separatim illum, sicut hunc, accusari oportere, et non cum huius defensione coniungi illius accusationem.

Defensor autem quum cetera, si qua ex aliis incident constitutionibus, pertractarit, de ipsa remotione sic argumentabitur. Primum, cuius acciderit culpa, demonstrabit; deinde, quum id aliena culpa accidisset, ostendet se aut non potuisse, aut non debuisse id facere, quod accusator dicat oportuisse. Quod non potuerit, ex utilitatis partibus, in quibus est necessitudinis vis implicata: quod non debuerit, ex honestate considerabitur. De utroque distinctius in deliberativo genere dicetur. Deinde omnia facta esse ab reo, quae in ipsius fuerint potestate; quod minus, quam convenerit, factum sit, culpa id alterius accidisse. Deinde in alterius culpa exponenda demonstrandum est, quantum voluntatis et studii fuerit in ipso; et id signis confirmandum huiusmodi, ex cetera diligentia, ex ante factis, aut dictis; atque hoc ipsi utile fuisse facere, inutile autem non facere, et cum cetera vita magis hoc fuisse consentaneum, quam quod propter alterius culpam non fecerit. Si autem non in hominem certum, sed in rem aliquam causa demovebitur, ut in hac eadem re, si quaestor mortuus esset, et idcirco legatis pecunia data non esset; accusatione alterius, et culpae depulsione demta, ceteris similiter uti locis oportebit, et ex concessionis partibus, quae convenient, assumere: de quibus post nobis dicendum erit.

Loci autem communes iidem utrisque fere, qui superioribus assumtivis, incident; hi tamen certissimi;

Implicata) Male hic addebatur *demonstrabit*, quod iam Lambinus (et Ernesti) delevit.

Et cum cetera vita) *Et ceterae vitae* commendat Oudendorp. e MSS.

Concessionis) Concessio unus est e qualitatis assumptivae statibus, cui apud Graecos nomen est συγγνώμη, venia; unde a Latinis dicitur etiam *status venialis*, et *deprecatio*. Capper.

Superioribus assumptivis) Quatuor sunt qualitatis assumptivae status,

accusatoris, facti indignatio; defensoris, quum in alio culpa sit, in ipso non sit, supplicio se affici non oportere.

30. *Ipsius* autem *rei* fit *remotio*, quum id, quod datur crimini, negat neque ad se, neque ad officium suum reus pertinuisse; nec, si quid in eo delictum sit, sibi attribui oportere. Id genus causae est huiusmodi: « In eo foedere, quod factum est quondam cum Samnitibus, quidam adolescens nobilis porcam sustinuit iussu imperatoris. Foedere autem ab senatu improbato, et imperatore Samnitibus dedito, quidam in senatu eum quoque dicit, qui porcam tenuerit, dedi oportere. » Intentio est: *Dedi oportet.* Depulsio est: *Non oportet.* Quaestio est: *Oporteatne?* Ratio est: *Non enim meum fuit officium, nec mea potestas, quum et id aetatis, et privatus essem, et esset summa cum auctoritate et potestate imperator, qui videret, ut satis honestum foedus feriretur.* Infirmatio est: *At enim, quoniam tu particeps factus es in turpissimo foedere summae religionis, dedi te convenit.* Iudicatio est: *Quum is, qui potestatis nihil habuerit, iussu imperatoris in foedere, et in tanta*

comparatio, relatio criminis, remotio criminis, et concessio. Duos priores his verbis Tullius designavit. In.

Supplicio se affici) « *Se* dedi pro *reum* e libris scriptis Leid. 1, 2, Cass. Gu. 2, nam et in sequentibus de defensore fere loquitur, ac si reus ipse loqueretur. Glossa dedit *reum.* Res clara est ex edd. pr. quae habent *se reum*, ex quibus *reum* male delegit Aldus. » Hactenus Ernesti.

Si qui in eo delictum sit) Ex Gu. 2 sic Ernesti emendavit. Vulg. *si quod in eo delictum sit.* MSS. duo Oudend. *si quid in eo delicti sit.*

Porcam sustinuit) Nam, ut ait Virgilius Aeneid. VIII, 641:

Caesa iungebant foedera porca.

Mirifice hic locus illustratur denario quodam argenteo, quem ab Italicis populis, quo tempore bellum Marsicum motum est, cusum, existimare possumus ex eo, quod ITALIA inscriptum in eo sit, et in medio militum foedus ferientium vir incisus, qui porcam huiusmodi sustinet. Vbs. De hoc denario, et alio non dissimilis typi consulendus est Spanhemius, Dissert. X de Vsu et Praestantia Numism. Vesbvrg.

Imperatore Samnitibus dedito) Si quando Imperator, praeter S. P. Q. R. voluntatem ac sententiam, foedus

religione interfuerit, dedendus sit hostibus, necne? Hoc genus causae cum superiore hoc differt, quod in illo concedit se reus oportuisse facere id, quod fieri dicat accusator oportuisse, sed alicui rei, aut homini causam attribuit, quae voluntati suae fuerit impedimento, sine concessionis partibus. Nam earum maior quaedam vis est; quod paulo post intelligetur. In hoc autem non accusare alterum, nec culpam in alium transferre debet, sed demonstrare, eam rem nihil ad se, neque ad potestatem, neque ad officium suum pertinuisse aut pertinere. Atque in hoc genere hoc accidit novi, quod accusator quoque saepe ex remotione criminationem conficit. Vt, si quis eum accuset, qui, quum praetor esset, in expeditionem ad arma populum vocarit, quum consules adessent. Nam ut in superiore exemplo reus ab suo officio et a sua potestate factum demovebat; sic in hoc ab eius officio ac potestate, qui accusatur, ipse accusator factum removendo, hac ipsa ratione confirmat accusationem. In hac ab utroque ex omnibus honestatis et utilitatis partibus, exemplis, signis, ratiocinando, quid cuiusque officii, iuris, potestatis sit, quaeri oportebit, et fueritne ei, quo de agitur, id iuris, officii, potestatis attributum, necne. Locos autem communes ex ipsa re, si quid indignationis ac conquestionis habebit, sumi oportebit.

31. *Concessio* est, per quam non factum ipsum

cum hostibus feriisset, ut populus romanus ea foederis religione solveretur, Imperator ipse in hostium potestatem vinctus tradebatur. NASCIMB.

Dedendus sit hostibus) Sic Lambin. et MSS. duo Oudend. it. Gu. 1 elegantius, quam ceteri *dedendusne.*

Eam rem nihil ad se) Olim edebatur *eam rem nec ad se.* Gronovius et Oudend. e MSS. laudant *eam rem nihil ad se.* Optimum Ernesti putabat *eam rem nihil neque ad se* —.

Non factum ipsum probatur) Perperam olim *improbatur.* Sed *probatur* legendum esse, dudum bene monuit G. I. Vossius lib. I Instit. Orat. c. 9, et Oudend. id in optimis MSS. invenit, quod vel sine libris recipiendum erat.

Per quam non factum ipsum im-

probatur ab reo; sed ut ignoscatur, id petitur. Cuius partes sunt duae, purgatio et deprecatio. *Purgatio* est, per quam eius, qui accusatur, non factum ipsum, sed voluntas defenditur. Ea habet partes tres, imprudentiam, casum, necessitudinem. *Imprudentia* est, quum scisse aliquid is, qui arguitur, negatur. Vt «apud quosdam lex erat: Ne quis Dianae vitulum immolaret. Nautae quidam, quum adversa tempestate in alto iactarentur, voverunt, si eo portu, quem conspiciebant, potiti essent, ei deo, qui ibi esset, se vitulum immolaturos. Casu erat in eo portu fanum Dianae eius, cui vitulum immolari non licebat. Imprudentes legis, quum exissent, vitulum immolaverunt. Accusantur.» Intentio est: *Vitulum immolastis ei deo, cui non licebat.* Depulsio est in concessione posita. Ratio est: *Nescivi non licere.* Infirmatio est: *Tamen quoniam fecisti, quod non licebat, ex lege supplicio dignus es.* Iudicatio est: *Quum id fecerit, quod non oportuerit, et id non oportere nescierit, sitne supplicio dignus?*

Casus autem inferetur in concessionem, quum demonstrabitur aliqua fortunae vis voluntate obstitisse, ut in hac: «Quum Lacedaemoniis lex esset, ut, hostias nisi ad sacrificium quoddam redemtor praebuisset, capitale esset; hostias is, qui redemerat, quum sacrificii dies instaret, in urbem ex agro coepit agere. Tum subito magnis commotis tempestatibus fluvius Eurotas

probatur ab reo, sed ut ignoscatur, id petitur) Quem locum ne quidem gentium Deus Hermes possit ἑρμηνεύειν. Nam concessionem dividit Tullius in purgationem, et deprecationem: purgatio vero ei definitur, per quam eius, qui accusatur, *non factum, sed voluntas defenditur.* Pugnant autem haec; in concessione voluntatem *improbari;* in purgatione, quae concessionis pars est, voluntatem defendi. Itaque *concessionis* definitionem leniter, leviterque immuto, ac lego: *per quam non factum ipsum probatur ab reo* etc. Vossius Inst. Orat. lib. IX. Oliv.

Necessitudinem) *Necessitatem* Victorin. codd. Leidd. omnes.

Capitale) *Capitul* codd. Gron.

is, qui propter Lacedaemonem fluit, ita magnus et vehemens factus est, ut eo traduci victimae nullo modo possent. Redemtor, suae voluntatis ostendendae causa hostias constituit omnes in litore, ut, qui trans flumen essent, videre possent. Quum omnes studio eius subitam fluminis magnitudinem scirent fuisse impedimento, tamen quidam capitis arcessierunt.» Intentio est: *Hostiae, quas debuisti, ad sacrificium praesto non fuerunt.* Depulsio est concessio. Ratio: *Flumen enim subito accrevit, et ea re traduci non potuerunt.* Infirmatio: *Tamen, quoniam, quod lex iubet, factum non est, supplicio dignus es.* Iudicatio: *Quum in ea re contra legem redemtor fecerit, qua in re studio eius subita fluminis obstiterit magnitudo, supplicione dignus sit?*

Necessitudo autem infertur, quum vi quadam reus id, quod fecerit, fecisse defenditur, hoc modo: « Lex est apud Rhodios, ut, si qua rostrata in portu navis deprehensa sit, publicetur. Quum magna in alto tempestas esset, vis ventorum, invitis nautis, Rhodiorum in portum navim coëgit. Quaestor navim populi vocat. Navis dominus negat publicari oportere.» Intentio est: *Rostrata navis in portu deprehensa est.* Depulsio est concessio. Ratio: *Vi et necessario sumus in portum coacti.* Infirmatio: *Navim ex lege tamen populi esse oportet.* Iudicatio: *Quum rostratam navim in portu deprehensam lex publicarit, quumque haec navis, invitis nautis, vi tempestatis in portum coniecta sit; oporteatne eam publicari?*

32. Horum trium generum idcirco unum in locum contulimus exempla, quod similis in ea praeceptio argumentorum traditur. Nam in his omnibus primum, si quid res ipsa dabit facultatis, coniecturam induci ab

Infirmatio – Iudicatio) Vtroque loco *est* delevimus auctoritate codd. Oud.

accusatore oportebit, ut id, quod voluntate factum negabitur, consulto factum, suspicione aliqua demonstretur; deinde inducere definitionem necessitudinis, aut casus, aut imprudentiae, et exempla ad eam definitionem adiungere, in quibus imprudentia fuisse videatur, aut casus, aut necessitudo, et ab his id, quod reus inferat, separare, quod levius, facilius, non ignorabile, non fortuitum, non necessarium fuerit; postea demonstrare, potuisse vitari; et hac ratione provideri potuisse, si hoc, aut illud fecisset; aut ni sic fecisset, praecaveri; et definitionibus ostendere, non hanc imprudentiam, aut casum, aut necessitudinem, sed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere. Ac si qua necessitudo turpitudinem videbitur habere, oportebit per locorum communium implicationem redarguentem demonstrare: quidvis perpeti, mori denique satius fuisse, quam eiusmodi necessitudini obtemperare. Atque tum ex his locis, de quibus in negotiali parte dictum est, iuris et aequitatis naturam oportebit quaerere, et quasi in absoluta iuridiciali, per se hoc ipsum ab rebus omnibus separatim considerare. Atque hoc in loco, si facultas erit, exemplis uti eorum hominum oportebit, quibus in simili excusatione non sit ignotum; et contentione, magis illis ignoscendum fuisse; et ex deliberationis partibus, turpe aut inutile esse concedi eam

Separare) Manifestum glossatoris emblema, *id est*, *ostendere dissimile*, ab Ernestio uncis inclusum, eiecimus.

Aut ni sic) Ita legendum esse vidit Oudend. Olim vulgo *aut ne sic*, quod Ernesti, quamquam in notis improbat, tamen revocavit in textum. Alii nempe *aut nisi* ediderant.

Exemplis uti eorum hominum) In antiquis pariter ac recentioribus edd. excidit *eorum hominum*, quod ex Lambiniana revocavi; nam non exemplis, sed hominibus ignoscitur.

Deliberationis) Id est, generis deliberativi. Alludit enim ad celeberrimam orationum divisionem, secundum quam aliae dicuntur esse in genere demonstrativo ἐπιδεικτικῷ, aliae in genere deliberativo δημηγορικῷ vel συμβουλευτικῷ, aliae denique in genere iudiciali δικανικῷ. Capp.

rem, quae ab adversario commissa sit; permagnum esse et magno futurum detrimento, si ea res ab iis, qui potestatem habeant vindicandi, neglecta sit.

33. Defensor autem conversis omnibus his partibus poterit uti. Maxime autem in voluntate defendenda commorabitur, et in ea re adaugenda, quae voluntati fuerit impedimento; et se plus, quam fecerit, facere non potuisse; et in omnibus rebus voluntatem spectari oportere; et convinci non posse, quod non absit a culpa; et ex suo nomine communem hominum infirmitatem damnari. Deinde nihil indignius esse, quam eum, qui culpa careat, supplicio non carere.

Loci autem communes, accusatoris: unus in confessionem, alter, quanta potestas peccandi relinquatur, si semel institutum sit, ut non de facto, sed de facti causa quaeratur; defensoris: conquestio calamitatis eius, quae non culpa, sed vi maiore quadam acciderit, et de fortunae potestate, et hominum infirmitate, et uti suum animum, non eventum considerent. In quibus omnibus conquestionem suarum aerumnarum, et crudelitatis adversariorum indignationem inesse oportebit.

Permagnum esse) Edit. Omnib. habet *permagno esse*, quod cur probaverit Oudend. haud intelligo.

Habeant) Vulg. *habent*. Sed hic obliquitas coniunctivum requirit; est enim idem, quod *qui forte iudices sint*.

Vindicandi) Hoc utique hic significantius est, quam, quod quaedam edd. habent, *iudicandi*.

Et convinci non posse) Bene observavit Ernesti, *se* ante *convinci* rectius abesse; *convinci* enim h. l. est i. q. idoneis argumentis demonstrari.

Et suo nomine — infirmitatem damnari) Vulg. *et ex suo nomine — inf. posse damnari*. Verum illud *ex* et *posse* omittitur in quibusdam codd. Oud. et sane, utroque omisso, sententia fit h. l. aptior et pressior.

In confessionem) Sic MSS. Oud. omnes, excepto Leid. 2, utique melius, quam vulg. *in confessione*. Nam locus communis accusatoris non potest *in confessione* consistere, quippe qui nihil habeat, quod confiteatur; sed debet *in confessionem rei* dirigi, quam scil. necesse sit poena consequatur.

Alter) Vulg. *et alter*. Sed illud *et* omittendum censuit Oudend. auctoritate cod. Voss. c. Schol. idque nobis facile persuasit.

Ac neminem mirari conveniet, si aut in his, aut in aliis exemplis scripti quoque controversiam adiunctam videbit. Quo de genere post erit nobis separatim dicendum, propterea quod quaedam genera causarum, simpliciter et ex sua vi considerantur; quaedam autem sibi aliud quoque aliquod controversiae genus assumunt. Quare omnibus cognitis, non erit difficile in unamquamque causam transferre, quod ex eo quoque genere conveniet; ut in his exemplis concessionis inest omnibus scripti controversia ea, quae ex scripto et sententia nominatur; sed quia de concessione loquebamur, in eam praecepta dedimus. Alio autem loco de scripto et sententia dicemus. Nunc ad alteram concessionis partem contendemus.

34. *Deprecatio* est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur. Hoc genus vix in iudicio probari potest, ideo quod concesso peccato, difficile est ab eo, qui peccatorum vindex esse debet, ut ignoscat impetrare. Quare parte eius generis, quum causam

Quod ex eo quoque genere) Lambin. *quod ex unoquoque genere*. Sed vera est lectio recepta. Nam *ex eo quoque genere* pertinet ad *scripti controversiam*, quam paulo ante dixerat in his aliisque exemplis adiunctam esse.

Controversia quae ex scripto et sententia nominatur) Ea graece dicitur περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας, quasi dicas *de dicto et sententia*. Hoc controversiae seu status legalis genus fusius exponunt Tullius hic, cap. 42, et Quintilian. lib. VII, cap. 6. Capper.

Nunc ad alteram concessionis partem contendemus) Vulg. *in alteram concessionis partem considerationem intendemus*. Verum cod. Voss. cum Schol. habet: *nunc in — contendemus*, quod idem est ac *pergemus*, *proficiscemur*. In Voss. 2 legitur: *nunc alteram — consideremus*. Cod. Ox. x: *nunc in alteram — aciem tendemus*. Nobis verum videtur *contendemus*, ex quo quum alii fecissent *intendemus*, hoc ex glossa quidam suppleverunt, et vel *aciem*, vel *considerationem intendemus* scripserunt.

Quare parte eius generis, quum causam non in eo constitueris, uti licebit) Male Lambin. *quare parce eo genere, quum causam in eo constitueris, ut depreceris, uti licebit*. Sensus enim est, deprecationem, si totam causam in ea velimus constituere, in iudiciis vix posse probari; partem tamen eius, quum causa non in eo genere tota sit constituta, adhiberi posse. Quod verba, quae paulo post sequuntur, aperte confirmant: *Quare hoc genus quam-*

non in eo constitueris, uti licebit. Vt si pro aliquo claro, aut forti viro, cuius in rempublicam multa sint beneficia, dixeris; possis, quum videaris non uti deprecatione, uti tamen, ad hunc modum: « Quod si, iudices, hic pro suis beneficiis, pro suo studio, quod in vos habuit semper, tali suo tempore, multorum suorum recte factorum causa, uni delicto ut ignosceretis postularet, tam dignum vestra mansuetudine, quam virtute huius esset, iudices, a vobis hanc rem, hoc postulante, impetrari. » Deinde augere beneficia licebit, et iudices per locum communem ad ignoscendi voluntatem deducere. Quare hoc genus, quamquam in iudiciis non versatur, nisi quadam ex parte: tamen quia et pars ipsa inducenda nonnunquam est, et in senatu, aut in consilio saepe omnino tractandum, in id quoque praecepta ponemus. Nam in senatu, et in consilio de Syphace diu deliberatum est; et de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium praetorem, et eius consilium diu dictum est.

quam in iudiciis non versatur, nisi quadam ex parte etc. Conf. etiam ad Herenn. I, 14.

Deducere) Hoc recte e MSS. antea vulgato *ducere* praetulerunt Gronov. Oudend. Ernesti.

Omnino tractandum) Ita correxi vulgatum *omni in genere tractanda.* Nam ineptum esset sic loqui: *pars omni in genere tractanda est. Genus hoc*, inquit Cicero, *in iudiciis non versatur, nisi quadam ex parte, in senatu autem aut in consilio saepe omnino s. totum tractandum est.*

In senatu, et in consilio de Syphace diu deliberatum est) Primum in consilio apud Scipionem imperatorem, quum in eius castra captivus adductus esset Syphax, Liv. XXX, 13, ubi quoque eius deprecatio memoratur: deinde in senatu, ibid. c. 17, ubi consulti patres Syphacem in custodiam Albam mittendum censuerunt.

De Syphace) Syphax Massylorum in Numidia rex societatem primum iniit cum P. Scipione: fracta deinde fide, Hasdrubali adhaesit: tandem devictus, captus, ac per triumphum a Scipione, si Polybium audias, circumductus, paulo post in custodia Tibure obiit anno V. C. 553. PAVST.

Opimium praetorem) *Praetorem* addidi perspicuitatis causa; et sic iam visum est amico cuidam Fulvii Vrsini. Nimirum Numitorius Pullus Fregellanus antea in Romanos animo adverso fuerat, postea autem patriam urbem Fregellas Romanis prodidit. Is igitur quum causam apud L. Opimium praetorem diceret, qui Fregel-

Et magis in hoc quidem ignoscendi, quam cognoscendi postulatio valuit. Nam semper animo bono se in populum romanum fuisse non tam facile probabat, quum coniecturali constitutione uteretur, quam ut, propter posterius beneficium, sibi ignosceretur, quum deprecationis partes adiungeret.

35. Oportebit igitur eum, qui sibi ut ignoscatur, postulabit, commemorare, si qua sua poterit beneficia, et si poterit, ostendere, ea maiora esse, quam haec, quae deliquerit, ut plus ab eo boni quam mali profectum esse videatur; deinde maiorum suorum beneficia, si qua exstabunt, proferre; deinde ostendere, non odio, neque crudelitate fecisse, quod fecerit, sed aut stultitia, aut impulsu alicuius, aut aliqua honesta aut probabili causa; postea polliceri, et confirmare, se et hoc peccato doctum, et beneficio eorum, qui sibi ignoverint, confirmatum, omni tempore a tali ratione abfuturum; deinde spem ostendere, aliquo se in loco, magno iis, qui sibi concesserint, usui futurum; postea, si facultas erit, se, aut consanguineum, aut iam a maioribus in primis amicum esse demonstrabit; et amplitudinem suae voluntatis, et nobilitatem generis eorum, qui se salvum velint, et dignitatem ostendere, et cetera, quae personis ad honestatem et amplitudinem sunt attributa, cum conquestione, sine arrogantia, in se esse demonstrabit, ut honore potius aliquo, quam ullo supplicio dignus esse videatur: deinde ceteros proferre, quibus maiora delicta concessa sint. Ac multum proficiet, si se misericordem in potestate, et propensum ad ignoscendum fuisse ostendet. Atque ipsum illud peccatum erit extenuandum, ut quam minimum obfuisse videatur,

las in deditionem acceperat, deprecatione magis, quam defensione usus est.

Et cetera, quae personis) Delevi *ea* post *cetera*.

et aut turpe, aut inutile demonstrandum, tali de homine supplicium sumere. Deinde locis communibus misericordiam captare oportebit ex iis praeceptis, quae in primo libro sunt exposita.

36. Adversarius autem malefacta augebit; nihil imprudenter, sed omnia ex crudelitate et malitia facta dicet; ipsum immisericordem, superbum fuisse; et, si poterit, ostendet, semper inimicum fuisse, et amicum fieri nullo modo posse. Si beneficia proferet; aut aliqua de causa facta, non propter benevolentiam demonstrabit; aut postea odium esse acre susceptum; aut illa omnia maleficiis esse deleta; aut leviora beneficia, quam maleficia; aut quum beneficiis honos habitus sit, pro maleficio poenam sumi oportere. Deinde turpe esse, aut inutile, ignosci. Deinde, de quo, ut potestas esset, saepe optarint, in eum potestate non uti, summam esse stultitiam: et cogitare oportere, quem animum in eum, vel quale odium habuerint.

Locus autem communis erit, indignatio maleficii; et alter, eorum misereri oportere, qui propter fortunam, non, qui propter malitiam in miseriis sint.

Quoniam igitur in generali constitutione tandiu propter eius partium multitudinem commoramur, ne forte varietate et dissimilitudine rerum diductus alicuius animus in quendam errorem deferatur; quid etiam nobis ex eo genere restet, et quare restet, admonendum videtur.

Aliqua de causa) I. e. *alia quadam*, ut saepe.

Non, qui) Addidi *qui*, ut oppositio inter eos, qui propter fortunam, et eos, qui propter malitiam in miseriis sint, enitesceret.

In generali constitutione) Id est, in eo quaestionis oratoriae statu, qui et status qualitatis, et qualitas ποιότης appellari solet. Vulgo dicimus quaestionem iuris, vel de iure. CAPPER.

Diductus) «MSS. plures et edd. pr. habent *deductus*. Sed *diductus* verum est; i. e. distractus rerum multitudine et varietate.» ERN.

37. Iuridicialem causam esse dicebamus, in qua aequi et iniqui natura, et praemii aut poenae ratio quaereretur. Eas causas, in quibus de aequo et iniquo quaeritur, exposuimus. Restat nunc, ut de praemio et de poena explicemus. Sunt enim multae causae, quae ex praemii alicuius petitione constant. Nam et apud iudices de praemio saepe accusatorum quaeritur, et a senatu, aut a consilio aliquod praemium saepe petitur. Ac neminem conveniet arbitrari nos, quum aliquod exemplum ponamus, quod in senatu agatur, ab iudiciali genere exemplorum recedere. Quidquid enim de homine probando, aut improbando dicitur, quum ad eam dictionem sententiarum quoque ratio accommodetur, id non, etsi per sententiae dictionem agitur, deliberativum est: sed quia de homine statuitur, iudiciale est habendum. Omnino autem qui diligenter omnium causarum vim et naturam cognoverit, cum genere, tum etiam forma eas intelliget dissidere. Ceteris autem partibus aptas inter se omnes, et aliam in aliam implicatam videbit. Nunc de praemiis consideremus. «L. Licinius Crassus consul quosdam in citeriore Gallia, nullo illustri, neque certo duce, neque eo nomine, neque numero praeditos, ut digni essent, qui hostes populi romani dicerentur, quod tamen excursionibus et latrociniis infestam provinciam redderent, consectatus est, et

Iuridicialem) Δικαιολογικὴν quae τῇ negotiali πραγματικῇ opponitur. De his vide supra cap. 11, lib. I Capper.

Et praemii) Copulam hic praefigendam recte censuit Oudend. quam invenit in MSS. suis omnibus; et Cicero ipse supra quoque posuit c. 23, quem ad locum hic respicit.

Etsi per sententiae dictionem) Recte Ern. recepit *etsi* e cod. Leid. 2. Vulg. *si*.

Cum genere) Olim legebatur *primo cum genere*; quod *primo*, quum prorsus alienum sit, Ernesti iure suo expunxit.

Qui hostes) *Esse*, quod hic addebatur, bene Lambinus delevit.

confecit; Romam redit; triumphum ab senatu postulat.» Hic, ut et in deprecatione, nihil ad nos attinet, rationibus et infirmationibus rationum supponendis, ad iudicationem pervenire; propterea quod, nisi alia quoque incidet constitutio, aut pars constitutionis, simplex erit iudicatio, et in quaestione ipsa continebitur. In deprecatione, huiusmodi: *Oporteatne poena affici?* In hac, huiusmodi: *Oporteatne praemium dari?* Nunc ad praemii quaestionem appositos locos exponemus.

38. Ratio igitur praemii quatuor est in partes distributa; in beneficia, in hominem, in praemii genus, in facultates. *Beneficia* ex sua vi, ex tempore, ex animo eius, qui fecit, ex casu considerantur. *Ex sua vi* quaerentur hoc modo: magna, an parva; facilia, an difficilia; singularia sint, an vulgaria; vera an falsa quadam exornatione honestentur. *Ex tempore* autem: si tum, quum indigeremus; quum ceteri non possent, aut nollent opitulari; si tum, quum spes deseruisset. *Ex animo*: si non sui commodi causa, sed eo consilio fecit omnia, ut hoc conficere posset. *Ex casu*: si non fortuna, sed industria factum videbitur, aut si industriae fortuna obstitisse. *In homine* autem: quibus rationibus vixerit, quid sumtus in eam rem aut laboris insumserit, ecquid aliquando tale fecerit, num alieni laboris, aut deorum bonitatis praemium sibi postulet; num aliquando ipse talem ob causam praemio aliquem affici negarit oportere; aut num iam satis pro eo, quod fecerit, honos habitus sit; aut num necesse fuerit ei facere id, quod fecerit; aut

Redit) Ernesti hoc recte recepit e codd. Guelf. et Oudend. Olim in edd. *redit*.

Falsa quadam exornatione) Optimam hanc lectionem praebent codd. Voss. 1, Leid. 3. Olim edebatur *falsa quadam oratione*, quod Gronovius mutavit in *falsa quadam ex ratione*.

Obstitisse) Olivet. *obstiterit*.

num huiusmodi sit factum, ut, nisi fecisset, supplicio dignus esset, non, quia fecerit, praemio; aut num ante tempus praemium petat, et spem incertam certo venditet pretio; aut num, quo supplicium aliquod vitet, eo praemium postulet, uti de se praeiudicium factum esse videatur.

39. In *praemii* autem *genere*, quid, et quantum, et quamobrem postuletur, et quo, et quanto quaeque res praemio digna sit, considerabitur: deinde apud maiores quibus hominibus, et quibus de causis talis honos sit habitus, quaeretur; deinde, ne is honos nimium pervagetur. Atque hic eius, qui contra aliquem praemium postulantem dicet, locus erit communis: Praemia virtutis et officii sancta et casta esse oportere, neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus pervulgari; et alter: Minus homines virtutis cupidos fore, virtutis praemio pervulgato; quae enim rara, et ardua sint, ea ex praemiis pulcra et iucunda hominibus videri; et tertius: Si existant, qui apud maiores nostros ob egregiam virtutem tali honore dignati sunt, nonne de sua gloria, quum pari praemio tales homines affici videant, delibari putent? et eorum enumeratio, et cum eis, quos contra dicet, comparatio. Eius autem, qui praemium

Ea ex praemiis pulcra et iucunda hominibus videri) Vulgo legitur vel *ex praemio*, vel *experiundo*; quarum lectionum haec quidem aperte corrupta, illa sensu apto destituta est. Correctionem nostram speramus nos harum rerum arbitris probaturos. Ex praemiis ea, quae rara et ardua sint, pulcra et iucunda hominibus videri, verissimum est. Sin, ut Ernesti volebat, *ex praemio* prorsus deleatur, erit sententia: quae rara et ardua sint, hominibus pulcra et iucunda videri; quam ille quidem simpliciter veram esse dixit; nostro autem iudicio verius simpliciter falsam pronuntiasset.

Tali honore dignati sunt) Ernesti, hoc a Cicerone esse, sibi quemquam persuasurum negat. Oblitus erat, quum ista scriberet, verbum *dignari* saepius apud Ciceronem passive poni.

Quos contra dicet) Hoc postulare

petet, facti sui amplificatio, et eorum, qui praemio affecti sunt, cum suis factis contentio. Deinde ceteros a virtutis studio repulsum iri, si ipse praemio non sit affectus. *Facultates* autem considerantur, quum aliquod pecuniarium praemium postulatur; in quo utrum copia sit agri, vectigalium, pecuniae, an penuria, consideratur. Loci communes: Facultates augere, non minuere oportere; et: impudentem esse, qui pro beneficio non gratiam, verum mercedem postulet; contra autem: de pecunia ratiocinari, sordidum esse, quum de gratia referenda deliberetur, et se non pretium pro facto, sed honorem pro beneficio postulare.

Ac de constitutionibus quidem satis dictum est; nunc de iis controversiis, quae in scripto versantur, dicendum videtur.

40. In *scripto* versatur controversia, quum ex scriptionis ratione aliquid dubii nascitur. Id fit ex ambiguo, ex scripto et sententia, ex contrariis legibus, ex ratiocinatione, ex definitione.

Ex ambiguo autem nascitur controversia, quum quid senserit scriptor, obscurum est, quod scriptum duas plusresve res significat, ad hunc modum: «Paterfamilias, quum filium heredem faceret, vasorum argenteorum pondo centum uxori suae sic legavit: HERES MEVS VXORI MEAE VASORVM ARGENTEORVM PONDO CENTVM, QVAE VOLET, DATO. Post mortem eius

videtur temporum consecutio. Vulg. *q. e. dicat.*

Facultates) Aerarii scilicet, ex quo praemium dari potest.

Sed honorem) Verba, *ita ut factitatum sit*, vulgo hic annexa, ab Ernestio uncis inclusa et manifesto spuria, (quod etiam e variatione codd. Oudend. intelligitur) eiecimus.

vasa pretiosa, et magnifice caelata petit a filio mater. Ille se, quae ipse velit, debere dicit.»

Primum, si fieri poterit, demonstrandum est, non esse ambigue scriptum; propterea quod omnes in consuetudine sermonis sic uti soleant eo verbo uno pluribusve in eam sententiam, in quam is, qui dicet, accipiendum esse demonstrabit. Deinde ex superiore et ex inferiore scriptura docendum, id, quod quaeratur, fieri perspicuum. Quare si ipsa separatim ex se verba considerentur, omnia, aut pleraque, ambigua visum iri; quae autem ex omni considerata scriptura perspicua fiant, haec ambigua non oportere existimari. Deinde, qua in sententia scriptor fuerit, ex ceteris eius scriptis, et factis, dictis, animo, atque vita eius sumi oportebit, et eam ipsam scripturam, in qua inerit illud ambiguum, de quo quaeritur, totam omnibus ex partibus pertentare, si quid aut ad id appositum sit, quod nos interpretemur, aut ei, quod adversarius intelligat, adversetur. Nam facile, quid verisimile sit eum voluisse, qui scripsit, ex omni scriptura, et ex persona scriptoris, atque iis rebus, quae personis attributae sunt, considerabitur. Deinde erit demonstrandum, si quid ex ipsa re dabitur facultatis, id, quod adversarius intelligat, multo minus commode fieri posse, quam id, quod nos accipiamus, quod illius rei neque administratio, neque exitus ullus exstet; nos quod dicamus facile et commode transigi posse. Vt in hac lege (nihil enim prohibet fictam exempli

Vasa pretiosa, et magnifice caelata) Vulg. *vasa magnifica et pretiose caelata*. Transpositionem iam Ernesti suasit, quam confirmat locus ad Herennium I, 12, ubi idem exemplum adhibetur.

Quae ipse velit) Ita necessario scribendum erat. Vulgo corrupte *quae ipse vellet*.

Soleant) Hanc MS. Leid. scripturam recte Ernesti adscivit pro vulg. *solent*.

Quam id, quod nos accipiamus) Vulgo perperam *accipimus*.

loco ponere, quo facilius res intelligatur): MERETRIX CORONAM AVREAM NE HABETO; SI HABVERIT, PVBLICA ESTO; contra eum, qui meretricem publicari dicat ex lege oportere, possit dici, neque administrationem esse ullam publicae meretricis, neque exitum legis in meretrice publicanda. At in auro publicando et administrationem et exitum facilem esse, et incommodi nihil inesse.

41. Ac diligenter illud quoque attendere oportebit, num, illo probato, quod adversarius intelligat, utilior res, aut honestior, aut magis necessaria, a scriptore neglecta videatur. Id fiet, si id, quod nos dicemus, honestum, aut utile, aut necessarium demonstrabimus: et, si id, quod ab adversariis dicetur, minime eiusmodi dicemus esse. Deinde si in lege erit ex ambiguo controversia, dare operam oportebit, ut de eo, quod adversarius intelligat, alia in lege cautum esse doceatur. Permultum autem proficiet, illud demonstrare, quemadmodum scripsisset, si id, quod adversarius accipiat, fieri aut intelligi voluisset; ut in hac causa, in qua de vasis argenteis quaeritur, possit mulier dicere, nihil attinuisse ascribi, QVAE VOLET, si heredis voluntati permitteret. Eo enim non ascripto, nihil inesse dubitationis, quin heres, quae ipse vellet, daret. Amentiam igitur fuisse, quum heredi vellet cavere, id ascribere, quo non ascripto, nihilominus heredi caveretur. Quare hoc genere magnopere talibus in causis uti oportebit: si hoc modo

Possit dici) Hoc quoque consecutio temporum requirit, non *posset*, quod editur.

Id, quod nos dicemus) Volgo *demonstrabimus*. Lambin. rectius *dicimus*, in quo tamen futurum tempus posuisse melius fuerat.

Amentiam) Hanc lectionem confirmat Oudend. auctoritate cod. Voss. c. Schol. et Voss. 2, quibus addit Ernesti Guelf. 2. Et sic vett. edd. Omnib. Med. Iunt. Alii *amentiae*. Lambin. coniecit *amentis*.

scripsisset, isto verbo usus non esset, non isto loco verbum istud collocasset. Nam ex his sententia scriptoris maxime perspicitur. Deinde quo tempore scriptum sit, quaerendum est, ut, quid eum voluisse in eiusmodi tempore verisimile sit, intelligatur. Post ex deliberationis partibus: quid utilius, et quid honestius, et illi ad scribendum, et his ad comprobandum sit, demonstrandum: et ex his, si quid amplificationis dabitur, communibus utrosque locis uti oportebit.

42. *Ex scripto* et *sententia* controversia consistit, quum alter verbis ipsis, quae scripta sunt, utitur; alter, ad id, quod scriptorem sensisse dicit, omnem adiungit dictionem.

Scriptoris autem sententia ab eo, qui sententia se defendet, tum semper ad idem spectare, et idem velle demonstrabitur: tum aut ex facto, aut ex eventu aliquo ad tempus id, quod instituit, accommodabitur.

Semper ad idem spectare, hoc modo: « Paterfamilias, quum liberorum nihil haberet, uxorem autem haberet, in testamento ita scripsit: SI MIHI FILIVS GENITVS VNVS, PLVRESVE, IS MIHI HERES ESTO. Deinde quae assolent. Postea: SI FILIVS ANTE MORITVR, QVAM IN TVTELAM SVAM VENERIT, TV MIHI, dicebat, SECVNDVS HERES ESTO. Filius non est natus. Ambigunt agnati cum eo, qui est heres, si filius ante, quam in suam tutelam veniret, mortuus sit. » In hoc genere non potest hoc dici, ad tempus, aut ad eventum aliquem sententiam scriptoris oportere accommodari; propterea, quod ea sola demonstratur, qua fretus ille, qui contra scriptum dicit, suam esse hereditatem defendit.

Vtrosque) Lallem. cum aliis *utrimque*. Illam vero lectionem Oudend. MSS. testimoniis firmavit.

Id, quod instituit) Scil. scriptor. Non opus est, quod Ernesti volebat, rescribere *instituerit*.

Ante, quam in suam tutelam veniret) Fieri non potest, quod in edd. scribitur, *veniat*.

Alterum autem genus est eorum qui sententiam inducunt, in quo non simplex voluntas scriptoris ostenditur, quae in omne tempus, et in omne factum idem valeat; sed ex *quodam facto*, aut *eventu ad tempus* interpretanda dicitur. Ea partibus iuridicialis assumtivae maxime sustinetur. Nam tum inducitur *comparatio*, ut in eo, qui quum lex aperiri portas noctu vetaret, aperuit quodam in bello, et auxilia quaedam in oppidum recepit, ne ab hostibus opprimerentur, si foris essent, quod prope muros hostes castra haberent; tum *relatio criminis*, ut in eo milite, qui, quum communis lex hominem occidere vetaret, tribunum suum, qui vim sibi afferre conaretur, occidit; tum *remotio criminis*, ut in eo, qui, quum lex, quibus diebus in legationem proficisceretur, praestitueret, quia sumtum quaestor non dedit, profectus non est: tum *concessio* per *purgationem*, et per *imprudentiam*, ut in vituli immolatione: et per *vim*, ut in navi rostrata: et per *casum*, ut in Eurotae magnitudine. Quare aut ita sententia inducetur, ut unum quiddam voluisse scriptor demonstretur: aut sic, ut in eiusmodi re et tempore hoc voluisse doceatur.

Inducunt, in quo) Pessime interpungebatur sic: *inducunt. In quo.*

Communis lex) Quod in ceteris additur *omnium*, abest a cod. Leid. 3, probante Oudendorpio.

Tribunum) *Militum* vulgo adiectum, ab Ernestio uncis inclusum, et aperte spurium, e textu circumscripsimus.

Tribunum militum) Tangit Plutarchus in Mario hanc rem, et ipse Cicero in Orat. pro Milone, his verbis: *Pudicitiam quum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus eius Imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit: atque hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberavit.* Lamb.

Vt in eo) Supra c. 29.

Praestitueret) Hoc tempus hic requiritur, non, ut vulgo, plusquamperfectum *praestituerat.*

Vt in vituli immolatione) Cap. 31.

Et per vim — — Et per casum) Ibid.

Vt in Eurotae) Vulg. additur *fluminis*, quod e glossa fluxisse, patet e cod. Voss. c. Schol. ubi *fluminis* est inter versus adscriptum.

43. Ergo is, qui scriptum defendet, his locis pleromque omnibus, maiorem autem partem semper poterit uti. Primum scriptoris collaudatione, et loco communi, nihil eos, qui iudicent, nisi id, quod scriptum sit, spectare oportere; et hoc eo magis, si legitimum scriptum proferetur, id est, aut lex ipsa, aut ex lege aliquid. Postea quod vehementissimum est, facti, aut intentionis adversariorum cum ipso scripto contentione, quid scriptum sit,* quid factum, quid iuratus iudex; quem locum multis modis variare oportebit, tum ipsum secum admirantem, quidnam contra dici possit; tum ad iudicis officium revertentem, et ab eo quaerentem, quid praeterea audire, aut quid exspectare debeat; tum ipsum adversarium quasi in intentionis locum producendo, hoc est, interrogando, utrum scriptum neget, esse eo modo, an ab se contra factum esse, aut contra contendi neget: utrum negare ausus sit, se dicere desiturum; si neutrum neget, et contra tamen dicat:

Defendet) Ita multi MSS. et edd. quoque, aptius quam *defendit*, quod est in aliis. Nam sic supra: *qui sententia se defendet.*

Maiorem autem partem) Ita Lambinus scribendum esse docuit. Vulg. *maiore autem parte.* — *Maiorem partem*) Ita loquebantur boni scriptores, M. Tullius Orat. Perf. *Magnam partem iambis nostra constat oratio.* Item C. Caesar lib. II de Bello Gall. *magnam partem lacte atque pecore vivunt:* et item Lucretius lib. III: *Non minimam partem mortis formidine aluntur.* Idem VI: *Inde bonam partem in lectum moerore dabantur.* Lamb.

Variare oportebit, tum) Mala invaluerat interpunctio: *variare oportebit, Tum —.* Sed accusativi *admirantem — revertentem — quaerentem* arctissime copulantur cum verbis *variare oportebit.*

Aut quid exspectare) *Quid* recte inseritur in MSS. Cass. in ceteris MSS. et in edd. omissum.

Quasi in intentionis locum producendo) Vulgo: *quasi intentantis loco producendo*, quod quid sit, non magis explicari potest, quam, quod in aliis est, *intendentis loco.* In cod. Altorf. scribitur *locum*; et pro *intentantis* ipse *in intentionis* emendavi. Nempe adversarium *quasi in intentionis locum producere* significat, eum adigere, ut ipse intentionem suam pronuntiare cogatur, quod Cicero ipse sequentibus verbis explicat; et quia haec metaphora paulo audacior videbatur, eam Cicero praemisso *quasi* mollit, ut saepe.

nihil esse, quod hominem impudentiorem quisquam se visurum arbitretur. In hoc ita commorari conveniet, quasi nihil praeterea dicendum sit, et quasi contra dici nihil possit, saepe id, quod scriptum est, recitando, saepe cum scripto factum adversarii confligendo, atque interdum acriter ad iudicem ipsum revertendo. Quo in loco iudici demonstrandum est, quid iuratus sit, quid sequi debeat; duabus de causis iudicem dubitare oportere, si aut scriptum sit obscure, aut neget aliquid adversarius; cum et scriptum aperte sit, et adversarius omnia confiteatur, tum iudicem legi parere, non interpretari legem oportere.

44. Hoc loco confirmato, tum diluere ea, quae contra dici poterunt, oportebit. Contra autem dicetur, si aut prorsus aliud sensisse scriptor, et scripsisse aliud demonstrabitur; ut in illa de testamento, quam posuimus, controversia; aut causa assumtiva inferetur, quamobrem scripto non potuerit, aut non oportuerit obtemperari.

Si *aliud sensisse* scriptor, *aliud scripsisse* dicetur, is, qui scripto utetur, hoc dicet, non oportere de eius voluntate nos argumentari, qui, ne id facere possemus, indicium nobis reliquerit suae voluntatis; multa incommoda consequi, si instituatur, ut a scripto recedatur. Nam et eos, qui aliquid scribant, non existimaturos, id, quod scripserint, ratum futurum; et eos, qui iudicent, certum, quod sequantur, nihil habituros, si semel a scripto recedere consueverint. Quod si voluntas scriptoris conservanda sit, se, non adversarios, a voluntate eius stare. Nam multo propius accedere ad scriptoris voluntatem eum, qui ex ipsius eam literis interpretetur,

Indicium) Veram hanc lectionem eruit Oudend. e codd. Leid. 1, Voss. 2. Addidit Ernesti codd. Guelf. utriusque et Cass. auctoritatem. Vulgo *iudicium*.

quam illum, qui sententiam scriptoris non ex ipsius scripto spectet, quod ille suae voluntatis quasi imaginem reliquerit, sed domesticis suspicionibus perscrutetur.

45. Sin *causam* afferet is, qui a sententia stabit, primum erit contra dicendum: quam absurdum sit, non negare contra legem fecisse, sed quare fecerit, causam aliquam invenire; deinde conversa esse omnia, ante solitos esse accusatores iudicibus persuadere, affinem esse alicuius culpae eum, qui accusaretur; causam proferre, quae eum ad peccandum impulisset; nunc ipsum reum causam inferre, quare deliquerit. Deinde hanc inducere partitionem, cuius in singulas partes multae convenient argumentationes: primum, nulla in lege ullam causam contra scriptum accipi convenire; deinde, si in ceteris legibus conveniat, hanc esse huiusmodi legem, ut in ea non oporteat; postremo, si in hac quoque lege oporteat, hanc quidem causam accipi minime oportere.

Prima pars his fere locis confirmabitur: scriptori neque ingenium, neque operam, neque ullam facultatem defuisse, quo minus aperte posset perscribere id, quod cogitaret; non fuisse ei grave, nec difficile, eam causam excipere, quam adversarii proferant, si quidquam excipiendum putasset; consuesse eos, qui leges scribant, exceptionibus uti. Deinde oportet recitare leges cum exceptionibus scriptas, et maxime videre, si qua in ea ipsa lege, qua de agitur, sit exceptio aliquo in capite, aut apud eundem legis scriptorem, quo magis eum probetur fuisse excepturum, si quid

Quam absurdum sit) In plerisque edd. *sit* omittitur, quod recte agnoscit cod. Leid. 2.

Esse omnia) Sic Lambin. ordine concinniore. Vulg. *omnia esse*.

Causam inferre) Sic cod. Voss. c. Schol., it. Voss. 1, Leid. 3, et recte hoc variandae orationis causa praefert Oudend. Vulg. *afferre*.

excipiendum putaret; et ostendere, causam accipere, nihil aliud esse, nisi legem tollere; ideo quod, quum semel causa consideretur, nihil attineat eam ex lege considerare, quippe quae in lege scripta non sit. Quod si sit institutum, omnibus causam dari et potestatem peccandi, quum intellexerint, vos ex ingenio eius, qui contra legem fecerit, non ex lege, in quam iurati sitis, rem iudicare; deinde et ipsis iudicibus iudicandi, et ceteris civibus vivendi rationes perturbatum iri, si semel a legibus recessum sit; nam et iudices neque quid sequantur, habituros, si ab eo, quod scriptum sit, recedant, neque, quo pacto in aliis improbare possint, quod contra legem iudicarint; et ceteros cives, quid agant, ignoraturos, si ex suo quisque consilio, et ex ea ratione, quae in mentem, aut in libidinem venerit, non ex communi praescripto civitatis unamquamque rem administrarit. Postea quaerere ab iudicibus ipsis, quare in alienis detineantur negotiis; cur reipublicae munere impediantur, quo secius suis rebus et commodis servire possint; cur in certa verba iurent; cur certo tempore conveniant, certo discedant, nihil quisquam afferat causae, quo minus frequenter operam reipublicae det, nisi quae causa in lege excepta sit; an se legibus

In aliis) Vulg. *aliis*, quod propter structuram verborum admitti nequit. In MS. Oudend. est *alios*.

Improbare) Frustra Oudend. coniicit *probare*, quod scil. ad vulg. lectionem *aliis* referendum putabat. Sed verissimum est *improbare*. Nam cur indicibus iudicandi rationes perturbentur, si semel a legibus recessum sit, duae causae afferuntur, primum quod ipsi, quod sequantur, non habituri sint, deinde quod in aliis iudicibus improbare non possint, si forte contra leges iudicaverint. Haec igitur causa repetitur a malo, quod alii imitari possint, exemplo.

Administrarit) Ex legibus grammaticis iure suo hoc invexit Ernesti pro vulg. *administrabit*.

Quo secius) Ita scribendum putavi, quum vulgo minus concinne legatur *quum saepius*. Eodem modo ad Herenn. I, 12, dicitur: *impedimento est, quo secius feratur lex*. Et *serius*, quod Gruterus in MSS. invenit, sine dubio e *secius* depravatum est.

In lege) Sic Ernesti e MSS. et

obstrictos in tantis molestiis esse aequum censeant, adversarios nostros leges negligere concedant. Deinde item quaerere ab iudicibus, si eius causae, propter quam se reus contra legem fecisse dicat, exceptionem ipse in lege ascribat, passurine sint; postea hoc, quod faciat, indignius et impudentius esse, quam si ascribat; age porro, si ipsi velint iudices ascribere, passurusne sit populus? atque hoc esse indignius, quam rem verbo et literis mutare non possint, eam re ipsa, et iudicio maxime, commutare; deinde indignum esse de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari, quum populo cognoscendi et probandi aut improbandi potestas nulla fiat; hoc ipsis iudicibus invidiosissimum futurum; non hunc locum esse, neque hoc tempus legum corrigendarum; apud populum hoc, et per populum agi convenire; quod si nunc id agant,

edd. vett., quod haud dubie praestat aliorum lectioni, *ex lege*.

Si eius causae — ascribat, passurine sint) Sensus est: quaerere a iudicibus, num passuri sint, si reus eius causae, propter quam se contra legem fecisse dicat, exceptionem ipse in lege ascribat; ex quo patet verissime lectionem *eius causae*, quae est in cod. Voss. c. Schol., probasse, quum alii edidissent *eius rei causam*. Ernesti autem totum eiiciendum putabat ut spurium. Similis locutio paulo ante occurrit: *nihil quisquam afferat causae — nisi quae causa in lege excepta sit*.

Age porro, si) Ita edidimus auctore Ernestio. Nam quod omnes libros invasit, *age porro, quid si*, ferri non potest. Sed aut *age porro* aut *quid* delendum erat.

Quod si nunc id agant, velle se scire, qui lator sit, qui sint accepturi; se captiones ostendere et dissuadere velle) Vulgatam lectionem: *qui sint accepturi, se actiones videre ac dissuadere velle*, suspectam sibi videri iam Lambinus fassus est. Nam quid hoc est *actiones videre?* Commodum nos Victorius expedire potest. Is h. l. ita circumscripsit: *quod si aliquis hanc legem ferat, scire se velle, ut si aliquid sit captiosum adversariumve contra dicat.* Ex quo perspicue intelligitur, illum in codice suo non *actiones*, sed *captiones* legisse. Pro *videre* autem *ostendere* scripsi. Hoc cum quia in codd. *ondere* scribi solebat, facile poterat in *videre* mutari. *Captionis* vocabulum in simili re occurrit Brut. c. 53: *quanta esset in verbis captio, cum in ceteris rebus tum in testamentis, si negligerentur voluntates*; et c. 52: *quam captiosum esset populo, quod scriptum esset negligi et opinione quaeri voluntates.* Sic et Partit. Orat. 1, 38: *eamque sententiam, quam significari posse dicet*,

velle se scire, qui lator sit, qui sint accepturi; se captiones ostendere et dissuadere velle; quod si haec cum summe inutilia, tum multo turpissima sint; legem, cuiuscemodi sit, in praesentia conservari ab iudicibus, post, si displiceat, a populo corrigi convenire. Deinde, si scriptum non exstaret, magnopere quaereremus; neque isti, ne si extra periculum quidem esset, crederemus. Nunc quum scriptum sit, amentiam esse, eius qui peccarit potius, quam legis ipsius verba cognoscere. His et huiusmodi rationibus ostenditur, causam extra scriptum accidi non oportere.

46. *Secunda* pars est, in qua est ostendendum, si in ceteris legibus oporteat, in hac non oportere. Hoc demonstrabitur, si lex aut ad res maximas, utilissimas, honestissimas, religiosissimas videbitur pertinere; aut inutile, aut turpe, aut nefas esse tali in re non diligentissime legi obtemperare; aut ita lex diligenter perscripta ostendetur, ita cautum unaquaque de re, ita quod oportuerit, exceptum, ut minime conveniat quidquam in tam diligenti scriptura praeteritum arbitrari.

Tertius locus est ei, qui pro scripto dicet, maxime necessarius, per quem ostendat oportet, si conveniat causam contra scriptum accipi, eam tamen minime oportere, quae ab adversariis afferatur. Qui locus idcirco est huic necessarius, quod semper is, qui contra scriptum dicit, aequitatis aliquid afferat oportet. Nam summa impudentia sit, eum, qui contra quam quod scriptum sit, aliquid probare velit, non aequitatis praesidio id

nihil habere aut captionis aut vitii.

Quod si haec) E Victorino colligere licet, hic omissum esse: *quae adversarii dicant*, vel simile quid. Scilicet iam antea dictum erat, inutile et indignum esse a lege scripta recedere; et c. 46, in re simili dicitur: *aut inutile, aut turpe, aut nefas esse tali in re non diligentissime legi obtemperare.*

Summa impudentia sit) Bene *sit* lectioni *est* Oudend. et Ernesti praetulerunt.

facere conari. Si quid igitur ex hac ipsa accusator deroget, omnibus partibus iustius et probabilius accusare videatur. Nam superior oratio huc omnis faciebat, uti iudices, etiamsi nollent, necesse esset; haec autem etiamsi necesse non esset, ut vellent contra iudicare. Id autem fiet, si, quibus ex locis culpa demonstrabitur inesse in eo, qui comparatione aut remotione, aut relatione criminis, aut concessionis partibus se defendit (de quibus ante, ut potuimus, diligenter perscripsimus), de his locis, quae res postulabit, ad causam adversariorum improbandam transferemus; aut causae et rationes afferentur, quare et quo consilio ita sit in lege, aut in testamento scriptum, ut sententia quoque, et voluntate scriptoris, non ipsa solum scriptura causa confirmata esse videatur; aut aliis quoque constitutionibus factum coarguetur.

Si quid igitur ex hac ipsa accusator deroget) Olim edebatur: *si quid igitur ex hac ipsa accusator quippiam derogat.* Sed illud *quippiam*, quod hic prorsus superfluum esset, recte omittunt cod. Voss. c. Schol. a m. pr. et Medic., id quod vel ex ipso Ciceronis loco c. 48, ubi ad h. l. respexit, intelligitur: *et quemadmodum ei dicebamus, qui a scripto diceret, hoc fore utilissimum, si quid de aequitate, quod cum adversario staret, derogasset.*

Accusator) Nempe accusator in tali causa is est, qui pro scripto sive a scripto dicit, sive qui scriptum defendit. Rei autem defensor is est, qui contra scriptum dicit, et aequitate pugnat.

Huc omnis faciebat) I. e. huc pertinebat. Vulgo *hoc*, quod ipsum Gruterus pro *huc* a Cicerone scriptum antique putabat.

Demonstrabitur inesse in eo) Vulgo: *demonstrabitur non esse in eo.* Sed negativa particula, pessime hic invecta, recte carent cod. Voss. c. Schol. a m. pr. Voss. 2, ed. Omnib. In Voss. 1, Leid. 2 est *demonstrabitur inesse*, quod praetulimus; nam ex hac lectione facilius coniicitur, quomodo *non esse* in aliis ortum sit.

Comparatione, aut remotione, aut relatione criminis, aut concessionis partibus) Quatuor hae sunt qualitatis assumptivae partes. Capp.

Vt sententia quoque, et voluntate scriptoris, non ipsa solum scriptura causa confirmata esse videatur) Vulgo sine sensu: *ut sententia — non ipsa solum scriptura causa confirmatum esse videatur.* Significatur autem, quod ex Victorini quoque interpretatione apparet, eum, qui scriptum defendat, bene rem suam acturum, si sententiam scriptoris aliam esse non posse, quam quae a se scripto subiiciatur, demonstret, ut videatur

47. *Contra scriptum* autem qui dicet, primum eum inducet locum, per quem aequitas causae demonstretur: aut ostendet, quo animo, quo consilio, qua de causa fecerit: et, quamcunque causam assumet, assumtionis partibus se defendet, de quibus ante dictum est. Atque hoc in loco quum diutius commoratus sui facti rationem et aequitatem causae exornaverit, tum ex his locis fere contra adversarios dicet oportere causas accipi. Demonstrabit, nullam esse legem, quae aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri velit; omnia supplicia, quae a legibus proficiscantur, culpae ac malitiae vindicandae causa constituta esse; scriptorem ipsum, si existat, factum hoc probaturum; et idem ipsum, si ei talis res accidisset, facturum fuisse; et ea re legis scriptorem certo ex ordine iudices, certa aetate praeditos constituisse, ut essent, non qui scriptum suum recitarent, quod quivis puer facere posset, sed qui cogitationem assequi possent, et voluntatem interpretari; deinde illum scriptorem, si scripta sua stultis hominibus, et barbaris iudicibus committeret, omnia summa diligentia perscripturum fuisse; nunc vero, quod intelligeret, quales viri res iudicaturi essent, idcirco eum, quae perspicua videret esse, non ascripsisse; « Neque enim vos scripti sui recitatores, sed voluntatis interpretes fore putavit.» Postea quaeret ab adversariis: « quid si hoc fecissem?

causa sua non scriptura solum confirmari, sed etiam ipsa scriptoris sententia et voluntate.

Assumptionis partibus) Intellige quatuor illas qualitates assumptivae partes, nempe comparationem, remotionem, relationem criminis, et concessionem. Capp.

Res iudicaturi essent) *Res* e MS. Cass. Gu. 2, et quibusdam aliis apud Gronov. et Oudend. ideo recepi, quod hic omnino de iudicibus futuris, non de iis, qui in certa quadam causa iudicaturi sint, agitur.

Postea quaeret ab adversariis — Deinde ex utilitatis et honestatis partibus ostendet. — Postea, quid sit lex, describet) Hic ubique verba recta posuimus, quae in futuro tempore continuentur cum illo: *Demonstrabit, nullam esse legem.* Et sic ultimo loco haec argumentorum expositio ea-

quid si hoc accidisset? eorum aliquid, in quibus aut causa sit honestissima, aut necessitudo certissima; tumne accusaretis? atqui hoc lex nusquam excepit; » non ergo omnia scriptis, sed quaedam, quae perspicua sint, tacitis exceptionibus caveri; deinde nullam rem neque legibus, neque scriptura ulla, denique ne sermone quidem quotidiano atque imperiis domesticis recte posse administrari, si unusquisque velit verba spectare, et non ad voluntatem eius, qui ea verba habuerit, accedere. Deinde ex utilitatis et honestatis partibus ostendet, quam inutile, aut quam turpe sit id, quod adversarii dicant fieri oportuisse, aut oportere; et id, quod nos fecerimus, aut postulemus, quam utile, aut quam honestum sit; deinde leges nobis caras esse non propter literas, quae tenues et obscurae notae sint voluntatis, sed propter earum rerum, quibus de rebus scriptum est, utilitatem, et eorum, qui scripserunt, sapientiam et diligentiam. Postea, quid sit lex, describet, ut ea videatur in sententiis, non in verbis consistere; et iudex is videatur legi obtemperare, qui sententiam eius, non qui scripturam sequatur. Deinde, quam indignum sit, eodem affici supplicio eum, qui propter aliquod scelus et audaciam contra legem fecerit, et eum, qui honesta, aut necessaria de causa, non ab sententia, sed ab literis legis recesserit; atque his, et huiusmodi rationibus, et accipi causam, et in hac lege accipi, et eam causam, quam ipse afferat, oportere accipi demonstrabit. Et quemadmodum ei dicebamus, qui a

dem tertia persona futuri clauditur: *eam causam, quam ipse afferat, oportere accipi demonstrabit.* Vulgo editur per infinitivos: *Postea quaerere ab adversariis. — Deinde ex u. e. h. partibus ostendere. — Postea, quid sit lex, describere.*

Qui ea verba habuerit) *Ea* insertum auctoritate cod. Voss. c. Schol. Voss. 1, Leid. 1, 2, quod Oudendorpio quoque (et Ernesti) placebat.

Quibus de rebus) Sic Lamb. Vulg. *quibus de.*

scripto diceret, hoc fore utilissimum, si quid de aequitate ea, quae cum adversario staret, derogasset; sic huic, qui contra scriptum dicet, plurimum proderit, ex ipsa scriptura aliquid ad suam causam convertere, aut ambigue aliquid scriptum ostendere, deinde ex illo ambiguo eam partem, quae sibi prosit, defendere, aut verbi definitionem inducere, et illius verbi vim, quo urgeri videatur, ad suae causae commodum traducere, aut ex scripto non scriptum aliquod inducere per ratiocinationem, de qua post dicemus. Quacunque autem ratione, quamvis leviter probabili, scripto ipso se defenderit, etiam quum aequitate causa abundabit, necessario multum proficiet, ideo quod, si id, quo nititur adversariorum causa, subduxerit, omnem eius vim et acrimoniam lenierit ac diluerit.

48. Loci autem communes ceteri ex assumtionis partibus in utramque partem convenient. Praeterea eius, qui a scripto dicet: leges ex se, non ex eius, qui contra commiserit, utilitate spectari oportere, et legibus antiquius haberi nihil oportere; contra scriptum: leges in consilio scriptoris, et utilitate communi, non in verbis consistere; quam indignum sit, aequitatem literis urgeri, quae voluntate eius, qui scripserit, defendatur.

49. Ex *contrariis* autem *legibus* controversia nascitur, quum inter se duae videntur leges, aut plures discrepare, hoc modo: « Lex est: QVI TYRANNVM OC-

Quacunque autem ratione) Ita ut emendarem vulg. *Quacunque autem in re*, sensus postulabat. Nempe expositae eraot complures rationes, quibus is, qui cootra scriptum dicit, possit aliquid ex ipsa scriptura ad suam causam convertere. Vulg. *in re* ortum esse videtur ex scribeodi compendio *rone* pro *ratione*.

Omnem eius vim) *Illam*, quod additur post *omnem*, abest MS. Cass., et utique hic prorsus otiosum est.

Loci autem communes ceteri) Ita in MSS. Oudeod. legitur, quum antea ederetur *l. a. c. certis*. *Ceteri* opponitur iis, qui statim *praeterea* memoraotur, locis.

CIDERIT, OLYMPIONICARVM PRAEMIVM CAPITO, ET QVAM VOLET SIBI REM A MAGISTRATV DEPOSCITO, ET MAGISTRATVS EI CONCEDITO. Et altera lex: TYRANNO OCCISO, QVINQVE EIVS PROXIMOS COGNATIONE, MAGISTRATVS NECATO. Alexandrum, qui apud Pheraeos in Thessalia tyrannidem occuparat, uxor sua, cui Thebe nomen fuit, noctu, quum simul cubaret, occidit. Haec filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi in praemii loco deposcit. Sunt, qui ex lege puerum occidi dicant oportere. Res in iudicio est. »

In hoc genere utramque in partem iidem loci, atque eadem praecepta convenient, ideo quod uterque suam legem confirmare, contrariam infirmare debebit. *Primum* igitur leges oportet contendere, considerando, utra lex ad maiores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores ac magis necessarias res pertineat: ex quo conficitur, ut, si leges duae, aut si plures, aut, quotquot erunt, conservari non possint, quia discrepent inter se, ea maxime conservanda putetur, quae ad maximas res pertinere videatur; deinde, utra lex posterius lata sit: nam postrema quaeque gravissima est; deinde, utra lex iubeat aliquid; utra permittat: nam id, quod imperatur, necessarium, illud, quod permittitur, voluntarium est; deinde, in utra lege, si non obtemperatum sit, poena, aut in utra maior poena statuatur: nam

Olympionicarum) Non arbitror hic de corona esse intelligendum, sed de statua, quae erigenda esset ei, qui tyrannum occidisset, quemadmodum Athenis Harmodio et Aristogitoni factum fuisse scriptores memoriae prodiderunt. Nam Olympionicae non corona tantum ex oleastro, verum etiam statua ornari solebant. Quod Plinius indicare videtur lib. XXXIV, cap. 4. NASCIMB.

Alexandrum, qui apud Pheraeos) Inde Pheraeus dictus est. Cicero lib. II de Offic. c. 7, eius paene vitam paucis describit. ID.

Sibi in praemii loco) *In* recte addidit Oudend. e MSS. suis omnibus.

Illud, quod permittitur) Ernesti malebat *illud* abesse. Concinne tamen hic *illud* opponitur praecedenti *id*.

Poena) Eieci *afficiatur*, parum

maxime conservanda est ea, quae diligentissime sancta est; deinde, utra lex iubeat, utra vetet: nam saepe ea, quae vetat, quasi exceptione quadam corrigere videtur illam, quae iubet; deinde, utra lex de genere omni, utra de parte quadam; utra communiter in plures, utra in aliquam certam rem scripta videatur: nam quae in partem aliquam, et quae in certam quandam rem scripta est, propius ad causam accedere videtur, et ad iudicium magis pertinere; deinde, utra ex lege statim fieri necesse sit, utra habeat aliquam moram et sustentationem: nam id, quod statim faciendum sit, perfici prius oportet. *Deinde* operam dare, ut sua lex ipso scripto videatur niti; contraria autem aut per ambiguum, aut per ratiocinationem, aut per definitionem induci; quo sanctius et firmius id videatur esse, quod apertius scriptum sit. *Deinde* suae legis ad scriptum ipsam sententiam quoque adiungere, contrariam legem item ad aliam sententiam traducere, ut, si fieri poterit, ne discrepare quidem videantur inter se. *Postremo* facere, si causa facultatem dabit, ut nostra ratione utraque lex conservari videatur; adversariorum ratione altera sit necessario negligenda.

hic aptum. Oudend. emendabat *adiiciatur*. Sed ex Victorini interpretatione patet, eum verbum *statuatur* aeque ad voc. *poena*, atque ad illa *maior poena* traxisse. Sic enim ille: *Vtra lex poenam constituat ei, qui non obtemperet, utra maiorem poenam*.

Diligentissime sancta est) Optime hanc lectionem defendit Lambinus. Nam male eum edebatur: *quae diligentissima et sancta est*. Lambini coniecturam firmat cod. Voss. cum Schol. Est autem lex diligentius sancta, quae poenam statuit in eos, qui non obtemperaverint, quam quae nullam; et quae graviorem poenam statuit, diligentius est sancita, quam quae leviorem.

Propius) Vere sic Petr. Faber et Lambin. emendarunt vulg. *promtius*. Iam Lallem. recepit *propius*.

Deinde, utra ex lege statim fieri necesse sit, utra habeat aliquam moram et sustentationem) Fidenter sic emendavi lectionem, quae omnes edd., quas vidi, obsedit: *deinde ex lege utrum statim — utrum habeat* etc. Quod rescripsi, primum contextu orationis firmatur, quippe quo non quaeritur, utrum aliquid ex lege fiat, sed quoniam de duabus legibus

Locos autem communes, et quos ipsa causa det, videre oportebit, et ex utilitatis et honestatis amplissimis partibus sumere, demonstrantem per amplificationem, ad utram potius legem accedere oporteat.

50. Ex *ratiocinatione* nascitur controversia, quum ex eo, quod uspiam est, ad id, quod nusquam scriptum est, pervenitur hoc pacto: « Lex est: SI FVRIOSVS EST, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO. Et lex: PATERFAMILIAS VTI SVPER FAMILIA PECVNIAQVE SVA LEGAVERIT, ITA IVS ESTO. Et lex: SI PATERFAMILIAS INTESTATO MORITVR, FAMILIA PECVNIAQVE EIVS AGNATORVM GENTILIVMQVE ESTO. Quidam iudicatus est parentem occidisse. Ei statim, quod effugiendi potestas non fuit, ligneae soleae in pedes inductae sunt; os autem obvolutum est folliculo et praeligatum; deinde est in carcerem deductus, ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Interea quidam eius familiares in carcerem tabulas afferunt, et testes adducunt; heredes, quos ipse iubet, scribunt; tabulae obsignantur. De illo post supplicium sumitur. Inter eos, qui heredes in tabulis scripti sunt, et inter agnatos, de hereditate controversia est. »

Hic certa lex, quae testamenti faciendi iis, qui in eo loco sint, adimat potestatem, nulla profertur. Ex ceteris legibus, et quae hunc ipsum supplicio huiusmodi afficiunt, et quae ad testamenti faciendi potestatem pertinent, per ratiocinationem veniendum est ad eiusmodi rationem, ut quaeratur, habueritne testamenti faciendi potestatem.

inter se contendendis agitur, ultra ex lege potius aliquid fiat. Deinde accedit Victorini interpretatio, quae perspicue prodit, eum sic legisse, ut edidimus. Ille autem his utitur ad h. l. explicandum verbis: *Deinde considerandum, ex qua lege statim fieri aliquid, aut non fieri necesse sit, et ex qua sit aliqua tarditas.*

Locos autem communes hoc in genere argumentandi, hos, et huiusmodi quosdam esse arbitramur: primum, eius scripti, quod proferas, laudationem et confirmationem; deinde eius rei, qua de quaeratur, cum eo, de quo constat, collationem eiusmodi, ut id, de quo quaeritur, rei, de qua constet, simile esse videatur; postea admirationem, qui fieri possit, ut, qui hoc aequum esse concedat, illud neget, quod aut aequius, aut eodem sit in genere; deinde idcirco hac de re nihil esse scriptum, quod quum de illa esset scriptum, de hac is, qui scribebat, neminem dubitaturum arbitratus sit; postea multis in legibus multa esse praeterita, quae idcirco praeterita nemo arbitretur, quod ex ceteris, de quibus scriptum sit, intelligi possint. Deinde aequitas rei demonstranda est, ut in iuridiciali absoluta.

Contra autem qui dicet, similitudinem infirmare debebit; quod faciet, si demonstrabit, illud, quod conferatur, ab eo, cui conferatur, diversum esse genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione; si, quo in numero illud, quod per similitudinem affertur, et quo in loco illud, cuius causa affertur, haberi conveniat, ostendetur; deinde, quid res cum re differat, demonstrabitur, ut non idem videatur de utraque existimari oportere. Ac, si ipse quoque poterit ratiocinationibus uti, iisdem, quibus ante dictum

Postea admirationem, qui fieri possit) Olim edebatur: *postea admirationem percontatione q. f. p.* Ex quo Lambinus fecit: *admirationem cum percontatione.* In MSS. Gu. 1, 2, Oudendorpianis duobus, Altorf. est *per contentionem*, quod recepit Ernesti. At hoc primum haud satis aptam habet explicationem; deinde valde molestum est auribus: *admirationem per contentionem.* Equidem opinor, scholiasten quendam *percontatione* adiecisse, ut significaret, oratorem admirabundum quasi percontari adversarium, qui fieri possit etc. Deinde ex *percontatione* alii fecerunt *per contentionem.*

De hac) Delevi *re*, quod adiicitur in edd., abest autem ab Oudendorpii codd. omnibus.

Iisdem) Vulg. additur *ratiocinationibus*, quod vocabulum per se lon-

est, utetur; si non poterit, negabit oportere quidquam, nisi quod scriptum sit, considerare; periclitari omnia iura, si similitudines accipiantur; multas de similibus rebus, in unamquamque rem tamen singulas esse leges: omnia posse inter se vel similia, vel dissimilia demonstrari.

Loci communes a ratiocinatione: oportere coniectura ex eo, quod scriptum sit, ad id, quod non sit scriptum, pervenire; et neminem posse omnes res per scripturam amplecti, sed eum commodissime scribere, qui curet, ut quaedam ex quibusdam intelligantur; contra ratiocinationem, huiuscemodi: coniecturam divinationem esse, et stultis scriptoris esse, non posse omnibus de rebus cavere, quibus velit.

giusculum hic insuaviter repetitur. Et omittitur cod. Vass. c. Schol. Leid. 1, ed. Omnib.

Periclitari omnia iura, si similitudines accipiantur) Vulgo hic sequuntur ista: *nihil esse paene, quod non alteri simile esse videatur.* Haec autem verba si in textu tolerentur, non solum idem bis dicatur necesse est, quia postea sequitur: *omnia posse inter se vel similia vel dissimilia demanstrari*, sed etiam prior sententia posteriori quodam modo repugnat, quia illa *paene omnia*, haec *omnina omnia* inter se similia videri posse renuntiat. Ergo haec certo spuria sunt. In cod. Voss. c. Schol. et Voss. 2, absunt non solum ista: *nihil esse — videntur*, sed etiam, quae antecedunt, *periclitari — accipiantur.* Vtramque sententiam cod. Leid. 2, ponit post *dissimilia demonstrari.* Mihi verisimile est, locum e Victorino esse interpolatum. Hic enim in commentaria ad h. l. haec habet: *addere praeterea etiam poterit is, qui contra collectionem nititur, ubi et ipse utatur aliqua collectione. Quod si contigerit, iisdem argumentis utetur, quae supra dedimus, ei qui utitur collectione. Sin autem non poterit, hoc aget, ut ostendat, scriptum solum considerari oportere. Periclitari iam omnia, si similitudines accipiantur. Nihil enim esse paene, quod non alteri simile esse videatur.* In his verba *periclitari — accipiantur* genuina videntur esse Ciceronis, etsi haec quoque Ernesti uncis inclusit.

Multas de similibus rebus) Hanc scripturam, iam ab Oudendorpio probatam, praebent codd. Voss. 1, Leid. 2, 3. In edd. est *multis dissimilibus rebus*, sensu minime apto.

Tamen) Pro vulg. *tantum* recepi ex cod. Voss. c. Schol. a m. pr., Voss. 1, ed. Omnib. In ceteris edd. est *tantum.*

Loci communes a ratiocinatione) Mirum est, Oudend. dubitasse, an haec sint a Cicerone. Necessaria autem sunt, quia iis respondent verba, quae infra sequuntur: *contra ratiocinationem.*

51. *Definitio* est, quum in scripto verbum aliquod est positum, cuius de vi quaeritur, hoc modo: « Lex: QVI IN ADVERSA TEMPESTATE NAVIM RELIQVERINT, OMNIA AMITTVNTO: EORVM NAVIS ET ONERA SVNTO, QVI IN NAVI REMANSERINT. Duo quidam, quum iam in alto navigarent, et quum eorum alterius navis, alterius onus esset, naufragum quendam natantem, et manus ad se tendentem animadverterunt; misericordia commoti, navim ad eum applicarunt; hominem ad se sustulerunt. Post aliquanto ipsos quoque tempestas vehementius iactare coepit, usque adeo, ut dominus navis, quum idem gubernator esset, in scapham confugeret, et inde funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat, navim, quoad posset, moderaretur; ille autem, cuius merces erant, in gladium ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum accessit, et navi, quoad potuit, est opitulatus. Sedatis autem fluctibus, et tempestate iam commutata, navis in portum perve-

Definitio) h. e. quartus modus controversiae in scripto, quae ex definitione nascitur. Cf. c. 40 init.

Applicarunt) Hanc formam, quae est in cod. Voss. c. Schol., auctore Oudendorpio vulgatae *applicaverunt* praetuli, ut tolleretur ingratus repetitarum syllabarum *erunt* sonus.

Navim — moderaretur) *Navi* est in codd. Gronov., cod. Voss. c. Schol., Voss. 1, 2, Leid. 3, ed. Omnib.

Ille autem, cuius merces erant, in gladium ibidem incumberet) Vulgo edebatur: *in gladium in navi ibidem incumberet*. Sed *in navi* abest a cod. Voss. c. Schol., MS. Leid. et est manifestum τοῦ *ibidem*, idem tamen verum quoque interpretamentum. Nam *ibidem* non ad *scapham*, sed ad *navim* referendum est. In ipsa navi dominus mercium super mercibus suis in gladium incubuit; cur enim, si eum vitae taederet, in scapham antea confugeret? Falsus igitur erat Ernesti, quum putaret, necessarium esse sic intelligere, quasi hic quoque in scapham confugerit, quia aliter in actione legis non potuerit navim reliquisse dici; quasi is, qui se occiderit in navi, non recte dicatur navim reliquisse. Nec provocare debebat Ernesti ad locum similem ad Herenn. I, 11, nam ibi aegrotus unus manet in navi, nec mentio fit alicuius, qui in gladium incubuerit.

In portum pervehitur) « Sic pro vulg. *provehitur* legendum a MSS. quinque, ut Cic. ad Att. XIV, 19: *in portum mallem pervehi*. *Pervehi* dicitur de iis, qui destinatum ad locum veniunt; *provehi*, qui longius aliquo progrediuntur. Adi comm. ad Liv.

bitur. Ille autem, qui in gladium incubuerat, leviter saucius facile est ex vulnere recreatus. Navim cum onere horum trium suam quisque esse dicit. »

Hic omnes scripto ad causam accedunt, et ex nominis vi nascitur controversia. Nam et relinquere navem, et remanere in navi, denique navis ipsa, quid sit, definitionibus quaeritur. Iisdem autem ex locis omnibus, quibus definitiva constitutio tractabitur.

52. Nunc, expositis iis argumentationibus, quae in iudiciale causarum genus accommodantur, deinceps in deliberativum genus et demonstrativum, argumentandi locos et praecepta dabimus, non quo non in aliqua constitutione omnis semper causa versetur; sed quia proprii tamen harum causarum quidam loci sunt, non a constitutione separati, sed ad fines horum generum accommodati. Nam placet, in iudiciali genere finem esse aequitatem, hoc est, partem quandam honestatis. In deliberativo autem Aristoteli placet utilitatem; nobis et honestatem et utilitatem; in demonstrativo, honestatem. Quare in hoc quoque genere causae quaedam argumentationes communiter, ac similiter tractabuntur: quaedam separatius ad finem, quo referri omnem orationem oportet, adiungentur. Atque uniuscuiusque

XXXI, 23: *tranquillo pervectus Chalcidem*; ad Caes. Bell. Civ. II, 3: *freto Siciliae pervehitur*. Restituendum etiam e MSS., in quibus Vossianus, apud (Pseudo-) Cic. ad Quirit. p. R. *parva navicula pervectus in Asiam*, vulg. *traiectus*. Plin. II, 97: *tertio die ex Italia pervectorum Vticam*. Sic MSS. optimi Leidd. non *provectorum*. Sil. Ital. VIII, 126: *pervecta ad litora*, ubi male Heins. *praevecta*. V, 204: *Delon pervectus Apollo*; adde Lib. XVI, 19. Solin. p. 23 ed Sal.: *equitantem Puteolos usque perveheret*. Sic MSS. tres cum Ald. vulgo *veheret*. Restituenda etiam saepius est Apuleio, ut Met. I, p. 16, 17. IX, p. 189: *domum celeri gradu pervectus*. Sic enim MSS. quinque; vulgo *provectus*. » Hactenus Oudendorp.

Quia proprii tamen) Recte sic edd. pr. et MSS. plerique. Vulgati ab Aldo minus apte *q. p. tantum*.

In demonstrativo) *autem*, hic iterum adiectum, MSS. auctoritate sustulit Ernesti.

Omnem orationem) Hoc iure recepit Ern. e MSS. Oudend. aliisque. Vulgo inepte, *omnem rationem*.

constitutionis exemplum supponere, non gravaremur, nisi illud videremus, quemadmodum res obscurae dicendo fierent apertiores, sic res apertas, obscuriores fieri oratione. Nunc ad deliberationis praecepta pergamus.

53. Rerum expetendarum tria genera sunt; par autem numerus vitandarum ex contraria parte. Nam est quiddam, quod sua vi nos allicit ad sese, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate; quod genus virtus, scientia, veritas est. Aliud autem non propter suam vim et naturam, sed propter fructum, atque utilitatem, expetendum; quod genus pecunia est. Est porro quiddam ex horum partibus iunctum, quod et sua vi, et dignitate nos illectos ducit, et prae se quandam gerit utilitatem, quo magis expetatur, ut amicitia, bona existimatio. Atque ex his horum contraria facile, tacentibus nobis, intelligentur. Sed ut expeditius ratio tradatur, ea, quae posuimus, brevi nominabuntur. Nam in primo genere quae sunt, *honesta* appellabuntur. Quae autem in secundo, *utilia*. Haec autem tertia, quia partes honestatis et utilitatis

Deliberationis) Id est, earum orationum, quae versantur in genere deliberativo, quod Graeci συμβουλευτικὸν, et aliquando δημηγορικὸν (concionale) appellant. CAPPER.

Allicit) Indicativum coniunctivo *alliciat* recte praetulit Ernesti. In eadem consecutione paulo post quoque indicativus ponitur.

Expetendum) Vulg. *petendum*. Illud cum Lambino praetulimus; sic et postea *expetatur*.

Quod genus pecunia est) In quibusdam codd. omittitur *genus*, quam omissionem minime debebat Oudendorpius probare: *quod genus*, ut saepe, est i. q. *ex quo genere*.

Illectos ducit) Sic cod. Leid. 3, vere et eleganter. Vulg. inepte: *inductos ducit*.

Haec autem tertia — nominentur) Revocavi Lambini lectionem. Vulgo editur: *Haec autem tertia quia partem honestatis continent, et quia maior vis est honestatis, iunctae res omnino ex duplici genere intelligentur, sed in meliorem partem vocabuli conferantur et honesta nominentur*. Hic verba: *quia maior vis est honestatis*, male transposita esse, facile perspicitur. Nam inde, quod maior vis est honestatis, non potest colligi, utilia honestis iuncta e duplici esse genere. Pro *iunctae res* ipse reposui *iuncta*

continent, omnino iuncta esse ex duplici genere intelligentur; sed quia maior vis est honestatis, in meliorem partem vocabuli conferantur, et honesta nominentur. Ex his illud conficitur, ut appetendarum rerum partes sint, honestas et utilitas; vitandarum, turpitudo et inutilitas. His igitur duabus rebus duae res grandes sunt attributae, necessitudo et affectio; quarum altera ex vi, altera ex re et personis consideratur. De utraque post apertius perscribemus. Nunc *honestatis* rationes primum explicemus.

54. Quod aut totum, aut aliqua ex parte propter se petitur, *honestum* nominabimus. Quare quum eius duae partes sint, quarum altera simplex, altera iuncta sit, simplicem prius consideremus. Est igitur in eo genere omnes res una vi atque uno nomine amplexa virtus. Nam *virtus* est animi habitus, naturae modo, rationi consentaneus. Quamobrem omnibus eius partibus cognitis, tota vis erit simplicis honestatis considerata. Habet igitur partes quatuor: prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. *Prudentia* est rerum bonarum, et malarum, neutrarumque scientia. Partes eius, memoria, intelligentia, providentia. *Memoria* est, per quam animus repetit illa, quae fuerunt. *Intelligentia* est, per quam ea perspicit, quae sunt. *Providentia* est, per quam futurum aliquid videt antequam factum sit. *Iustitia* est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Eius initium est ab natura profectum; deinde quaedam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt; postea

esse, quod ad *haec tertia* refertur.

Neutrarumque) Verum vidit Lambinus, sic emendando lectionem vulg. *et utrarumque*. Quare non opus est coniectura Oudendorpii *vitandarumque*. *Res neutrae* sunt, ut recte monuit Ernesti, res mediae, quae nec bonae nec malae dicuntur per se.

Aliquid videt) scil. animus. Vulgo *videtur*. Sed analogia antecedentium membrorum *repetit* - *perspicit* activum hic quoque postulat.

res ab natura profectas, et ab consuetudine probatas, legum metus et religio sanxit. *Natura ius* est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis insevit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. *Religio* est, quae superioris cuiusdam naturae (quam divinam vocant) curam caerimoniamque affert; *pietas*, per quam sanguine coniunctis patriaeque benevolis officium et diligens tribuitur cultus; *gratia*, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria et remunerandi voluntas continetur; *vindicatio*, per quam vis et iniuria, et omnino omne, quod obfuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur; *observantia*, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam et honore dignantur; *veritas*, per quam immutata ea, quae sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. *Consuetudine ius* est, quod aut leviter a natura tractum aluit, et maius fecit usus, ut religionem; aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit; quod genus, pactum, par, iudicatum. *Pactum* est, quod inter aliquos convenit; *par*, quod in omnes aequabile est; *iudicatum*, de quo alicuius aut aliquorum iam sententiis constitutum est. *Lege ius* est, quod in eo scripto, quod populo expositum est, ut observet, continetur. *Fortitudo* est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Eius partes, magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. *Magnificentia* est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendidapropositione agitatio,

Insevit) Sic Lambinus, utique aptius et elegantius, quam vulg. *inseruit.*

Quae sunt, aut fuerunt) Vulg. *q. s. aut ante fuerunt.* Sed *ante* rectius abest cod. Leid. 1, a m. pr.

Fecit usus, ut religionem) Turpissimum interpolatoris pannum hic assutum rescidimus: *aut si quid eorum, quae ante diximus, ab natura profectum, maius factum propter consuetudinem videmus*; in quibus nihil aliud inest, nisi futilis sententiae; *quod aut — fecit usus*, repetitio.

atque administratio; *fidentia* est, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit; *patientia* est honestatis, aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio; *perseverantia* est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. *Temperantia* est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma et moderata dominatio. Eius partes sunt continentia, clementia, modestia. *Continentia* est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur; *clementia*, per quam animi, temere in odium alicuius concitati, invectio comitate retinetur; *modestia*, per quam pudor honestus caram et stabilem comparat auctoritatem. Atque haec omnia propter se solum, ut nihil adiungatur emolumenti, petenda sunt. Quod ut demonstretur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet, et a brevitate praecipiendi remotum est. Propter se autem vitanda sunt, non ea modo, quae his contraria sunt, ut fortitudini ignavia, et iustitiae iniustitia: verum etiam illa, quae propinqua videntur et finitima esse, absunt autem longissime; quod genus: fidentiae contrarium est diffidentia, et ea re vitium est; audacia non contrarium, sed appositum est ac propinquum, et tamen vitium est. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo iam nomine appellatum; ut audacia, quae fidentiae, pertinacia, quae perseverantiae finitima est, superstitio, quae religioni propinqua est; aut sine ullo certo nomine. Quae omnia item, uti contraria rerum bonarum, in rebus vitandis

Concitati, invectio comitate retinetur — Vulgo edebatur: *per quam animi temere in odium alicuius invectionis concitati comitate retinentur.* Lamb. e coniectura: *temere in alium alicuius inferioris.* Nos Ernesti emendationem sequuti sumus, cui MSS. favent, in quibus est *invectio.*

Caram) Bene restituit Ernest. e MSS. pro vulg. *clarum.*

reponemus. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, satis dictum est.

55. Nunc de eo, in quo *utilitas* quoque adiungitur, quod tamen honestum vocamus, dicendum videtur. Sunt igitur multa, quae nos cum dignitate, tum fructu quoque suo ducunt; quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. *Gloria* est frequens de aliquo fama cum laude; *dignitas*, alicuius honesta, et cultu et honore et verecundia digna auctoritas; *amplitudo*, potentiae, aut maiestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia; *amicitia*, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius causa, quem diligit, cum eius pari voluntate. Hic, quia de civilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adiungimus, ut eorum quoque causa petenda videatur; ne forte, qui nos de omni amicitia dicere existiment, reprehendere incipiant. Quamquam sunt, qui propter utilitatem modo petendam putent amicitiam; sunt, qui propter se solum; sunt, qui propter se, et utilitatem. Quorum quid verissime constituatur, alius locus erit considerandi. Nunc hoc sic ad usum oratorium relinquatur, utramque propter rem amicitiam esse expetendam. Amicitiarum autem ratio, quoniam partim sunt religionibus iunctae, partim non sunt, et quia partim veteres sunt, partim novae, partim ab illorum, partim ab nostro beneficio profectae, partim utiliores, partim minus utiles; ex causarum dignitatibus, ex temporum opportunitatibus, ex officiis, ex religionibus, ex vetustatibus habebitur.

56. Vtilitas autem aut in corpore posita est, aut in extraneis rebus: quarum tamen rerum multo maxima

Ducunt) *ad se*, vulgo adiectum, delevit Ernesti MSS. Cass. Guelf. 2, aliorum auctoritate.

Existiment) Coniunctivum recte reposuit Ernesti. Vulg. *existimant*.

Partim ab illorum) scil. qui nobis amici sunt. Ita enim recte explicavit Ern. nec opus est mutari *in aliorum*.

pars ad corporis commodum revertitur, ut in republica quaedam sunt, quae (ut sic dicam) ad corpus pertinent civitatis, ut agri, portus, pecunia, classes, nautae, milites, socii; quibus rebus incolumitatem ac libertatem retinent civitates; alia vero, quae iam quiddam magis amplum, et minus necessarium conficiunt, ut urbis egregia exornatio atque amplitudo, ut quaedam excellens pecuniae magnitudo, amicitiarum ac societatum multitudo. Quibus rebus non illud solum conficitur, ut salvae et incolumes, verum etiam ut amplae atque potentes sint civitates. Quare utilitatis duae partes videntur esse, incolumitas et potentia. *Incolumitas* est salutis tuta atque integra conservatio; *potentia* est ad sua conservanda, et alterius obtinenda, idonearum rerum facultas. Atque in iis omnibus, quae ante dicta sunt, quid difficulter fieri et quid facile fieri possit, oportet considerare. *Facile* fieri id dicimus, quod sine magno, aut sine ullo labore, sumtu, molestia, quam brevissimo tempore confici potest. *Difficile* autem fieri, quod quamquam laboris, sumtus, molestiae, longinquitatis indiget, atque aut omnes, aut plurimas, aut maximas causas habet difficultatis; tamen, iis susceptis difficultatibus, compleri, atque ad exitum perduci potest.

57. Quoniam ergo de honestate, et de utilitate diximus, nunc restat, ut de iis rebus, quas his attributas esse dicebamus, necessitudine et affectione, perscribamus. Puto igitur esse hanc *necessitudinem*, cui nulla vi resisti potest; quae neque mutari, neque leniri potest. Atque, ut apertius hoc sit, exemplis licet vim rei,

Tuta) Cod. Voss. c. Schol. habet *rata*, quod Oudend. defendit. Vulgatum tamen bene se tuetur.

Facile fieri id dicimus, quod) Locus sumtus ex lib. I Rhetor. Aristotelis: Ῥᾴδια δὲ, ὅσα ἢ ἄνευ λύπης, ἢ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ. τὸ γὰρ χαλεπὸν ὁρίζεται ἢ λύπῃ ἢ πλήθει χρόνου. Vrsin.

qualis et quanta sit, cognoscamus. Vri posse flamma ligneam materiam necesse est. Corpus mortale aliquo tempore interire necesse est; atque ita necesse, ut vis postulat ea, quam modo describebamus, necessitudinis, cui nulla vi resisti potest, quae neque mutari, neque leniri potest. Huiusmodi quum in dicendo rationes incident, recte necessitudines appellabuntur; sin aliquae res incident difficiles, in illa superiori, possitne fieri, quaestione considerabimus. Atque etiam hoc mihi videor videre, esse quasdam cum adiunctione necessitudines, quasdam simplices et absolutas. Nam aliter dicere solemus: *Necesse est Casilinenses se dedere Annibali;* aliter autem: *Necesse est Casinilum venire in Annibalis potestatem.* Illic, in superiore, adiunctio est haec, nisi si malunt fame perire; si enim id malunt, non est necesse: in hoc inferiore non item, propterea quod, sive velint Casilinenses se dedere, sive famem perpeti atque ita perire, necesse est Casilinum venire in Annibalis potestatem. Quid igitur perficere potest haec necessitudinis distributio? Prope dicam, plurimum, quum is locus necessitudinis videbitur incurrere. Nam quum simplex erit necessitudo, nihil erit quod multa dicamus, quum eam nulla ratione lenire possimus: quum autem ita necesse erit, ut aliquid effugere, aut adipisci velimus, tum adiunctio illa quid habeat utilitatis, aut quid honestatis erit consideran-

Huiusmodi quum in dicendo rationes incident) Sic recte Purgoldus emendavit. Vulg. *huiusmodi necessitudines quum in dicendi rationes incident.*

Casilinum) Alludit ad historiam: nam Casilinum, oppidum Campaniae, quum ab Annibale obsideretur, milites eo inopiae pervenerunt, ut mures, et lora, detractasque scutis pelles, ubi fervida mollissent aqua, mandere conarentur. Livius l. XXIII, c. 19. NASC.

In hoc inferiore) Ex Lambin. emendatione pro vulg. *hoc inferius.*

dum. Nam si velis attendere (ita tamen, ut id quaeras, quod conveniat ad usum civitatis), reperias nonnullam esse rem, quam facere necesse non sit, nisi propter aliquam causam, quam adiunctionem nominamus; praeter haec autem multas esse necessitudines, ad quas similis adiunctio non accedit. Quod genus, ut homines mortales intereant, necesse est, sine adiunctione; ut cibo utantur, non necesse est, nisi cum illa exceptione: extra quam, si nolint fame perire. Ergo, ut dixi, illud, quod adiungitur, semper, cuiusmodi sit, erit considerandum. Nam omni tempore id pertinebit aut ad honestatem, ut hoc modo exponenda necessitudo sit: *Necesse est, si honeste volumus vivere;* aut ad incolumitatem, hoc modo: *necesse est, si incolumes volumus esse;* aut ad commoditatem, hoc modo: *necesse est, si sine incommodo*

Reperias nonnullam esse rem, quam facere necesse non sit, nisi propter aliquam causam, quam adiunctionem nominamus) Sic emendando verum h. l. sensum restituimus, qui in vulgata lectione nullus est: *reperias nullam esse rem, quam facere necesse sit, nisi propter aliquam causam, quam adiunctionem nominamus.* Cicero antea dixerat: *esse quasdam cum adiunctione necessitudines*, (nostri philosophi appellant, *hypotheticas*) id nunc sic effert: *esse nonnullam rem, quam facere non necesse sit, nisi propter adiunctionem aliquam.*

Praeter haec autem multas esse necessitudines) Sic videtur hic locus optime constitui. Recentiores edidere: *pariter autem esse multas res necessitudinis.* Sed *praeter haec* habent codd. Voss. 1, 2, Leid. 1, ed. Omn. qui post *autem* addunt *invenies*, pro quo Victorinus habet *invenias*. Vtrumque glossae videtur deberi.

Vt homines mortales intereant, necesse est) Hanc lectionem, quam praeivere Olivet. Lallem. concinniorem puto altera, quae est in edd. plerisque: *ut homines mortales necesse est interire*, in qua *ut*, praecedente *quod genus*, prorsus abundat.

Nam omni tempore — vivere) Ernesti, verbis, *aut ad incolumitatem hoc modo*, et, *aut ad commoditatem hoc modo*, quae in cod. eius, idem duobus Oudend. absunt, eiectis, priora sic constituit: *Nam omni tempore id pertinebit, ut (ad honestatem) hoc modo exponenda necessitudo sit: Necesse est* etc. Sed *pertinebit* simpliciter, sequente *ut*, admitti nequit. Saltem esse deberet: *eo pertinebit, ut.* Et omnino lectio vulgaris, quam restituimus, antecedentibus melius respondet, et triplicem illam necessitudinis adiunctionem clarius enuntiat.

volumus vivere. Ac summa quidem necessitudo videtur esse honestatis; huic proxima, incolumitatis; tertia ac levissima, commoditatis; quae cum his nunquam poterit duabus contendere. Hasce autem inter se saepe necesse est comparari, ut, quamquam praestet honestas incolumitati, tamen, utri potissimum consulendum sit, deliberetur. Cuius rei certum quoddam praescriptum videtur in perpetuum dari posse. Nam, qua in re fieri poterit, ut, quum incolumitati consuluerimus, quod sit in praesentia de honestate delibatum, virtute aliquando et industria recuperetur, incolumitatis ratio videbitur habenda; quum autem id non poterit, honestatis. Ita in eiusmodi quoque re, quum incolumitati videbimur consulere, vere poterimus dicere, nos honestatis rationem habere, quoniam sine incolumitate eam nullo tempore possumus adipisci. Qua in re vel concedere alteri, vel ad conditionem alterius descendere, vel in praesentia quiescere, atque aliud tempus exspectare oportebit. In commoditatis vero ratione, modo illud attendatur, dignane causa videatur ea, quae ad utilitatem pertinebit, quare aut de magnificentia, aut de honestate quiddam derogetur. Atque in hoc loco mihi caput illud videtur esse, ut quaeramus, quid sit illud, quod si adipisci, aut effugere velimus, aliqua res nobis sit necessaria, hoc est, quae sit adiunctio, ut proinde, uti quaeque res erit, laboremus, et gravissimam quamque causam vehementissime necessariam iudicemus.

58. *Affectio* est quaedam ex temporum, aut ex ne-

Affectio) Graece dici posset σχέσις, πάθος, συμβεβηκὸς (accidens) et περίστασις, quam *circumstantiam* vulgo appellant, idque auctore ipso Quintiliano. Capper.

Ex temporum) Ita legitur in cod. Voss. c. Schol. melius, Oudendorpio quoque iudice, quam ut in edd. *ex tempore.*

gotiorum eventu, aut ex administratione hominum, aut studio, commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitae sint, aut plerumque haberi soleant, habendae videantur esse. Vt: ad hostes transire turpe videtur esse; at non illo animo, quo Vlysses transiit; et pecuniam in mare deiicere inutile; at non eo consilio, quo Aristippus deiecit. Sunt igitur res quaedam ex tempore, et ex consilio, non ex sua natura considerandae; quibus in omnibus, quid tempora petant, aut quid personis dignum sit, considerandum est; et non quid, sed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quamdiu fiat, attendendum est. His ex partibus ad sententiam dicendam locos sumi oportere arbitramur.

59. Laudes autem, et vituperationes ex his locis sumentur, qui loci personis sunt attributi, de quibus ante dictum est. Sin distributius tractare quis volet, partiatur in animum, et corpus, et extrarias res licebit. Animi est virtus, cuius de partibus paulo ante dictum est; corporis, valetudo, dignitas, vires, velocitas; extrariae, honos, pecunia, affinitas, genus, amici, patria, potentia, et cetera, quae simili in

Aut ex administratione hominum, aut studio) Sensus hoc requirere videbatur, non id, quod omnes edd. habent, *aut administratione aut hominum studio.* Nempe administratione refertur ad *rerum*, quod proxime sequitur.

At non illo animo, quo Vlysses transiit) Vlysses sub habitu mendici Troiam ingressus diligenter omnia exploravit: id quod ex Euripide in Hecuba satis liquet. NASCIMB.

Aristippus) Bion, apud Laërtium in Aristippo, scriptum reliquit, Aristippum, quum aliquando navigasset, didicissetque navem, qua vehebatur, esse piraticam, acceptum aurum numerasse: deinde, quasi imprudenti et invito lapsum e manibus proiecisse in mare, ingemuisseque graviter. Sunt qui illum haec addidisse memorent: *Melius est, ut haec ab Aristippo, quam Aristippus propter ista pereat.* ID.

Deiecit) Oudend. praeferebat *fecit*, ac *deiecit* interpreti tribuendum censebat. Ernesti vero servandum putat *deiecit*, cui prorsus assentior.

Quae simili in genere versantur) Vulg. *quae simili esse in genere intelligentur.* At primum non est credibile, Ciceronem eodem verbo duas deinceps periodos finiisse;

genere versantur. Atque in his, id quod in omnia valere oportebit, contraria quoque, et quae, et qualia sint, intelligentur. Videre autem in laudando et in vituperando oportebit, non tam quae in corpore, aut in extraneis rebus habuerit is, de quo agetur, quam quo pacto his rebus usus sit. Nam fortunam quidem et laudare, stultitia, et vituperare, superbia est; animi autem, et laus honesta, et vituperatio vehemens est.

60. Nunc quoniam omne in causae genus argumentandi ratio tradita est, de inventione, prima ac maxima parte rhetoricae, satis dictum videtur. Quare, quoniam et una pars ad exitum hunc ab superiore libro perducta est, et hic liber non parum continet literarum, quae restant, in reliquis dicemus.

Deinde verbum *esse* in cod. Pal. 2, abest, in aliis transponitur, ex quo colligitur, id a glossatore inculcatum. Itaque rescripsi: *quae simili in genere versantur*; ut alibi Cicero de Inv. I, 27: *molestiam, iracundiam, amorem et cetera, quae simili in genere versantur.*

Atque in his, id quod in omnia valere oportebit, contraria quoque, — intelligentur) Perplexa est scriptura in edd. *atque in his, id, quod in omnia valet, valere oportebit; contraria* etc. valet autem recte abest cod. Leid. 2, eoque omisso et commate post *id* sublato, facile perspicitur, quid ista parenthesi scriptor significaverit, nempe non hic solum, sed in aliis omnibus rebus, altera parte contrariarum rerum exposita, per se, quae his contraria respondeant, et qualia sint, intelligi.

Vna pars) Nescio, an hoc loco nimis audax fuerit Lambinus; illud scio, mihi arridere emendationem, quam exhibuit in margine editionis suae: *Vna pars ad exitum, hoc et superiore libro, perducta est*, etc. Ceterum, Gothofredus hic annotavit, videri ex hoc loco posse colligi, Ciceronem plures de Inventione libros scripsisse. Illud quidem non tantum iam diu inter eruditos constat, plures fuisse perscriptos a Cicerone libros de inventione, sed etiam eos fuisse quatuor, e quibus duos posteriores nobis longinquitas temporis invidit. Vid. Voss. de Natura Rhet. c. 13. VERBVRG.

INDEX SPECIALIS

Explicit tomvs primvs.